

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
8
16 — B
19



JOHAN. GEORGII

DORSCHEI

SS. Th. D. & P. P. Argent.

ANTICRISIS THEOLOGICA,

Opposita

JUDICIO THEOLOGICO

ERNESTI de EUSEBIIS

Civis Romani

Super

QUÆSTIONE,

An pax, qualem desiderant Protestantes, sit secundum se illicita?



ARGENTORATI,

Sumptibus Hæredum LAZARI ZETZNERI.

ANNO M. DC. XLVIII.

VIRO

ILLUSTRI & GENEROSO

Dn. LUDOVICO SCHMID-BERGIO &c.

Christianissimi

GALLIARUM REGIS

CAMPI MARESCHALLO,

Legionum Germanicarum Præfecto,

Domino meo gratiosissimo,

Victoriam & felicitatem à Domino nostro JEsu Christo!



DE bello in antiquitate Ecclesiastica varia reperiuntur judicia, eaq; nonnunquam satis aspera, ILLUSTRIS & GENEROSE DOMINE! Quintus Septimius Florens TERTULLIANUS *de corona militis cap. XI.* inquit: *Puto prius conquirendum, an in totum Christianis militia conveniat? Quale est alioqui de accidentibus retractare, cùm à præcedentibus culpa sit? Credimus ne, humanum sacramentum divino superinduci licere, & in alium dominum respondere post Christum, & eierare patrem & matrem & omnem proximum, quos & lex honorari & post Deum diligi præcepit? hos & Evangelium solo Christo pluris non faciens, sic quoque honorabit? Licebit in gladio conversari, Domino pronunciante, gladio periturum, qui gladio fuerit usus? Et prælio operabitur filius Pacis, cui nec litigare conveniet? & vincula & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit, nec suarum ultor in-*

juriarum? Iam & stationes aut alii magis faciet, quàm Christo? aut & Dominico die, quando nec Christo? Et excubabit pro templis, quibus renunciavit? & cœnabit illic, ubi Apostolo non placet? Et quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit: incumbens & requiescens super luncho, quo perfossum est latus Christi? Vexillum quoque portabit æmulum Christi? & signum postulabit à Principe, qui jam à DEO accepit? Mortuus etiam tuba inquietabitur æneatoris, qui excitari tuba Angeli expectat? & cremabitur ex disciplina Castrensi Christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit. Quanta alia in delictis circumspici possunt Castrensium munium transgressioni interpretanda. Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen transferre, transgressio est. Planè si quos militia præventos fides posterior invenit, alia conditio est, ut illorum, quos Iohannes admittebat ad lavacrum, ut Centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & quem Petrus catechizat, dum tamen suscepta fide atque signata aut deserendum statim sit, ut multis actum, aut omnibus modis cavillandum, ne quid adversus Deum committatur, quæ nec ex militia permittuntur, aut novissimè perpetiendum pro Deo, quod æquè fides pagana condixit. Nec enim aut delictorum impunitatem, aut martyriorum immanitatem militia promittit. Sic Tertullianus, qui demum militiam inter illicita connumerat. Robertus Bellarminus Cardinalis concedit *lib. 3. de Laicis cap. 16.* Tertullianum in ea esse sententia, *non debere ad militiam accedere post baptismum, qui liber est.* Addit, causas præcipuas, cur vetet Christianis militiam exercere, esse propter periculum idololatriæ seu participationis cum ea. Itaque non negat, juxta Tertullianum etiam ex iis causis inaccessam esse Christianis salva conscientia militiam, quæ ad idololatriam nullum habent respectum, & ex ipsa Christianismi conditione resultant. Sanctissimus Martyr Cæcilius CYPRIANUS *lib. 2. epist. 1.* juxta Manutii distributionem, juxta Pamelium *epist. 2.* ait ad Donatum: *Paulisper te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem, speculare inde rerum infra te jacentium facies & oculis in diversa porrectis, ipse à terrenis contactibus liber, fluctuantis mundi turbines intuere. Iam seculi & ipse misereberis, tuique admonitus, & plus in Deum gratus, maiore lætitia, quod evaseris, gratulaberis. Cerne tu itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus*, cruento horrore *castrorum bella ubique divisa. Madet orbis mutuo sangui-*

sanguine, & homicidium cùm admittunt singuli, crimen est, virtus *vocatur, cùm publicè geritur: impunitatem sceleribus acquirit non innocentiæ ratio, sed sævitiæ magnitudo.* Manutius & Pamelius in annotat. de bello injusto interpretantur Cyprianum. Sed videtur sanctissimus Martyr injustitiam in eo collocare, quod in bello inevitabili necessitate ad profusionem sanguinis humani procedendum sit, & quasi publicâ autoritate interficiendum. Id verò in bellò quovis gerendum est. L. Cœlius LACTANTIUS Firmianus *Instit. divinar. lib. 6. cap. 20.* sic quasi commentatur in Cyprianum: *Quæro nunc,* inquit, *an possint pii & justi homines esse, qui constitutos sub ictu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantùm patiuntur occidi, sed & flagitant, feruntq; ad mortem crudelia & inhumana suffragia, nec vulneribus, nec cruore contenti, quin etiam percussos jacentesque repeti jubent, & cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulata morte deludat. Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter è duobus alter occisus est, & tanquam humanum sanguinem sitiant, oderunt moras. Alios illis compares dari poscunt recentiores, ut quamprimum oculos suos satient. Hâc consuetudine imbuti humanitatem perdiderunt. Itaque non parcunt etiam innocentibus, sed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt. Huius igitur publici homicidii socios & participes esse non convenit eos, qui justitiæ viam tenere nituntur. Non enim, cùm occidere Deus vetat, latrocinari nos tantùm prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet: sed ea quoque ne fiant, monet; quæ apud homines pro licitis habentur. Itaque* neque justo militari licebit, *cuius militia est ipsa justitia.* Et post: *Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas, quem Deus sanctum animal esse voluit.* ORIGENES ADAMANTIUS *contra Celsum Philosophum lib. 2.* paulò ante medium affirmat, Christum omnia bella suo præcepto sustulisse. *Vt,* inquit, *Sol, dum lucem cæteris præbet, & universa illustrat, sese prius adaperit & ostentat, sic & Filius Dei, ut faceret, oportebat. At dixerim, equidem id illum egisse, quippe in cuius diebus sit exorta justitia & pacis facta est copia, quæ eius in nativitate occepit, Deo ipso per eius doctrinam constituente, ut gentes omnes & nationes sub unius essent Romani Principis ditione; ne sub prætextu multiplicis & varii principatus, & ob alienos inter se gentium mores, si nihil adinvicem convenirent, gravius esset Apo-*

stolis exequi, quæ per Iesum injungerentur, dicentem: Ite & docete omnes gentes. Et liquet sanè, Augusto Cæsare imperante Iesum esse Dominum natum, cùm Imperator idem, ut ita dixerim, per orbem terrarum universam tunc hominũ multitudinem exæquasset. Aliàs impedimento fuissent tam multa & diversa imperia, quo minus Iesu doctrina in universum mundum dispertiretur, nec solùm ob eam, quam diximus, causam, sed quia cogerentur *homines & militare & bella pro tutanda patria gerere, quòd utiq; ante Augusti tempora accidit. Accedit etiam, quod ut superiori tempestate inter Lacedæmonios fuerat & Athenienses bellũ susceptum, sic esset necesse, ut cæteri se invicem oppugnarent. Quocirca, qui fieri poterat, ut tranquillior hæc Christi doctrina*, quæ nec inimicos quidem vindicare injurias sinat, *diutius permaneret, nisi passim universa fuissent ob Iesu adventum ex turbulentissima illa dissensione in concordiam revocata.* Origenes putat, quia Christi doctrina non permittat bella, eam in Christo, tempore Augusti Cæsaris nato, publicatam fuisse, ut tranquillato orbe & facilius propagari, & altius passim radices agere posset, nec ob necessitates publicas interdũ cogerentur Christiani bellis implicari. Card. Bellarminus respondet, sententiam Origenis esse, quod Christus bella sustulerit, actu providentiæ, quo orbem sub Augusto tranquillavit, non mandato prohibitionis. Origenes sanè actum cœlestis providentiæ allegat. Videtur tamen innuere, ita providentiam omnia moderatam fuisse, ne contra mandatum bellis contrarium Christiani in bella raperentur. In eandem sententiam quoque *in librum Iosuæ hom. 15.* scripsit. *Nisi bella ista carnalia figuram bellorum spiritualium gererent, nunquam opinor Iudaicarũ historiarum libri discipulis Christi, qui venit pacem docere, legendi in Ecclesiis fuissent ab Apostolis traditi. Quo enim eis bellorũ proficeret ista descriptio, quibus dicitur a Iesu, pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis; & quibus per Apostolũ jubetur, & dicitur, nõ vosmetipsos vindicantes, &, magis injuriam accipite, &, magis fraudẽ patimini. Vnde deniq; sciens Apostolus*, nulla nobis jam ultra bella *esse carnaliter peragenda, sed animæ certamina cõtra spirituales adversarios desudanda.* Si nõ putasset Origenes, a professione Christianismi abhorrere bella, etiã publicâ autoritate pro justitię vindicatione cultuq; gesta, in promtu habuisset aliam rationem, cur priscis Ecclesiæ moribus receptũ fuerit, historias S. in publico piorum cœtu recitare, in

quibus

quibus gentis Israëliticæ bella recitantur, nimirũ, ut etiam Christiani, quibus in publicæ rei emolumentum incumbit militiam exercere & sequi, militandi regulas fidemque discerent. Atqui Origenes mysterium in bellis veteribus quæsivit, ad quorum imitamentum nullà geri inter Christianos debere bella censuit. Et meruit ista sententia in jus Canonicum à Gratiano Compilatore referri, cap. Nisi. caus. 23. q. 1. Hieronymus *epist. 11, ad Ageruchiam Viduam cap. 4. Olim*, inquit, *gloria erat, illum audire versiculum, Psalm. 143. Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ, & videas filios filiorum tuorum: nunc de continentibus dicitur, 2. Cor. 6. qui adhæret Domino, unus spiritus est. Et Ps. 61. Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Tunc oculum pro oculo: nunc verberanti maxillam, præbemus & alteram. Illo tempore bellatoribus dicebatur, Ps. 44. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Modo audit Petrus, conde gladium in vaginam suam, qui enim gladio percutit, gladio morietur. Hæc dicimus, nõ separantes legem & Evangeliũ, ut Marcion calumniatur, sed unum atq; eundem suspicientes Deum, qui pro varietate temporum atque causarum, principium & finis, serit, ut metat, plantat, ut habeat, quod succidat, jacit fundamentum, ut ædificationi, consummato seculo, culmen imponat.* Sic Hieronymus bellum V. T. licitum, in N. T. illicitum judicat. Card. Bellarminus, ut medicinam loco adhibeat, ait: *Hieronymum velle dicere, in T. V. bella fuisse imperata à Deo necessaria ad terram promissionis capiendam & conservandam, in T. N. non esse imperata bella, sed potius Pacem, quia ad regnum cælorum acquirendum non sunt arma necessaria.* Sed vereor, ut emplastrum vulnus tegat. In eandem sententiam loqui videntur etiam alij. Atque ejusmodi antiquitatis Ecclesiasticæ pronunciata occasionem dederunt *Desiderio* ERASMO *Roterodamo* asperius de bello sentiendi & scribendi. Sic sanè *in Annotat. Major. ad Luc. 3, 14. Mihi*, inquit, *non admodum probatur, quod quidam ex h. l. probare nituntur bellum. Quasi verò Iohannes hæc dixerit Christianis, ac non potius Ethnicis, aut certè profanissimis Iudæis, si qui tamen Iudæi meruerunt unquam sub Ethnicis, aut hoc egerit, ut præscriberet, cujusmodi deberent esse milites, ac non illud potius, ut qui pessimi essent, inciperent esse minus mali. Notat id eleganter Theophylactus, Turbas, inquit, hortatur, ut aliquid boni faciant, h. e. sua impartiant, Publicanos autem ac milites, ut desistant à malis. Neque enim* capa-

capaces illi erant, neque quicquam boni facere poterant, ſed ſufficiebat eis, non facere malum. Ita Theophylactus. Miles enim, qui ſpoliat injuſtè, ne miles quidem bonus eſt, tantum abeſt, ut ſit vir bonus. Sic enim undique præparabat viam Domini. Alioqui qui potuiſſet Iohannes ab illis extorquere militiam, cum Chriſtus à Iudæis non extorſerit ceremonias & ſuperſtitionem Moſaicæ legis, & hominum conſtitutiunculas? Quis negat, Iudæis permiſſum fuiſſe bellum? Sed iiſdem, quibus permiſſum fuit odium inimici. Bellaſſe Iudæos legimus. Stipendiis meruiſſe ſub alienis ducibus non legimus. Bellabant Iudæi, ſed juſſu numinis. An ob id volumus Chriſtianos contra Chriſti juſſum belligerari? Imò ferrum & lanienam habere venalem? Gregorius negotiationem inter eas artes poſuit, ad quas à baptiſmo non ſit fas redire, & nos homines facinoroſos, qui quavis mercede pellecti advolant ad bellum & cædem Chriſtianã, imò ſi deſit conductor, ultrò erumpunt, inter Chriſtianos habemus, & hoc Evangelico patrocinio tuemur? Similia diſputat ad Luc. 22,36. cum inquit: *Nec iſti me vel tantulum movent, qui nolunt jus belli principibus adimi. Quo modò nunc bellent Principes non libet meminiſſe: neque neceſſe eſt, hoc illos docere, quod ultro nimis acriter agunt? Si tamen hoc bellare eſt, ac non potius in perniciem populi inter ſe colludere, & bellorum prætextu ſuam conſtabilire tyrannidem. Illud non fero, nos hujuſmodi dogmata in Chriſtum autorem referre. Si quid habet humana vitæ neceſſitas, ut habet multa neceſſaria mala, quemadmodum ait ille, ſi quid condonatur craſſæ multitudini, quid hoc ad cæleſtem Chriſti Philoſophiam? Ille de cælo venit, ut doceret cæleſtia. Craſſa hæc aut velut ignoravit, aut reſpuit, aut neglexit. Non agnoſcebat Cæſaris imaginem. Rejicit eum, à quo rogabatur, ut eſſet arbiter dividendæ hæreditatis. Adulteram mulierem nec abſolvit, nec damnat.* Et poſt quaſi correcturus ſententiam ait: *Neque verò cum hæc dico, jus adimo Principibus gerendi belli, modò Chriſtianè geratur. Laudantur & Ambroſio Cæſares, qui ſe pro tuenda Chriſtiana tranquillitate adverſus barbaros ceu murum oppoſuere, & tamen idem negat, hoc eſſe puritatis Evangelicæ, quam hic ſuos docet Chriſtus. Sed quid hæc ad nos, qui Sacerdotes ipſi ſine fine belligeramur, idq; pro imperio, pro præda, pro mundana gloria? Quid hæc ad Chriſtianos Principes, qui per ambitionem, iram, avaritiam, aut alium privatum affectum ſine fine miſcent orbem terrarum tumultibus? Quid ad hæc bella, quæ tanta cum iniquitate, ne dicam immanitate gerun-*

geruntur, ut crebrò minus malorum sit ab hoste, quam à pugnatore. Et rursus postea: *Quod si quis me urgeat, ut pronunciem, utrum in totum existimem bellum interdictum Christianis, an non, prius rogabo percontatorem, ut mihi respondeat, quid senserit S. Martinus, cùm diceret, donativum tuum militaturus accipiat, ego Christianus sum, mihi pugnare non licet. Deinde quid præter alios orthodoxos Veteres D. Hieronymus, qui toties damnat bellum inter Christianos. Quod si non dignabuntur respondere, dicam viris Apostolicis non convenire bellum, nec religionem Christianam armis tantùm esse propugnandam, nec Principi ullum bellum suscipiendum, quod aliquo pacto queat vitari & susceptum quam minima poterit sanguinis jactura gerendum, & quam potest ocyssimè finiendum. Denique hanc ipsam functionem non esse puritatis Evangelicæ, nec hoc jus ex Evangelicis præceptis esse petendum. Multa conceduntur, quæ non docet Evangelium, ut jusjurandum & lites forenses.* Conferatur idem *in epistola ad Volsium Enchiridio Christiani militis præfixa.* Erasmum autem castigavit prolixè SIXTUS Senensis Dominicanus *in Biblioth. sanct. lib. 5. Annot. 156.* & post eum CARDIN. BELLARMINUS loco nominato. At enimverò ista veteris Ecclesiæ autoritas non solùm veteres Anabaptistas, sed etiam interpolatos, quos Socinianos seu Photinianos nominant, eò perduxit, ut bella Christianis planè interdicta esse censuerint. Ipse FAUSTUS SOCINUS *in libr. quod Evangelici se Photinianis adjungere debeant, cap. 3.* hac de causa ita ait: *Mirum est, quod Evangelici tunc potissimum humanum sanguinem fundere populo Christiano permittunt, vel potius præcipiunt, cùm maximè homines verè Christiani non alienum, sed suum sanguinem fundere, idque non armis carnalibus præliando, sed spiritualibus tantùm armis, hoc est, fide, patientiâ, constantiâ, spe, utendo, parati esse debent: tum videlicet, cùm divinæ veritatis hostes nolunt illis permittere, ut Deum & Christum purè colant, sed vi & armis illos ad impios cultus adigere volunt.* Socini discipulus nominatissimus CHRISTOPHORUS OSTORRODUS Goslariensis in Institut. Christianæ religionis Germanicis cap 27 num. 4. pag. 177. ad Patrum hunc consensum digitum etiam intendit, cùm ait: Was die Frag betrifft/ nemlich/ob das kriegen einem Christen frey vnd erlaubt sey/ bekennen wir/ daß es eine schwere Frag sey/ welche vielen Gottsfürchtigen vnd gelehrten Leuten je vnd allwege viel zu-

schaffen gemacht. Dann es etliche darfür gehalten / daß der Krieg einem Christen nicht verbotten sey: etliche aber das contrarium oder das Gegenspiel. Vnd obwol die ersten die meisten Stimmen haben / so wol bey Gelehrten / als bey Vngelehrten / so haben doch auch die andern nicht wenig Gottsfürchtiger vnd gelehrter Leut allwege gehabt / die jhre Meynung approbirt haben / sonderlich in der Kirchen / die bald auff der Apostel Zeit erfolget ist / vnd die Patres, wie man sie heisset / seind fast alle in der Meynung gewesen. Augustinus, der sich wol ansehen lässet / als ob er den Krieg concedirte oder zugebe: Jedoch ist er mehr ad contrariam sententiam, das ist / zur Gegenmeynung geneigt. Dann er es außtrücklich dafür hält / daß kriegen mit Christlicher Vollkommenheit streite / vnd mit jhr nicht überein kommen könne. Zu vnsern Zeiten seind viel tausend / die den Krieg für vnchristlich halten: Vnd ob es wol gemeiniglich Idioten vnd vngelehrte Leute seind / vnd derhalben von den Theologis veracht vnd für Schwärmer gehalten werden / nach den Worten Johan. 7, 49. Das Volck / welches das Gesetz nicht verstehet / ist verflucht: So seind doch auch vnter den Gelehrten etliche vortreffliche Männer zu vnsern Zeiten gefunden worden / die den Krieg gantz vnd gar improbirt / das ist / nicht für recht vnd gut gehalten haben / vnter welchen war Erasmus Roterodamus, vnd Ludovicus Vives, wie auß jhren Schrifften klärlich zu sehen ist / sonderlich auß deß Erasmi. Wir geben denen beyfall / so den Krieg improbiren / das ist / nicht für gut halten / ob wir wol wissen / wie viel diß für den Kopff stossen wird / die wol vmb dieser vnserer einigen Meynung willen die gantze confession selber verwerffen solten. Dann es wird sie düncken / daß diese vnsere meynung das vnterste oben kehre / vnd allerdings eine confusion oder Vermischung anrichte. Was sollen wir aber thun? Wir können nicht wider vnsere conscientien entweder etwas reden / noch verschweigen: Sintemal es vmb den Gehorsam oder das Gebott Christi / vnd consequenter oder folgig vmb die ewige Seeligkeit zu thun ist. Gern wolten wir einen Mittelweg halten / vnd nichts allzu gnaw spannen / damit wir alle Menschen zu dieser heilsamen Warheit / die vns Gott auß Gnaden geoffenbaret hat / bringen möchten / wanns nur geschehen köndte ohne verletzung der Göttlichen Warheit / welcher alles zu weichen schuldig ist. Sintemal man mehr Gott / dann den Menschen gehorsam

horsam seyn muß. Wers fassen kan / der fasse es. Et paulò post p. 180. inquit: Mitler weil sagen wir / ob wir wol niemand bald / der diß anderst dann wir verstehet / verdammen (sintemal diß nicht so klar scheinet / als wann man von vitiis oder Lastern handelt / welche außtrücklich in heiliger Schrifft verbotten seind) daß ein jeglicher acht habe auff seine Conscientz / vnd wol zusehe / was er mache / nemlich / daß er nicht vnterm schein / als wann er mit gewissen rationibus vnsere Meynung anzunemen abgehalten würde / seines Fleisches gute Ruhe finde / vnd andere jrrdische commoditates oder gute Gelegenheit suche &c. Ita OSTORRODUS. Prolixè hoc negotium exequitur alter Socini discipulus Valent. SMALCIUS Gothanus, *in respons. ad disput. Franzii, pag. 395. & seqq.* ubi bella gerere indignum Christianâ pietate esse contendit. Valentinus WEIGELIUS fanaticorum Princeps *in postill. ad Dom. XXII. Trinit. pag. 329.* Das Himmelreich / das ist / Christi Reich allhier auff Erden / die heilige Catholische Kirche / darinnen gehet es also zu / daß wir alle Vergebung der Sünden bekommen. Wann wir aber hinauß gehen auß der heiligen Kirchen Gottes in die Maurkirchen / das ist / so wir Glieder werden der Menschen Kirchen / hängen vns an die Autoritädt der Prediger / so handlen wir bald als membra falsæ Ecclesiæ, fechten / rechten / kriegen / tödten vnsern Nächsten vmb zeitlicher Dinge willen / wilt du meynen / daß die Gliedmassen der heiligen Kirchen Christi vmb den Glauben vnd zeitliche Güter fechten / O das sey fern / nur die membra falsæ Ecclesiæ, die rächen sich selber / tödten / kriegen / mörden vmb Land vnd Leut / lassen jhre falsche Prædicanten hersagen von Christi Leiden / hören sie beichten / nemen das Sacrament beyde Partheyen / darauff ziehen sie im Namen Christi (ins Teuffels Namen) zusammen / vnd schlagen einer den andern todt. Das seind nicht Gliedmassen der Christlichen Kirchen. Sic ille. Initio motuum Arminianorum in Belgio prodiit Henricus WELSINGIUS Pastor Ecclesiæ S. Martinsdykanæ, edito *F. Socini libello de officio Christiani hominis in controvers.* & Ecclesiæ diligenter commendato, in quo bella tanquam cum Christianismi regulis pugnantia omninò ex Ecclesia eliminantur. *Theologi* LEYDENSES in censura *conf. Remonstrantium cap. 12.* hos etiam notant, quod in explicando officio Magistratus Christiani non explicatè satis edisserant, an capitali supplicio sontes &

bello hostes prosequi possit? Ipsi Remonstrntes seu Arminiani *in Apologia cap. eod. pag. 141.* excusant istam verborum generalitatem, qua quivis defensionis modus continetur, non autem vel suppliciorum capitaliū vel belli vocem usurpatam fuisse in confessione, *quia si qui adeò teneræ aut sic à teneris imbutæ conscientiæ sint, ut credant, Christiano nulli, ne quidem Magistratum gerenti, licere sanguinem effundere, aut capitalibus suppliciis in sontes animadvertere, eos libenter tolerare parati sunt, dummodo secus sentientes non damnent, ut intolerabiles, & manifestè appareat, eos nulla alia causa inductos, ita sentire, quam quia ab animo suo impetrare non possunt, parati interim rationes vicissim dare & audire sine caritatis ruptura, aut fraternitatis renunciatione.* Magnus Politicus & sequiorum opinionum sectator avidissimus Hugo Grotius *in Annotat. ad Matt. 5. pag. 126. & seqq.* bellum in principio defendere videtur: *Si enim,* inquit, *Christi verba moderatam sui defensionem singulis non prohibent, minus obstabunt iis armis, quæ publicâ autoritate pro necessaria totius populi defensione suscipiuntur. Nam quantò pluris est multorum, quàm unius salus, tantò etiam justius propugnatur. Regibus licet uti jure gladij in latronem unum, qui non liceat in plures; qui, ut rei fiant, acie vincendi sunt? Neque sacrarum literarum, etiam novi fœderis, autoritas hîc nobis deest: quanquam vetitum affirmantibus justius incumbit onus probandi.* Et post: *Neque aliter sensisse reperio Christianos veteres. Nam & sub Marco constat Christianos militasse, & Tertullianus non solùm militum Christianorum meminit, sed tantum eorum indicat fuisse numerum, ut castra prope implerent. Origenes quoque ait, apes nobis documentum à Deo datas* πρὸς τὸ δικαίως καὶ τεταγμένως πολέμους εἴποτε δέοι γίνεσθαι ἐν ἀνθρώποις, *ad justa & ordinata bella, sicubi fieri necesse sit inter homines. Quod autem interdum Christianos militiam detrectasse legimus, ideò evenit, quod illorum temporum Imperatores à militibus exigerent, aut expressam à Christo dissensionem, aut tacitam, dicto scilicet sacramento per Deos, vel Imperatorem ut Deum, aut etiam quod propositis contra Christianos edictis quotidie ad ea exercenda manu militari uterentur. Talibus enim temporibus Christiani monebantur defugere militiam, & si qui militarent, à piis cœtibus arcebantur. Neque aliò pertinet, quod in Nicena Synodo constitutum est adversus eos, qui ut semel deposita sub Licinio militia cingulum resumsissent, nempe sub*

eodem Licinio, qui, ut nos Eusebius docet, τὺς στρατιώτας ἐκέλευε ἀποβάλλεσθαι τοῦ ἀξιώματος εἰ μὴ τοῖς δαίμοσι θύειν αἱροῖτο, milites jussit dignitatibus ejicere, si noluerint Diis sacrificare. *Nam ut generaliter de omni militia is Canon intelligatur, historia temporum repugnat. Quippe maior pars exercitus Constantini ex Christianis erat. Et si qui Christiani sub Licinio militiam omiserant, iis liberum fecit Constantinus, an militiam resumere vellent, an à militia vacare. Quod autem militiam interdum dissuadent scriptores, simile est ei, quod de honorum fuga dicitur : partim autem causas habet temporum illorum proprias. Neque verò dubito, quin multò impensius dissuasuri fuerint, si bellorum nostri temporis rabiem, & castra perjuriis, stupris, latrociniis, omni denique vitiorum fluxu inquinata vidissent. Eò ventum est, ut rem magnam videatur miles præstare Christianus, si non veteris & paganæ Romæ militem, ipsos denique Turcas flagitiosis morib. vincat. Longè alii milites sint oportet, cum quibus ex Evangelio agamus.* Postea certis conditionibus circũscribit licentiã militaris professionis. Tandẽ subtimidè concludit, tanquam id, quod pronunciavit, inficiaturus. *Rident hæc multi, & negant, Rempubl. sine injuria geri posse: sua retinere privatæ domus, de alienis certare regiam aiunt esse laudem, qui alios perdere possit, eum perdendũ esse in tempore: nihil injusti in eum, qui, quod justum est, recuset, quæque alia sunt in eam formam. Dicant quod velint, & ubi solitudinem faciunt, pacem appellent. Ex illorum scitis, quæ verè scripta sunt humano sanguine, Rex ille pacis de genere humano non judicabit. Imò potius* id potius vereor, ne in hac tractatione in eam partem, quæ bello nimium indulget, *fuerim æquo pronior. Quare sciat Lector,* non definiendi animo *hæc à me dicta, sed ut verum diligentius inquiratur. Interim suadeo omnibus, injuriam ferant potius, quàm humanum sanguinem quamvis nocentium fundant, & illius dicti sæpe meminerint, quod dubitas, ne feceris.* Sic Grotius post ea non tantùm, quæ superius commemoravimus, sed & illa, quæ latè, de Jure Pacis & Belli libris, pluribus commentatus est, nihil definit, in suspenso & ulteriori indagine relinquit omnia. Nimirum Socinianos suos offendere noluit, quorum alibi sæpissimè aut placitis adhæréscit, aut interpretationibus adstipulatur.

Quicquid sit de nutantibus vetustatis pronuntiatis, nobis ex immota sempiternæ veritatis regula constat, bellorum negotia veræ in DEUM pietati non adversari, si ea & justa causa tueatur, & administrationis dexteritas. DEUS non semel bella præcepit. DEUS heroas ad bella incitavit, pro salute Ecclesiæ gerenda. DEUS bellis leges proposuit. DEUS bellicas artes, singulari spiritus sui concessione prosperat. DEUS victorias admiranda felicitate dispensat. DEUS non rarò bella sua vocat, & suæ gloriæ adminicula usurpat. Sapienter Johannis Præcursoris ad milites responsum, quod in annalibus sacris B. Lucas cap. 3. vers. 14. assignat, Aurelius Augustinus ponderat, cum Marcellino *epist. 5.* scribit: *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus, consilium salutis petentibus, in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque militia omninò subtraherent. Dictum autem est eis, neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium Vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcipit, militare utique non prohibuit.* Rursus cum Fausto Manichæo congressus *lib. XXII. c. 74.* sic ex pronunciato Baptistæ ratiocinatur: *Nisi bella à bonis suscipi possent, Iohannes cum ad eum baptisandi milites venirent, dicentes, & quid nos facimus, responderet eis, arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite neminem. Sed quia sciebat, eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondet eis, neminem concusseritis &c.* Atque inde ex historia sacra sese exerunt Veneranda Nomina, cœlis adscripta, & æternitati consecrata, quorum vita bellis gloriosa fuit, Abrahami, Mosis, Josuæ, Judæ, Othonielis & aliorum, quos C. XI. in Catalogo fidei nostræ Antecessorum extare voluit, qui ad Hebræos scripsit mysticam planè epistolam. Neque antiquitas sacrorum post Apostolos scriptorum semper in bella ita stilum strinxit. Ipse *Tertullianus*, cum inutile Christianorum genus ad munia Reipublicæ ipsumque adeo bellum criminarentur Gentiles, *in Apologetico adversus gentes* ita *capite quadragesimo secundo* scribit: *Alio quoq; injuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes, ejusdem victus, habitus, instructus, ejusdem ad vitam necessitatis? Neque enim Brachmanæ, aut Indorum Gymnosophistæ sumus, sylvicolæ &*

exules

exules vita. Meminimus gratiam nos debere Domino Deo creatori, nullum fructum operum ejus repudiamus. Planè temperamus, ne ultra modum, aut perperam utamur. Itaq; non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris cæterisque commerciis cohabitamus in hoc seculo. Navigamus & nos vobiscum, & MILITAMUS, & rusticamur, & mercamur, proinde miscemus artes, opera nostra publicamus usui vestro. Idem superius cap. XXXVII. *Si*, inquit, *hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset ne nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantacunque, unius tamen loci & suorum finium, gentes, quam totius orbis? externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, CASTRA ipsa, TRIBUS, DECURIAS, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non promti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere?* Sic Tertullianus Christianos etiã in militari ordine constitisse commemorat. Cyprianus laudat milites Christianos, cum Celerinum Martyrem commendat epist. 34. seu lib. 4. ep. 5. *Nec rudis iste aut novus est in Celerino carissimo nostro titulus gloriarum. per vestigia cognationis suæ graditur, parentibus ac propinquis suis honore consimili divinæ dignationis æquatur. Avia ejus Celerina jam pridem Martyrio coronata est: item patruus ejus & avunculus Laurentinus & Ignatius, in castris & ipsi quondam secularibus militantes, sed veri & spiritales Dei milites, dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas à Domino & coronas illustri passione meruerunt.* Gregorius Episc. Nazianzenus *Orat. XXI. quæ est Apologia fugæ pag. 411. edit. Leonclav. Melius & optabilius est egregium bellum Pace impia & à Deo distrahente. Idem Orat. 5. de Pace, ed. d. pag. 311. Quanquam*, inquit, *dictum illud Salomonis laudem, qui ut cæteris rebus omnibus, ita bello ac Paci quoque tempus suum, quasi lege quadam, præscribit, hoc tamen unum adjiciam, esse tempus quidem utriusque observandum, quando secundum legem & sententiam ipsius etiam bellum nonnunquam præclarè geritur, sed quamdiu liceat, potius ad Pacem inclinandum. hoc enim & sublimius & divinius fuerit.* Johan. Chrysostomus *hom. 7. in 1. ad Timoth. Tria sunt bellorum genera graviora, unum quidem commune, hoc cum exercitus nostri adversus barbaros pugnant.*

Secun-

Secundum, cum etiam Pacis tempore nos invicem oppugnamus. Tertium, cum unusquisq; adversum se bella seditionesq; concitat, hoc autem omnium acerbissimum bellum est. Nam profectò bellum, quod excitatur à barbaris, nihil fere nos lædere potest. Idem in Johan. 2. de nuptiis. *Militiam prætexis, & dicis, non possum esse pius? Centurio nonne miles erat, nihilque nocuit illi sua militia.* Clarissimè Ambrosius sermone VII. *Non militare delictum est, sed propter prædam militare peccatum est.* Et de officiis *lib. 1. cap. 27. Fortitudo, quæ vel bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitia est.* Pro qua bellicæ fortitudinis justitia pluribus disputat passim cum Manichæis Aur. Augustinus, sicut jam ante commemoravimus. Ep. 102. ad Bonifacium, *Noli putare*, ait, *neminem DEO placere posse, qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium, qui inquit,* Benedictus Dominus DEUS meus, qui docet manus meas ad prælium. *In his erant illius temporis plurimi justi. In his etiam erat ille Centurio, de quo inquit Christus,* in Israël non inveni tantam fidem. Salvianus Massiliensis Episc. *de gubernat. Dei, lib. 7. Audiant hæc omnes improbi, audiant præsumtuosi, audiant præpotentes, audiant spem suam in homine ponentes. Si quando nobis prosperi aliquid* (in bellica expeditione) *præter spem nostram & meritum Deus tribuit, alius adscribit hoc fortunæ, alius eventui, alius ordinationi Ducum, alius consilio, alius Magistro, alius patrocinio, nullus Deo. Et miramur, si nobis cœlestis manus aliqua non præstet, cui quicquid præstiterit derogamus? quid enim aliud facimus, cum dona, quæ præstat, nos vel eventibus casuum, vel virtutibus Ducum, vel quibuscunque aliis rebus frivolis deputamus!* Sic Salvianus.

Atque ita, Illustris & Generose Domine, militia sese contra nonnullorum sive meticulosa, sive temeraria judicia, ex summa actionum nostrarum norma sacra scriptura, & antiquitatis emendatioris suffragiis tuetur. Ita autem consistet inter licita firmandæ & conservandæ Reipublicæ remedia, si finem suum spectaverit. Finis verò bellorum PAX est. Neque enim belli causa Pax est, sed Pacis causa bellum. Ubi bellum ex bello trahitur, bellum bello innectitur, & bellandi ferocia quandam perpetuitatem meditatur; jam exuit illud ipsum, quo se coram DEO excusat. Si verò ad Pacem contenderit,

jam

jam suum decus habet. Sic enim ita gubernabit universos actus suos, ut quia in PACE frui patria cupit, in ipsa contentione sua eam sartam tectam conservet. Sic nemo, qui Pacem meditatur, eorum conculcabit bellando Majestatem, quorum in PACE tutus patrocinio volet esse. Sic nemo sub bellorum licentia maculabit conscientiam atque famam, quam PACI inclytam & inculpatam sistere conatur Sic qui de posteritate in PACIS commoda felicitatemque collocanda sollicitus est, ita se & istam formabit in bello, ut & ipse mereatur florentes in PACE habere posteros, & illi in PACIS candore tuti sunt. Ubi exuuntur arma, discinguntur gladij, tormenta seponuntur, litui & tympana silent, ibi leges loquuntur, justitia suum vibrat ensem, clarius emergunt, quæ intra aciem condensatam, aut latitarunt, aut tentari non potuerunt. Inter opifices & artifices iners atque ineptus habetur, qui ad operis consummationem non omni laborum exquisitorum contentione festinat. Quid architectus, si semper ædificet, nunquam verò sistat ædificium ad eam commoditatem deductum, quæ usibus humanis desideratur? Frustra in adornando horologio laboratur, si nunquam ipsum ad temporis distinctionem perficiatur. Sic bella frustra geruntur, nisi Pax emergat.

Atque ad hanc bellorum Germanicorum, quibus simul orbis concussus fuit, diuturna circumrotatio pertrahenda fuit. Videbantur æterna futura: adeò ubi desitura ea opinabamur, initium sumserunt sævius. Fecit Sapientia *Augustißimi Imperatoris, Christianissimorum Regum, Procerum cordatißimorum*, ut frena PACIS injicerentur nimium lascivientibus. Prætervecta sunt limites suos & decus divinitus requisitum perdiderunt. PAX timebatur à pluribus, à paucis, qui bello manus suas vendiderunt, optabatur. Hinc vastitas Patriæ nostræ tanta illata, cujus pudebit reditura Pace plurimos. Nunc ita circumstrepentibus belli furoribus & horroribus obsurdescimus & occœcamur, ut ad mala, quæ passi sumus, securius respiciamus. Ubi cessabit castrensis iste strepitus, accuratius lustrabimus singula. Ibi indignari, stomachari, & torvum tueri incipiemus adversus illos, quos meminimus calamitatum nostrarum autores aut ministros fuisse. Mitiores, Pacis beneficio læti, DEO committent vindicandi opportunitatem, inde damnorum reparationem suppliciter precati,

):( ):( ):(unde

unde pœnarum ista dispensatio primitus facta est. Quanquam satis ulti erunt, qui conscientiam famamque in bello fœdarunt, si eos Respublica velut eversionis suæ instrumenta perpetuo notabit. Nec minus opprobrium manebit illos, qui idem pennis conati sunt, quod illi bipennibus. Qui virulentissimis & scrupulosis scriptiunculis PACI adversati, magnatum animos ad bellum inflammarunt, à PACE absterruerunt. Pudebit uti illos fecisse, ita hos scripsisse, quæ evertere Patriam poterant, nisi altior eandem manus sustentaret. Inter quos eminet, facinore magis quam nomine, ERNESTUS de EUSEBIIS, *civis Romanus.* Publicavit ille, inter extremos tot gravissimorum clarissimorumq; VIRORUM conatus adornandæ Pacis, *Judicium Theologicum*, de Quæstione, *An Pax qualem Protestantes desiderant sit secundum se illicita*? & ait illicitam esse, *quia, quotquot eidem cooperantur, miscent sese hæreseos & patrocinio & propagationi & infamiæ & turpitudinibus cæteris, inferunt injuriam DEO Creatori & veræ Religioni, caussantur multarum millium animarum perditionem, quas sub impunitatis privilegio Diabolo oppignorant, utuntur potestate incompetente, faciunt contra officia, quæ divinitus acceperunt sanctissima, contra juramenta, quibus DEO & Ecclesiæ obstricti sunt, in pericula sese conjiciunt longè majora, quam quæ bellum, quo liberari cupiunt, secum adferre queat, imò quia ejusmodi Pacis sanctio fœdior sit quovis mendacio & à sanctissimis Veteris Ecclesiæ placitis factisque longissimè recedat.* Contendit denique bello ulterius grassandum esse, *si vel maximè res eousque devolvatur, ut regnum suum DEUS à Germanis auferat, & det genti facienti fructum illius!* Videbantur istæ disputationes parum tetigisse pectora cordatissima, quæ Reipublicæ cura compleverat & tot desideriorum Pacis vigor. Et notabantur gravia atque acerba verba, quibus ad claustra & malè somniantium atque diu jam Reipublicæ gravium subsellia relegabantur. Nihilominus in secreto judicij illius vis sentiebatur, & conscientias nonnullas præceps audacia territabat. Censuere, respondendum esse malè de bono publico judicanti, qui ejus rationes penitius exploratas habent. Quia Theologicum vocabatur, ad me tandem inopinata devolutione ferebatur. Sumsi onus respondendi ægrè, non quod tanti videretur Ernesti judicium, sed quod tot Clarissimis Nominibus exactius quidpiam deberi existimarem, quam à me in ea

con-

conditione posito, in qua tenui præsidio ingentes labores tolero, nunc proficisci poterat. Sumsi tamen, JESU meo propitio, & ita quidem respondi, ut, quod monendum videbatur, multa indulserim in adversarij hypothesibus. Longior fuisset disputatio, si singulas ex sensu nostrarum Ecclesiarum discutere voluissem, nec fortassis satis opportuna. Nunc cum è prælo, me servilibus etiam laboribus fatigante, festinet opusculum ad publicam lucem, nolui ei deesse πρόσωπον τηλαυγές. Non aliunde autem commodius accersere poteram, quàm à Generositate Tua, Vir Magnanime. Belli sapienter fortiterque gesti gloria totus circumfusus es. Regum maximorum virtutibus tuis devinctam fecisti clementiam. Immortalis gloriæ GUSTAVUS ADOLPHUS, *Suecorum, Gothorum, Vandalorum Rex*, fortitudine tua nixus, honoribus atque elogiis compensavit illustria merita tua. Christianissimis Galliarum Regibus animi tui dotes adeò visæ sunt inclytæ & memobiles, ut majoribus præmiis regno devinciendæ viderentur. Hinc inter *Campi Mareschallos* te collacarunt & præfecturam militiæ Germanicæ Tibi demandarunt, & planè singularibus documentis orbi notũ fecerunt, quantum Te niterentur. In eo jam fastigio positus, optimè de BELLO ejusque sive vitiis sive defectibus judicare potes, ac proinde intelligere, an satis bellatum sit, an cum decore commodoq; Reipublicæ bellum produci posset longius, an verò denique seriò de Pace cogitandum? Intelligis, Vir Illustris & Generose. Neque inter eos es, qui bellum perennare amant. Retulisti consilia atque victorias tuas ad Pacem. Hinc ita moderatè bellum administrasti, ut si tuo voto res universa respondisset, dudum pacificum esse potuisset. Gubernavit tua consilia amor veræ Religionis & Patriæ. Utramque toto animo complexus, non potuisti à Te impetrare, ut quicquam admitteres, quod alterutri perniciosum esset. Cogitasti PACEM, & inter desideria habuisti, in Pace tandem cum tripudio videre, quantum ad egregium publicum labores Tui profecerint. Illis utique totus instructus es dotibus, quibus ita in PACE Rempublicam illustrare poteris, ut in BELLO eam defendisti. Desideras omninò in Pace videre familiam & posteros tuos, quos, velut instrumenta daturos boni seculi, ad egregia quæque educas. *Venerandum Senem, Socerum Tuum, Virum Generosæ nobilitatis, doctrinæ omnigenæ, pietatis commendatissimæ,*

Dn. Johan. Bernhardum à Mentzingen &c. restitutum avitis bonis & tranquillitati publicæ, antequam orbi honorandam suam canitiem, infinitis in Patriam meritis decoratam, subducat, optas. Itaq; PACE tibi nihil erit prius, nihil antiquius. Neq; hic meus pro PACE labor ingratus erit. Debebatur Tibi, *Illustris & Generose Vir*, præter publicas caussas etiam privatis rationibus. Immeritum me, amoris Tui testificatione jam dudū dignatus es. Ex familia Tua multis amoris maximi significationibus prosecutus est me Dn. SOCER Tuus, qui multoties auditorio nostro splendorē conciliavit præsentia sua. Et jam ante duodecim & quod excurrit annos in meo convictu voluit esse Nobilissimos Filios suos, *Dn. Affines Tuæ Generositatis, Dn. Ernestum Fridericum & Dn. Iohannem Ludovicum à* Mentzingen/ Dominos meos honorandos, qui inter circumfusa Dn. Parentis & Dn. Affinis exempla atque decora in studiorum, peregrinationum & tyrociniorum militarium profectibus eò usque nunc excreverunt, ut doceant passim, è qua familia sint oriundi. Debebam, inquam, aliquod tandem edere monumentum, quod me tantæ familiæ gratum testaretur, & obligatum deinceps profiteretur futurum.

Accipe, quod offero, VIR ILLUSTRIS & GENEROSE, serena fronte, gratiosâ manu. Timet ipse æternitatem nominis Tui virtutibus illustribus condidisti. Ego Votis prosequor. Faxit DEUS, ut quâ facie, qua gloria dudum bellum spectabas & moderabaris, ea Pacem respicias & exhilares. Scribebam ARGENTORATI, XX. Novemb. M. DC. XLVII.

Illustris Generositatis Tuæ

Observantissimus

Joh. Georg. Dorscheus D.

Reverendo admodum & Amplissimo

VIRO

Dn. JOHANNI GEORGIO DORSCHEO,

SS. Theologiæ apud Argentoratenses Doctori, & Professori publico &c.

Quum tubam Pacis, opus laudatissimum, ederet.



Actenus insanum quatiit Bellona flagellum,
Atque orbi leges Martis alumna dedit;
Et nostro tantùm jam purpura rubra cruore
Extulit horrenda pallida signa necis;
Sat monstris, iraque datum est! Procul ite furores,
I pavor, & matrum longus in ore dolor!
Aurea pax nostros tandem solare labores:
Pax toties votis ingeminata piis,
Regredere, & mundi proclives siste ruinas,
Labereq; è cælo filia pulchra Iovis.
Iampridem Osnabruga attentum detinet orbem,
Alteraque alternis jam schola facta dolis,
Dum longas nectens discors concordia rixas
Militat, & causis sævit acerba suis;
Hinc opibus mens agra, & inexsaturata cupido
Fortunæ ingentis nescit habere modum,
Regnandique superba sitis nova sceptra frementum,
Quos juvat, & gratis pœnitet esse malos:

Illinc Romam odiis furor immortalibus armans
    Libera ferali subdere colla jugo:
In medio Mavors curru sublimis eburno
    Victo quadrijugis orbe triumphat equis,
Hunc circum alecto stygiis impexa cerastis,
    Vipereumque soror cincta Megara caput,
Atque umbræ, larvæque sedent, artesque nocendi.
    Personatus amor, & simulata fides.
Pro superi! didicere novos jam fata furores,
    Plus bello infames pax trahit ipsa moras.
Parvum est, certavisse armis, certamus & astu,
    Nequitiâ, insidiis, crimine, fraude, dolo:
Innocuum tandem cives absolvite ferrum,
    Nullum in nos insons lamina crimen habet.
Aurum est, quod requiem, quod secli fata moratur,
    Et miseram æternis cladibus urget humum;
Nosque ipsi fatalem homines duramus in iram,
    Et turba in lites ingeniosa sumus,
Pars nostrum quotacunque hodie non otia pacis
    Exigit à cœlo, quæ negat ipsa sibi?
Imus & ignavis consumimus æthera votis,
    Quamque datam abnuimus, sollicitamus opem.
Usque adeò insani populos rapit ambitus æstus,
    Et necis humanæ non saturanda fames.
Respice jo fessum, Cæsar, tot fluctibus orbem,
    Et damna arbitrio tot moderare tuo;
Relligio captiva sacras suspirat ad aras,
    Et gemit indigno pressa rigore fides;
Hæc nostras infringit opes catapulta, tuasque:
    Hæc tanti fax est materiesque mali.
Solve tuos populos, & Christi sacra professos,
    Cætera Cæsarea sceptra capesse manu.
Saltim ne frenare animos neu cogere tentes,
    Cogere quam partem noluit ipse Deus:
Ringatur furor, & cæcas exasperet iras,
    Sacrilego livor prælia dente fremat,

Carni-

Carnificesque acuat calamos, & toxica linguæ
Fulminet; in Domini mox reditura caput.
Hîc nobis, DORSCHEE, *prais, sacroque duello*
Pacificam dignè præcinis ore tubam.
Et post tot laudata pii monumenta laboris,
Nec simplex veræ relligionis opus,
Postque, quod æternum meritis tibi vindicat ævum,
A fati exemptum conditione decus;
Nunc tandem civile nefas, & crimina damnas,
Sævaque sopito prælia Marte fugas,
Principibusque piæ ramum prætendis olivæ,
Et renovas nutu secula nostra tuo;
Nec te Roma fremens, nec fulmina cæca morantur,
Vt redeat terris, te duce, tuta quies!
Quantum est, posteritas, ut pacem atque otia quisquam
Conciliet mundo, surripuisse sibi?

f.

Vitus Bering.



JACO.

JACOBUS SPIEGELIUS JC.

CAROLI V. & FERDINANDI I. Impp.
Consiliarius & Secretarius

In suo ad Gunther. Ligurin. Comm. lib. 3. apud
Iust. Reuber. pag. 223.

Sunt & hodie, quia, ut non suadent, ut cuiquam per vim & tumultum, quod possidet, adimatur, ita putant, si DOMINUS hanc mentem impertiret Ecclesiæ Ministris, ut sponte ditionem mundanam abjicerent, nihilo peius habituram religionem Christianam, & ipsis non paulò plus accessurum tum quietis, tum dignitatis.

ANTICRI-

ANTICRISIS THEOLOGICA,

Opposita


JUDICIO THEOLOGICO,

Super

QUÆSTIONE,

An pax, qualem Protestantes desiderant, sit secundum se illicita?

PROOEMIUM.



DUm Christiani orbis Proceres destinatis legationibus consultationibusque gravissimis pacis restaurandæ bono invigilant, & Germania tot annorum fatigata latrociniis tranquillitatem sperat, & optimus quisque felicitatis imminentis dulcedinem sibi gratulabundus proponit, & miser popellus extrema miseriarum passus finem deniq; sibi pollicetur, & hoc omnium preces à DEO OPT. MAX. petunt, ut gladij in ligones & hastæ in falces mutentur, subito exurgit quidam sub velo Ernesti de Eusebiis, civis Romani, qui sumtibus & typis Theodosij de Sicecela Armona excusum publici juris facit judicium theologicum, super quæstione, *An pax, qualem desiderant Protestantes, sit secundum se illicita?* aitque, *illud esse ex principiis Christianis, sententia Veteris Ecclesiæ, summorumque Pontificum deductum, iis, qui publica tractant, conscientiam suam curant, aut alienam dirigunt, lectu utile ac necessarium.* In quo concussis pacis Passaviensis, Augustanæ, Pragensis stabilimentis præcipuis, reprobatis Imperatorum Statuumque decretis, Consiliorum theologicorum &

politicorum rejectis momentis, illis circumscribit transigendi licentiam limitibus, quibus positis controvertentes nunquam ad exoptatam pacem coibunt. Equidem, ut sapienter Johannes Chrysostomus *homil.* 8. *ad Rom.* loquitur, *cum omne bellum perniciosum, tum imprimis intestinum.* Hinc nota est imprecatio adversus eos, qui movent bella civilia apud Homer. *Iliad.* 9.

Αφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος ἔστιν ἐκεῖνος
Ος πολέμου ἔραται ἐπιδημίου, ὀκρυόεντος.

Exclusus sit ab omni societatu honestæ communione, à legibus eorumq; patrociniò à sacrorum participatione & ab omni communi jure, qui civilia bella expetit. Illud intempestivis suggestionibus alere, quanta immanitas est. Oportet itaque graviter fundatum esse judicium, quod sub pietatis prætextu tot desideria eludere, tot decreta elidere satagit. Quantum temporis periit, quantum sumtuum, si aliter judicandum est. Præliminaria tractatuum unum alterúmve annum consumserunt. Cur non tunc prodiit judicium, & limites transigendi designavit? Intereane demum sese, in re non satis explicata, ex difficultatibus extricavit Armonensis Sicæcelator? Quæ ista tarditas consulendi pro bono publico? respondendi pro conscientiarum tranquillitate? pro libertate Ecclesiæ, proque privilegiis Rom. Pontificis pronuntiandi? Sed condonemus Zelatori istam cunctationem, si nobis rem restituat. Non dubitamus, illi ob oculos versari patriæ communis vastitatem & tot provinciarum cadavera. Neq; putamus illum religionis causa persecutionem probare. DIEGO *de Rojas, oculatissimus Hispanus, dicit, vulgus in eo negotio non aliter quam licentiam sectari, ut possint quantum licet committere etiam pessima facinora, & alios, qui ordinandu reipubl. legibus præsunt ita mandare, aut ut glorienter vanè, quam promtos in suum obsequium habeant, aut quia à Dæmone ita excæcati sunt.* Verba sunt *in problem. en Filosophia Moral.* 15. *Vulgo no mira à otro, que à la licentia, para acometer siempre que puede, qualquiera mala hazannia. Y alcunos de los, que ordenaron Legos, lo mandaron alti, ò per vana gloria de ses obedecidos, ò que el demonio los cegò &c.* Hoc rerum statu istæ excusationes non valent. Seriò agendum est, ut ab interitu vindicemur. Dum videtur Sapientibus, per pacis tractatus rem posse confici, quibus antiqua Imperij sanctio Anno Chr. 1555. illustretur, & cæteris querelis finis imponatur, necesse est, à vulgi licentia & vana gloria, aut excæcatione periculosa recedere, & introspicere cœlitus illuminatis oculis in calamitatum diuturnarum causas, in vulnera ejulantium, in pericula circumfusa, in desideria sanctorum, in remedia salutaria, neque apices scholarum & meticulosæ subtilitates consectandæ, quas semper hæsitantes animi in perniciem reipublicæ coquunt, dum nunquam non in scrupulis eunt & in tricis hærent.

Videamus ergò, quid JUDICIUM habeat, quod tantas possit dissolvere lites. Dominus JESUS, pacis autor, pacis princeps sit nobis via, veritas & pax! Sit itaque

SECTIO

SECTIO PRIMA.

§. I.

Generalis hujus pacis idea.



Roponit Erneſtus primum ideam pacis. Ea his continetur capitibus. I. *Vt pax religionis, Anno Chr. 1555. conſtituta, quoad omnes articulos & clauſulas Proteſtantibus favorabiles ſarta tecta in perpetuum maneat & de novo confirmetur.* II. *Eadem pax extendatur ad bona & jura Eccleſiaſtica, quæ poſt & contra illam Catholicis eripuerunt. Occuparunt autem ab eo tempore XX. ſere Eccleſiaſticos imperij Principatus, aliaſque Eccleſias & Monaſteria abſque numero.* III. *ad omnia vel aliqua bona & jura Eccleſiaſtica, quæ hiſce annis Catholici juſto bello recuperarunt, aut judicio, in ſpecie quæ in Palatinatu, reſtituenda.* IV. *ad civitates Imperij, ut poteſtatem reformandi principibus aliiſque ſtatibus parem perpetuò & liberè exerceant.* V. *eadem extendatur ad Calviniſmum, iiſdem conditionibus, quibus illam obtinuit Auguſtana Confeſſio.* *Idea pacis proponitur.*

§. 1. Animadvertimus *in genere*: nondum *de idea* pronunciari poſſe, quia hactenus ideæ pacis ultrò citroq; oblatæ ſunt. Quicquid tamen ſit, ſi vel maximè eſſet, quod durius videretur, non poſſe nos à pacis cogitationibus abducere. Incidit nunc controverſia de LX. pagis in Hungaria Turcæ tributariis factis, de quo *in detect. falſ. orig. mot. Hungaric.* Ceſſit tum Rex magnam regni Hungariæ partem, Pontificia poteſtate ſuſq; deq; habita, reſpectu neceſſitatum, translatis animabus, bonis & denique etiam juribus Eccleſiaſticis. Sed poſt de LX. pagis facta eſt quæſtio. Dicebantur ſolum permiſſi, ut tributo ſuam redimant ſecuritatem. Eo modo à Georgio Turzo plus quam ſeptingenti pagi Turcæ traditi ſunt. Quod autem LX. pagi traditi ſint, inde contigiſſe dicitur, quod *pernicioſa quadam inadvertentia litera Turcica, capitulationes pacis continentes, in plurimis punctis longè aliter ſeſe habuerunt, quam litera Maieſt. Cæſarea, atq; inter alia circa articulum 16. ea utriuſque diplomatis differentia fuit, quod Caſ. Maieſtatis diploma eos ſolos pagos ad Strigonium dedititios permiſit, qui tum tributa pendere ſoliti erant, quando Strigonium à Chriſtianis receptū fuit. Hi verò pagi numero pauciſſimi fuere. Nam durante bello Turcico multi ſenſim pagi à tributaria ſolutione liberati erant. Turcica verò litera, quæ ex amuſſim cum Cæſareis concordare debuerant, longe alium ſenſum referebant: eum nimirum, ut pagi, qui dedititij fuerant, antequam à Cæſare Strigonium occuparetur, deinceps quoque tributa penderent. Cum igitur Turca juxta ſuas ſe literas ſervare pacem velle, nec quid literæ Imperatoris haberent morari, pertinaciſſimè contenderet, pagoſque centum quinquaginta octo, quos antea dedititios fuiſſe exhibitus Regiſtru comprobabat, tunc quoque tributarios facere vellet, ægrè tandem triennali tractatione effectum, ut ſexaginta pagorum tributo contentus eſſet.* Sic ſæpe fit, ut tranſactionibus quædam duriora inferantur, *De ea animadverſiones proponuntur.*

 rantur,

rantur, quam sperabamus. Interim si id imminens necessitas flagitet, toleranda. Et sanè ingenti religionis & potestatis Ecclesiasticæ dispendio cessionem illam factam esse, liquet. Quæ specialia sunt, in ipsa rerum ponderatione apparebunt.

§. 2.

Quas conditiones Pax religionis in se contineat?

Ad 18. redigit eas Ernestus. I. *Nullus status Imperij propter August. Confess. invadatur, lædatur, opprimatur, neque invitus ab illa eiusque fide, ritibus, ordinationibus, quas vel instituerunt Protestantes, vel instituturi sunt, in suis Principatibus ac dominiis, repellatur, gravetur aut contemnatur.* II. *Vicissim status Aug. Confessionis contra Catholicos nihil attentent.* III. *Controversa Religio aliter quam Christianis, amicis, ac Pacificis viis & mediis non componatur.* IV. *Qui alterutri harum Religionum addicti non sunt, hâc Pace non comprehendantur.* V. *Si Archiepiscopus, Episcopus, Prælatus, aliúsve quispiam ordinis Ecclesiastici à Catholica Religione recesserit, Ecclesias & beneficia cum fructibus absque morâ quidem, sed sine detrimento honoris sui, relinquat.* VI. *Bona Ecclesiastica ante transactionem Passaviensem occupata, quæ ad immediatos Imperij Status non pertinent, neque intra neque extra judicium repetantur.* VII. *Ecclesiastica Iurisdictio adversus August. Confess. eiusque Ministros, ritus, Ordinationes, quæ instituerunt, aut instituent, quiescere atque suspensa esse & manere debet.* VIII. *Catholicis reditus, Census, Pensiones salvæ maneant, salvis Iuribus secularibus eius Status, in cuius territorio isthæc sita sunt. Ecclesiarum quoque Ministeriis, Parochiis, Scholis, Eleemosynis, Hospitalibus ex eius bonis provideatur, unde prius providebatur, non attento religionis discrimine.* IX. *Si super his præstationibus lites oriantur per arbitros componantur.* X. *Nullus Status alium, eiusque subditos ad suam religionem compellat, nec eos arte aliquâ ad se attrahat, aut contra Magistratum suum in tutelam suscipiat, aut ullatenus defendat.* XI. *Si aliqui Religionis ergò ex Statuum seu Catholicorum seu Protestantium Provinciis aliò migrare velint, emigratio bonorumque distractio (consueto emigrantium tributo, & si mancipia fuerint, lytro persoluto) absque impedimento & honoris obligationumq; præjudicio concedatur.* XII. *Si compositio Religionis in Concilio generali aut Nationali, aut tractatione Imperialium Comitiorum non sequatur, nihilominus Pax ista secundum omnes supradictos articulos vigorem obtineat, usque ad finalem Religionis compositionem. Atque ita modo jam dicto & aliàs undiquaque constans, absoluta sive inconditionata & perpetua Pax constituta & decreta sit ac maneat.* XIII. *In hâc Pace libera quoque Nobilitas Cæsari immediatè subiecta comprehendatur.* XIV. *In civitatibus Imperij utraque Religio, ubi aliquandiu viguit, etiam in posterum ita permaneat. Et neutra pars alterius Religionem & ritus abroget, vel ad eam deserendam alios compellat, sed utraque pacificè & quietè cohabitet.* XV. *Constitutiones Imperij vel aliæ Ordinationes contraria*

traria nihil huic Paci derogent, neque declaratio in contrarium dari, impetrari, acceptari poßit, data verò, impetrata, accepta nullius sit roboris, sive in judicio, sive extra. XVI. *Hos articulos Cæsar, Rex, eorumque successores inviolatè observabunt, nec contrà seu ex potestatis plenitudine, seu alio prætextu agent, neque suo nomine agi permittent. Idem præstabunt Principes, Prælati, Comites Imperij, eorumque Successores & hæredes sub obligatione Cæsareæ, Regiæ & Principalis dignitatis, fidei & fidelitatis, in verbo veritatis, omni dolo secluso.* XVII. *Ex utraque parte nec Cæsar, nec ullus Status alterum quocunque modo per se vel alios gravet, opprimat, lædat. Si quis adversus hanc pacem alteri vim aut molestiam intulerit, Cæsar aliique Status id facienti non solùm consilium, auxilium patrocinium nullum præstabunt, sed contra alteram partem auxilio & patrocinio juvabunt.* XVIII. *Cameræ Imperialis Præses & Assessores, secundum hanc Pacem, non attenta Religione, partibus jus dicant. Neque contra hac processus aut mandatum decernant, vel alio modo agant.* Resp. quæ hic animadvertenda sint, in sequentibus liquebit.

§. 3.

Quantum damni & præjudicij hæ conditiones Catholicæ Religioni inferant?

Explicat §. 3. *quantum damni & præjudicij hæ conditiones Catholicæ Religioni inferant.* Cæterum illa omnia infra latius urgentur, & per totum corpus judicii sparsa sunt. Interim illud reponimus, Protestantes etiam damna & præjudicia enumerare. I. Scilicet Principi ad Pontificiam religionem relapso Subditos suos suæ religioni conformare, permissum æquè esse, ac illi, qui à Pontificia religione recedit, ubi exempla obvia sunt. II. Semper illorum religionem hæresin appellari, & de ea iniquissimè infamiam præsumi. III. Præsumi semper Papæ principatum. IV. Bona Ecclesiastica, tanquam summo jure debita, Pontificiæ supra eam religioni assignari. V. Potestatem Episcopalem tanquam jure debitam & obligantem semper urgeri; Et ex his capitibus nasci immensum querelarum agmen, quod toties Comitiis Imperialibus expositum, neque ita rejectum, ut non meritum emendandi auxilium promissum sit. Sed ista hic non exequimur.

§. 4.

Qualem amnistiam cupiant Protestantes?

Non tantum *legem oblivionis* eos velle, dicit Ernestus, *sed & jurium & bonorum ereptionem; ut nimirum pars læsa non solum obliviscatur injuriarum, sed jurium quoque & bonorum injusto bello sibi ereptorum, eaque invasoribus in perpetuum vel ad tempus cedat.* Resp. De bonorum vindicatione, adhuc esse controversiam. Nihil itaque in transactione de injusto bello, de ereptionibus aut invasoribus dici debere.

SECTIO II.

Quibus argumentis ostendi videatur, licitè ejusmodi pacem, etiam perpetuam, sanciri?

RECenset Ernestus decem rationes quibus pax ista defendatur *à Pseudo-politicis & Theologis*, ut infra vocat. Sed nos illas hic recensere nihil attinet. Quinta Sectio illas integras & aliqua defensione illustratas exhibebit. Interim animadvertimus I. nihil esse in hac materia ab Ecclesia Romana definitum. Licere itaque utramque sententiam sequi. II. Utramque sententiam, & quæ licitum & quæ illicitum putat *ejusmodi* pacem, *& perpetuo*, sanciri, niti probabilibus argumentis. *Possumus autem absque peccato sequi opinionem probabilem, seu eam, quæ non levi fundamento nititur, relictâ probabiliore & tutiore, (quamvis opinio probabilior & tutior sit propria, & relictâ probabili tenenda) si immineat aliquod periculum, ad quod vitandum prudentia, justitia vel charitas dictet oppositam sententiam eligi debere:* inquit Martin. Bonacina, *Tom. 2. fol.* 187. *n.* 4. *&* 5. & ex eo Anton. de Goffar *in comp. pag.* 543. Potest *quis facere, quod probabili ratione vel autoritate putat faciendum, etsi oppositum tutius sit: sufficit autem opinio gravis alicuius Doctoris, aut bonorum exemplum*, inquit Sylvester, v. *scrupulus*, 3. Navarr. *Cons. 9. de emt. num. 3. & prælud. 9. c. 27. n.* 280. & ex illis Eman. Saa. *v. Dubium.* Quando *est scientia, opinio seu dubitatio*, inquit Thom. Sanchez *de Matr. l. 2. Tom. 1. disp. 41. n. 8. 9. speculativa, licitum est aliquando contrarium operari, quia adest opposita cognitio practica, propter aliquam specialem circumstantiam. Vt sciens speculativè, non licere in festis servilia exercere, potest practicè sibi formare conscientiam, sibi licere, quia egestate premitur. Similiter dubitans speculativè, an hac res sit sua, potest practicè non dubitare, licere sibi retinere, eò quod possideat. Vnde scientia, opinio & dubitatio speculativa non excludit bonam fidem, quando justa causa suadet, oppositum judicium practicum: quia actus humani circa singularia versantur, & quod in communi illicitum est, potest ex aliquâ circumstantiâ respectu huius licitum fieri, sic docent* Cajetan. *opusc. 17. respons.* 13. *Dub.* 7. Joh. Medina *Cod. de restit. q.17. §. Aliter tum videtur.* Sotus *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. vers. Imò verò.* Covarruv. *reg. Possessor, 2. p. §. 7. n. 4. & 4. decret. 2. p. c. 7. §. 2. n. 10. & reg. Peccatum 3. part. init. n. 4.* Corduba *l. 3. quæstionar. q. 5.* B. Medina 1.2. *q. 19. a. 6. d. 3.* Palacios *in 4. dist. 36. disp. 1. f. 799. col. 1.* Burgos de Paz. *proœm. leg. Taur. n.* 414. Enriquez *l. 12. de Matr. c. 6 num. 6. v. 7.* Molina *Tom. 1. de justit. tract. 2. disp. 113. fol. 654.* Navarr. *l. 2. de rest. c. 3. dub. 12. n. 255.* Salon 2.2. *post q. 61. & q. 5. de domin. a. 6. fol. 589. & q. 69. a. 1. Contr. 3. f. 1488.* Ludov. Lopez *2. part. instruct. de matrim. c. 39. f. 1057.* Bannes *2. 2. q. 62. a. 6. dub. 5. Concl. 4.* Petrus de Ledesma *de Matrim. q. 45. art. 1. dub. 2. ad 1.* Manuel 1. *tom. summ. 2. edit. c. 71. num. 4. & c. 243. n. 4.* Vegà *l. 3. summ. casu* 154. *Ex dictis infertur intellectus in cap.* Juvenis de Sponsal. & cap. ad audientiam &c. penult. de homicid. &c. si quis autem de pœ-

In re dubia & nondum definita licet & relicta probabiliori opinione minus probabilem sequi.

de pœnitent. dist. 7. *ubi habetur, in dubiis esse amplectendum, quod tutius est, & in quo nullum peccati periculum versatur: id non intelligi debet de dubio practico. & tum non est consilium, sed verè præceptum, ut docent* Sylvest. *v. Dubium. q. 2. §. 4.* Navarr. *cap. si quis autem de pœnitent. dist. 7. n. 41.* Corduba *l. 2. quæstionar. q. 3. prop. 3. Exemplum sit, dubitas practicè, an hic & nunc debeas jejunare, teneris, dum id dubium non deponitur: quia alias actus fieret cum conscientiâ, practicè dubiâ. Dixi autem in dubiis, quando sc. verè dubium est, intellectu neutri parti adhærente, secus enim est, quando probabiliter opinatur, alteram partem minus tutam. Tunc enim potest eam amplecti, & in hoc sensu tantum consilium est, amplecti id quod tutius est. Sic docent* D. Antonin. *1. part. tit. 3. c. 10. §. 10. col. 7. vers. pro cuius enodatione.* Angelus *v. Opinio. n. 2: ubi* Sylvester *q. 1. fine.* Navarrus *cap. Considerat, in princ. de pœnit. d. 5. n. 38.* Gutierez *quæst. Canon. l. 1. c. 31. l. 41.* Enriquez *alios referens l. 14. de irregularitate. c. 3. n. 4. fine. Et confert ad hoc opinio probabilissima multorum, asserens, ex duabus opinionibus probabilibus, fas esse minus probabilem eligere;* hæc Sanchez. Quando ergo inter oppositas sententias hærent, qui paci religiosæ ex parte Pontificiorum sanciendæ destinati sunt, & vident utrinque probabiles opiniones, & opinionibus subnexas rationes, possunt amplecti eam, quæ ipsis probabilis videtur. Si itaq; probabile visum fuerit per rationes adductas ab Ernesto Eusebiano sect. hac, posse ejusmodi pacem religionis licitè in perpetuum sanciri, tutò eam in agendo sanciendoque sequi poterunt. Imò, si quis speculativè opinaretur, non licere ejusmodi pacem in perpetuum sancire, practicè tamen oppositum sequi, & relicta probabiliori opinione probabilem, nixam Dd. autoritatibus, sequi potest.

SECTIO III.

Quædam in hâc arduâ quæstione præ oculis habenda discutiuntur.

§. 1.

Quotuplex permissio detur?

Triplicem esse permissionem, ait Ernestus: *Primam simplicem, quæ ob multitudinem aut potentiam delinquentium indulget pœnam. Secundam, quæ & pœnam indulget, simulque prohibet, ne alij intempestivè malum impediant, vel tollant. Tertiam esse cooperantem & adjuvantem, quæ malum non solum tolerat, idque impedientes coërcet, verum etiam promovet, auget, defendit,* Animadvertimus, dum Ernestus Eusebianus *triplicem permissionem* distinguit, itidem distinguere debuisse permissionem secundi generis, quod alia possit esse sine promissione jurata, alia cum eâdem conjuncta. Majoris enim considerationis est permissio, quæ juramento pro-

promissorio suffulta est, quam quæ eodem caret. Et rursus permissio promissa vel est ad tempus certum, vel est in perpetuum. Hæc iterum cum majore difficultate conjuncta est, quam illa.

§. 2.

Quodnam objectum permissioni sit aptum judicandum?

Censet Ernestus, *permittere malum primo & secundo modo, ut maius bonum obtineatur, licitum esse. Tertio modo, ex se illicitum esse.* Ad hoc illud fortassis non inutiliter observabitur, permissionem illam & transactionem religiosam non immediatè circa ipsam religionem versari, sed circa jus religionis instituendæ & introducendæ. Cum enim jus religionis instituendæ & introducendæ Pontifex Romanus, & ei juramentis gravissimis obstricti Archiepiscopi & Prælati alij sibi vendicassent, in eamque sententiam quoque Principes Pontificij concessissent: Protestantibus autem sibi jure divino, summo & irrefragabili asseruissent competere libertatem, jusque constituendi religionem ex conscientiâ, secundum verbi Divini immutabilem normam, hinc nata sunt gravissima in Imperio Romano dissidia; Quæ ita denique composita sunt, ut jus religionis instituendæ & reformandæ Principibus & Statibus Imperij, cum restrictione tamen ad duas solummodo religiones, non tantum concederetur, sed & mutuis juramentis confirmaretur. Aliud autem est religio ipsa, aliud jus religionis. Illa propriè in transactionem humanam non cadit. Jus autem religionis est aliqua ἐξοχὴ sive ἐξουσία, Magistratibus & summatibus adnexa. Et hoc omnino in permissionem cadit, imò & in promissionem etiam juratam, licet certò metuendum sit, illius juris secuturum abusum. Ille enim in totum redundat, in juris illius libertatisque possessorem. Præsertim ubi gravissimæ causæ adsunt, ob quas permittendum promittendumque sit jus illud; imò, ubi non nisi periculo ingenti inevitabilique juri illi libertatique contraveniri potest. Itaque & jus illud libertatemque religionis instituendæ, tanquam axioma quoddam dominicum & veluti regale, in perpetuum alicui promittere jurato illi possunt, à quibus illud postulatur, quia etsi in præsens videatur secuturus abusus, & actu ipso emergat, non tamen certi sumus, illum in perpetuum illo jure abusurum, imò de providentiâ divinâ, disponente omnia suaviter & admirabiliter, sperare possumus, hoc ipsum jus bene & ad gloriam Dei tandem aliquando usurpatum iri, aut si omnino ejusmodi juris possessor continuatâ quâdam pertinaciâ eodem abuti, ad veritatis eversionem & gloriæ divinæ obscurationem, pergeret, Omnipotentem Deum asserturum esse oppressam veritatem, & obscuratam gloriam, & ab iniquis illis abusibus possessorem juris dejecturum. Ex qua observatione responderi poterit Tannero, qui *Tom. 3. Theol. scholast. disp. 1. quæst. 9. dub. 3. num. 94.* asserit: *Ut à Principe Catholico in suâ ditione, sive ex parte obiecti, seu religionis amplexandæ, sive ex parte temporis, absoluta*

Discrimen est inter jus religionum & qualitatē ejus, seu ipsam religionem.

soluta undique & incircumscripta, adeoque perpetua credendi libertas pacto aut juramento concedenda firmetur, moraliter & practicè vix unquam licitè fieri potest. Rationem primæ partis hanc tradit: *quia eiusmodi pacta iniri non possunt, nisi vel maioris mali vitandi, vel maioris boni consequendi gratia. Atqui moraliter vix unquam fiet, ut prudenter iudicetur inter Christianos, sive ad maius malum vitandum, sive ad maius bonum consequendum esse necessariam aut utilem cuiusvis, etiam impiæ & superstitiosæ, religionis permissionem, quando nihil in Republicâ Christianâ excogitari pestilentius potest, quam libertas credendi quidlibet, ipsumque adeo Iudaismum, Turcismum, Ethnicismum seu Atheismum pro libitu profitendi.* Rationem secundæ partis hanc tradit: *quia omnis huiusmodi in parte temporis absoluta & indefinita pactio seu conventio, per se loquendo, & quantum est ex naturâ rei, omnem Principi etiam in perpetuum adimit facultatem, permissam hæresin ex suâ provinciâ exterminandi, etiamsi mutatis rerum circumstantiis id quandoque opportunum esset futurum: semper enim vi pacti sui inhibebitur, ne id unquam ausit facere, si modo violatæ fidei reus haberi non velit. Vt vero eam potestatem Princeps auferri sibi patiatur, committere nunquam debet.* Nam primo nos jam disquirimus de libertate seu jure religionis, quod non est objectum spirituale, quale à nobis circumscribi vel tempore vel qualitate nequit, sed est potestas ad religionem. Hæc restringi, aut ampliari potest, prout prudentia Christiana, boni publici conservatione occupata, postulat. Deinde supponimus, contractam juris libertatisque esse usurpationem ad duas religiones, Aug. C. & Pontificiam. Denique hoc ipso, quod libertas ad indeterminatum tempus à partibus contrahentibus mutuo sancitur, nulli peccato partes sese involvunt. Ex quacunque enim parte abusus est, à possidente est & juris sui usurpatore, quo semel resignato, ad usurpantis conscientiam spectat, quicquid sequitur, nequaquam autem ad paciscentis. Opportunitates permissam hæresin ejiciendi interdum magis videntur esse, quam revera sunt. Nec satis providi sunt captatores opportunitatum, ut perspiciant, non majus malum secuturum. Imò non nobis incumbit necessariò respectus ad majus bonum promovendum, aut majus malum avertendum in permissionibus promittendis, ubi adest permittendi, nec vi & mediis cogentibus externis adigendi, mandatum Divinum, quale circa religionem etiam non puram esse, ex S. literis, Ecclesiæ primitivæ consensu, Patrum testimoniis, conciliorum definitionibus, Praxi ipsa, tum & veterum & recentiorum Pontificiorum suffragiis, ostendit D. Gerhard. *de Magistratu, cap.6. s.6. m. 1. a. 3. §. 314. & seq.*

Observetur etiam II. debere annotari discrimen inter *malum morale & dogmaticum.* Istud enim respectu permissionis etiam maximopere attendendum est. Nam illud est *evidens*, seu *in re evidenti*, quæ & ipsius luminis naturalis ductu dijudicari potest, unde convictionem habet evidentem & facillimam. Itaque est contra conscientiam. Unde permissio ejusdem, à Superioribus divinitus ordinatis difficulter obtineri debet. *Malum* autem *dogmaticum*, hoc est, *doctrina religionis corrupta*, circa rem supernaturalem occupata est, ad quam animus hominis

caligat, in qua judicanda per ſe nihil habet virium, ubi ut plurimum contra conſcientiam nemo agit, aut aſſerit, aut negat. Ubi convictio etiam eſt difficilis, propter maximam proclivitatem humanæ indolis ad amplexandos errores, in quibus longè etiàm ex illa cauſa pertinacius animi hærent, quam in veritatis luce. Hic itaque major permiſſionis ratio. Pontificij ipſi ita pronunciant, ut dicant, revelationes divinas eſſe de re non evidenti, ſed obſcura: procul dubio juxta 1. *Cor.* 13. *cognitio noſtra eſt ex parte*, viſio ἐν αἰνίγματι δι' ἐσόπτρου. Etſi igitur etiam malum ſit corrupta doctrina, multo tamen plures tolerantiæ cauſas habet, quam quodcunque aliud. Intellexerunt hoc ipſi Patres. B. Auguſtinus *contra ep. fundam. c.* 2. *Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile errores caveantur. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quam rarum & arduum ſit, carnalia phantaſmata piâ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, cum quantâ difficultate ſanetur oculus hominis interioris, ut poſſit intueri ſolem ſuum &c. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quibus ſuſpiriis & gemitibus fiat, ut ex quantulaſcunque parte poſſit intelligi Deus. Poſtremo illi in vos ſæviant, qui nullo tali errore decepti ſunt, quanto vos deceptos vident.* Accedit, neminem è medio tolli aut alias gravius affligi poſſe propter id, quod ipſi Deus denegavit. At non agnoſcentibus plenè cœleſtem veritatem, ſed errantibus, Deus denegavit agnoſcere veritatem & errorem fugere. hoc enim juxta Pontificios eſt à gratia efficaci, ſeu alta & ſecreta vocatione, ſine qua nullum durum cor emollitur, nullum ſeductum reducitur. Quæ particularis eſt ex intentione Dei, nec omnibus datur. Quo de alibi in Antikirchero noſtro diſputavimus. E. propter non agnoſcere veritatem, nec fugere errorem, nemo puniri jure poteſt, quin potius omnes debent tolerari.

Obſervetur III. ad cohoneſtandam permiſſionem mali, ejuſmodi præſertim, pertinere poſſe, ſi illud permittatur *cum reſervatione legitima ſpiritualis convictionis, & eorum armorum, quibus contra illud graſſari præcepto divino poſſumus, etiàm debemus.* Poteſt equidem dari caſus, ut malum aliquod dogmaticum permittatur, ita ut proceſſus exterioris fori, & violenta remedia contra illud diſſipandum & deſtruendum aliàs uſitata ſuſpendantur. Nullum tamen ita permitti poteſt, ut interioris fori remedia ſuſpenſa maneant. Officium ſanè elenchticum Spiritus Sancti nulla arte conſtringi, nullâ authoritate coërceri poteſt. Si itaque genuinus & divinis legibus conveniens proceſſus integer & illibatus in ejuſmodi tranſactionibus relinquatur, quid impedit, quo minus emergentibus inevitabilibus extremæ neceſſitatis caſibus fori exterioris & civilis actiones ſuſpendamus, etiam in perpetuum? præſertim cum adhuc magna ſit diſputatio, an ille contra hæreſes, ut vocantur, procedendi modus ad degradationem, infamiam, & ſupplicium juribus divinis & humanis ſit conſentaneus?

§. 3.

An, qui cooperatur ad exercitium juris religionis, etiam cooperetur ad exercitij abusum?

Docet Ernestus, *cooperationem duplicem esse, directam & indirectam. Directè coöperari malo, qui ea agit, quæ suaptè natura ad peccatum ordinantur, ut sunt, illud stabilire, augere, defendere, vel qui pars est & socius peccati, ut cum servus concubinam invitat ad herum, aut miles pugnat in bello manifestè iniusto. Indirectè cooperari, qui malum, quod potest & debet impedire, non impedit. Vtrumque reperiri in permissione cooperante.* Respondeo 1. aliam esse cooperationem *ad exercitium* juris & libertatis, ex. gr. religionis, & aliam operationem *ad tale exercitium*, seu ad abusum juris & libertatis. Potest aliquis cooperari ad illud, qui tamen non cooperatur ad hoc, sed hoc ad totum relinquit abutentis conscientiæ. Notetur 2. *Indirectè cooperari* aliquem permittendo malum, qui malum, quod potest & debet impedire, non impedit. In eo tamen casu, si possit id impedire certò, & cum conservatione salutis publicæ. Secus est, si ambiguum sit, imò valdè probabile, neque impediri posse, & cum jactura salutis publicæ tentatum impedimentum conjunctum iri.

§. 4.

An in tolerantia mali, ubi est præceptum Dei, spectanda nobis majoris boni obtentio, aut majoris mali aversio?

Monet Ernestus, *non quia licet tolerare, licere pacisci. Tolerare enim mala intentione maioris boni, & metu maioris mali, licitum esse. At absolutè & in perpetuum eiusmodi tolerantiam spondere, repugnare obligationi Principum & Magistratuum. Eiusmodi enim permissiones secludere circumstantias excusantes, quantum est ex intentione paciscentium, & natura pacti obligare ad malum tolerandum, etiam mutatis circumstantiis.* Notetur, etiamsi Deus Opt. Max. mala toleret, aut majoris mali avertendi, aut majoris boni eliciendi causâ, nobis tamen in permittendo malo non necessariam esse illam ad majoris mali aversionem, aut majoris boni obtentionem advertentiam, ubi de permittendo habemus expressam divinam dispositionem, qualem in materiâ de permittendâ corruptâ religione nos habere, à Theologis Aug. Conf. comprobatum est, & Pontificij etiam aliqui agnoverunt. In hoc enim casu certi esse debemus, Deum Opt. Max., qui ut ipse permittit, ita & nobis permissionis mandatum dedit, illos scopos, qui in permissionis materia attenduntur, obtenturum, etsi nostrâ perspicacia penetrare nequeamus, quomodo illos consecuturus sit.

§. 5.

An jura Majestatis circa religionem instituendam aut introducendam Principibus competant?

Monet Ernestus, *Principibus politicis nullam potestatem Ecclesiasticam competere, neque ordinis, neque jurisdictionis.* Resp. An Principes sint juribus Majestatis, circa religionis institutionem & propagationem, arcendi, magna disputatio est. De juribus Majestatis circa religionem loquimur, & de his ob emergentes causas gravissimas, ob pericula inevitabilia transigi & cessiones traditionesque fieri possunt. Actus religionis interiores, & judicium de religione, aliorsum pertinere, certum est. Unde Imperatores & Principes non raro tum & de juribus circa constituendam religionem disposuerunt, tum & in ipsius religionis qualitatem inquisiverunt, & collapsæ puritati divini cultus medelam atque suffulcimentum substruere conati sunt. P. Greg. Tholosan. de Repub. IIX, 2. 6.

§. 6.

Quid de præcepto Matth. 16, 26. & Rom. 3, 8. dicendum?

Animadvertit Ernestus, *quod ex se peccatum est, nullâ necessitate licitum fieri.* Quod duobus principiis divinis probat; Matth. 16, 26. *quia non prodest homini, si universum mundum lucretur, animi vero sui detrimentum patiatur,* & Rom. 3, 8. *Non esse facienda mala, ut inde eveniant mala.* Resp. 1. Non de lucro mundi, sed de lucro tranquillitatis & securitatis Ecclesiæ & religionis esse quæstionem. Non quæri, quam latè in mundo esse & dominari queat religio, sed quam tutò & sincerè, & extra periculum subversionis. 2. non esse disputationem de malis faciendis, sed tolerandis: aliud est enim quærere, an id, quod permittitur, licitum sit, aliud verò, an illius permissio licita? Non quia DEUS permittit peccata, propterea peccata licita sunt. Non licet facere mala, ut eveniant bona: attamen mala in certis casibus permitti possunt, majoris boni impetrandi causâ. Conf. Pererium, Cornel. à Lap. & Conzen. h. l.

SECTIO

SECTIO IV.

Pacem cum illis conditionibus, quas desiderant Protestantes ex se illicitam esse, probare annititur.

QUÆST. I.

Ad Rationem Primam.

§. I.

An pax ejusmodi hæresi indirectè cooperetur?

AIT Ernestus: *Quia illa pax indirectè cooperatur hæresi, quæ sancit ipsius tolerantiam, exclusis circumstantiis excusantibus, sive eo etiam casu, quo tolli posset ac deberet. Hoc autem agit pax à Protestantibus desiderata. I. quia desiderant perpetuam, & extendunt eam in quemcunque casum, quo hæresis tolerari non posset, nec deberet, sublatis videlicet caussis excusantibus. II. quia desiderant pacem absolutam, & inconditionatam, quod eò recidit. Et quamvis usq; ad amicabilem compositionem primo conclusa sit, non tamen id à Protestantibus approbatum est, nec, si approbatum esset, attendendum foret, sed ut impossibile pro non adiecto habendum, aut si possibile foret, licitum esset quia certo casu illa adiecta promissa amicabilis compositio Cæsari & Catholicis Statibus promissa in alia occasione exoptata hæreseos extinguendæ obstaculo esse posset.* Resp. 1. Legitima & divinis mandatis comprehensa corruptæ religionis emendatio hâc pace non excluditur. Tantum illegitimæ & multis modis perniciosæ rationi tollendorum errorum opposita est. 2. Non habuerunt, qui jura religionis constituendæ sibi invicen resignarunt, promissionem divinam aut rationem sperandi evidentem, fore, ut aliquando, ex. gr. post quinquaginta, aut centum, aut ducentos annos vires sint habituri, aut caussas tollendorum errorum ex Ecclesia, & id quidem vi armata. Et interea certè, si pax definiti temporis fuisset duntaxat illa circa religionem constituendam autonomia, timendumq; perpetuò fuisset, tempore definito elapso, viribus & gladio errores sive defendendos esse, sive extirpandos, omninò ad immaniora molimina & discrimina incertissimorum eventuum sese præparassent. Unde occasiones commodè ad utilitatem reducendi fidem, incertissimæ fuissent. Sed & si hæreses ætatem non ferunt perpetuam, & rerum humanarum mutabilis est conditio, facilè potuit illis perpetua indemnitas promitti, à qua ipsæ suo vitio excisuræ, & veritati locum relicturæ erant. 3. Quid si ex prudenti consideratione nationis Germanicæ, & invincibilium cogique nescientium in religionis negotio animorum, consilia absolutæ & perpetuæ pacis religionis promanassent? Utique id factum,

de quo infra pluribus. 4. Etiamsi non obtenta amicabili conciliatione, pax religiosa non violanda, sed perennanda nihil ominus, conclusa sit, attamen exercitium conciliationis nunquam intermittendum est. Non est autem conditio illa impossibilis, adeoque pro non adjecta habenda, sed omnino ad cohonestamentum pacis sanctæ referenda. Etenim convictio in religione per media legitima pro impossibili habenda non est. Quantopere ob colloquiorum toties in recessibus Imperij decretorum intermissionem conquestus est Scoppius, cum de pace Germaniæ consultavit: Jesuitæ artibus suis negotio vehementer obstiterunt, & à Christiana Germanaque sinceritate atque simplicitate digressi, eam tractandarum controversiarum fidei rationem inierunt, qua quidem ad unitatem nunquam deducemur. Dum enim errores & nævos in antiquâ Ecclesia agnitos novo texerunt patrocinio, & novas subinde superstitiones adinvenerunt, immane quantum à concordiæ spe abierunt. Interim conditio annexa tradito invicem aut promisso juri religionis, planè sanctionem cohonestat, & conscientiarum sanitati plenè consulit. Quod vero conditio intervertatur turbulentis consiliis, non ad ipsius sanctionis injuriam exaggerandum, sed illis transigentibus adscribendum est, quorum culpa id fieri, in propatulo est.

QUÆST. II.

§. 2.

An pax religiosa cooperetur hæresi directè?

Id probat Ernestus, *quia agit ea, quæ suapte natura ordinantur ad peccatum, & ad esse partem aut socium peccati, sive actionis criminosæ. Quoniam I. hæreticis jure divino & humano infamibus vi pacis in legibus imperij fundamentalibus Status illæsa dignitatis conservatur & hæresi atque apostasiæ omnis infamia detrahitur.* II. *annectit jus reformandi alto imperio, quod per se ordinatur ad hæresin augendam, imò in totum imperium introducendum.* III. *Concedit in tribunali Cæsareo jus & actionem ad spolia Catholicis ante Passav. transactionem erepta retinenda aut vindicanda: Item ad confessionem Augustanam in ditionibus suis introducendam, invitis licet subditis aut ejici contradicentibus. Iubentur autem Cameræ Iudices non attentâ religione jus dicere juxta hanc pacem.* IV. *statuit, Cæsarem & Catholicos statûs non minus teneri defendere Protestantes, si contra hanc pacem vim patiantur. Quamvis autem & Iudæis alias aliqua defensio, quæ secundi generis est, promittatur, illa tamen non nititur 1. lege perpetua, nec se 2. extendit ultra eorum ritus. Itaque non intervenit participatio actionis criminosæ, qualis in hac pace. Nam compellere subditos ad hæresin vel emigrationem ex patria, introducere, vel reducere exercitium hæresis, in loca Catholica, eripere Catholicis bona & jura legitime recuperata, ut hæreticis restituantur, non sunt actiones ex se indifferentes, aut bona; neque magis excusari possunt, quam subdi-*

subditos domo ejicere, nisi in atrocia scelera consentiant, scelerum ipsorum exercitium introducere vel reducere, eripere denique innocentibus jura & bona legitimè recuperata, ut publica vindicta coërcendis sceleratis restituantur. Hæresis enim ex suo genere grandia scelera non solum æquat, sed etiam superat. Huius actionis criminosæ participatio inducitur, si hæreticis auxilium & defensio promittitur. Expulsio Catholicæ religionis ex bonis & urbibus legitimè recuperatis in pace religionis perinde est, ac si recuperata prædonibus restituenda. Qui si rursus ea raperent, fieri deberet, quod impediri non posset, si autèm Cæsar & Catholici decernant, & reipsa præstent, vel adjuvent, actionis criminosæ participes fiunt vel maximè. Resp. I. Pax religiosa actionem hæreseos, quam paciscentes mutuo sibi intenderunt, à foro civili removet, & intra terminos priscos coërcet, imò ut nondum sufficienter deductam supponit. Itaque infamiam jure nondum incurrerunt, si omnino hæreticus civiliter infamis est. Sed quomodo quis cooperatur directè hæresi, qui hæreticos seu hæresi etiam infectos infamiæ civili eximit, & in Statu illæsæ dignitatis relinquit? Non est hoc errori, sed erranti patrocinium, & quidem non *qua erranti* datum. Relinquitur enim, quà talis, judicio Ecclesiastico & divino, neque ab infamiâ coram Deo & sanctis vindicatur aut liberatur. Non potest abstergere pax religiosa maculam, si quam unius aut alterius contrahentium partis religio coram tribunali Dei, aut judicio elenchtico Sancti Spiritus habet. Neque armis spiritualibus manicæ sunt injectæ.

II. Jus religionis alto imperio per se cohærere, jam olim certum erat. Pontifices summi cum altissimo imperio etiam jus religionis sibi adsciverunt. Cœptum est repeti à legitimis possessoribus. In pace religionis partes sibi mutuo concesserunt, majoris periculi avertendi causa. Hæc concessio nequaquam per se ordinatur ad hæresin. Neque posito jure religionis ponitur per se prolapsus in hæresin aut perpetuatur hæreseos complexus. Accidit juri religionis constituendæ, si quis eo abutatur. Et notat Ernestus Eusebianus, Ferdinandum II. jure religionis sese defendisse contra hæreseos introductionem.

III. Quæ spolia dicebantur per vulgatam adversæ transigentium partis opinionem, ea spolia non esse, decernit pax religionis. Itaq; ut spolia, nemo quicquam possidet. Neque spoliis revera ita dictis patrocinatur. Nimirum, quia de ipsis etiã bonis Ecclesiasticis quæstio fuerat, disputante una parte, illorum Dominium solis Ecclesiasticis relinquendum esse, nec posse dispositionem de illis ulli seculari Principi relinqui; contendente alterâ parte, ut jus in bona Ecclesiastica, sibi cum jure religionis debitum jure divino, sibi relinquatur; & jam res eò usq; deducta fuerat, ut mutua internecio & subversio fuerit metuenda, ancipiti eventu, quorsum inclinatura denique esset victoria; cum utraque pars absolutam libertatem religionis & bonorum sacrorum optasset, minus bonum cessit, ut majus relinqueretur sartum & integrum. Debet enim minus bonum cedere majori, imò amittere in casu necessitatis fas est bonum minus, ut meum & alterius bonum majus servem: ita etiam, ut irreparabiliter tradatur aut amittatur. Jam si

An bona Protestantibus tributa spolia sint?

ure

jure suo in bona Ecclesiastica abutatur ea pars, cui permittendum esse illud juratoria promissione decretum est, non ad promittentis conscientiam id pertinet, sed ad abutentis, neque promissor hactenus vel directè vel indirectè cooperatur.

Tolerantia Iudaeorum expenditur.

IV. Defensio mutua ad jus pertinet, quod ad instituendam religionem libertatem dedit. In hoc jure nemo sub prætextu abusus juris turbari aut lædi debet: quia abusus juris alterius fori est, & ab alia, quam civili potestate, coërcendus aut castigandus. Turbato igitur debetur defensio & restitutio. Nec satisfacit Ernestus instantiæ de permissione Judæis promissa. Dicit 1. *talem permissionem non niti lege perpetuâ.* Atqui id experientia refutat. Nam Cæsares tolerantiam cohabitationis Judæorum nonnullis civitatibus Imperialibus lege perpetuâ imposuerunt. Dicit 2. *talem permissionem se non extendere ultra ritus eorum.* quid tum postea? Si licet defendere Judæos, ut liberè possint ritus suos exercere, possunt etiam defendi, & in patrocinium suscipi, qui corruptæ religioni Christianæ adhærent. Dicunt tamen quidam ex Pontificiis, *posse Principem, non habentem superiorem in temporalibus, permittere Iudæis usuras, si ita expediat reipub. licere enim permittere mala minora ad evitanda maiora, ut apparet in meretricio.* Vide Azor. Moral. *lib.* 8. *c.* 22. *q.* 13. Navarr. *c.* 27. *n.* 143. *& cons.* 3. *de usur.* Sylvest. *usura.* 9. *q.* 22. qua de re infra cum Ernesto ad rat. 3. part. affirmant. p. 54. conferemus. Itaque usurarum etiam exercitio libero defensio promittitur. Dicit 3. *non liberari infamia.* Atqui liberantur. Etiamsi enim infames vulgò & de facto habeantur, nulla tamen eos onerat, quæ à lege, SCTO, vel edicto prætoris, vel imperij sanctionibus originem habeat. Et malè huc à nonnullis trahitur authent. Gazaros c. de hæreticis, ubi inter hæreticos *infamia notatos* circumcisi numerantur. Non enim concedi potest, ibi nomine *circumcisorum* Judæos comprehendi. Ratio siquidem ibi subjecta repugnat: ibi: *bannimus* & ibi: *omnia bona confiscentur.* Judæi vero nec proscripti sunt, nec bona illorum confiscantur. Per *circumcisos* autem intelligi possunt ij, qui per turpem apostasiam ad Judæos deficiunt, & se circumcidi patiuntur. Paulus *recept. sent. l.* 5. *tit. de seditiosis.* 22. §. *cives*: ubi sic loquitur; *Cives Romani, qui se Iudaico ritu circumcidi patiuntur, bonis ademtis, perpetuo in Insulam ablegantur.* Conf. Cujacium *ad Paulum d. l.* Montanum *de tutelis, c.* 4. *n.* 49. Finckelthaus. *observat.* 84. *n.* 31. Et fortasse huc respexerunt Honorius & Theodosius AA. cum Philippo P.P. per Illyricum rescripserunt, l. Nullus, c. de Judæis & Cœlicolis, *ne Iudaeum ad contumeliam expositum religio qualiscunque perficiat.* Dicit 4. *non intervenire participationem peccati vel actionis criminosæ, qualis cernitur in pace religionis, vel simili, quam desiderant Protestantes. Nam compellere subditos ad hæresin, vel emigrationem ex patria, introducere vel reducere exercitium hæresis in loca Catholica, eripere Catholicis bona & jura legitimè recuperata, ut hæretics restituantur, non sunt actiones ex se & obiecto bonæ: neque indifferentes. Ergo cum aliud membrum Theologia ignoret, sunt ex se & obiecto mala sive criminosæ, neq; magis excusari possunt, quam subditos domo ejicere, nisi in atrocia scelera consentiant, horum exercitium aliquò introducere, vel reducere, eripere denique innocentibus bona, vel*

jura

Iura legitimè comparata, ut sceleratis publica vindicta coërcendis restituantur. Hæresis enim ex suo genere grandia scelera non solum æquat, sed & superat, ut post B. August. tract. 89. in Iohan. cum S. Thoma. 2. 2. q. 10. art. 3. docent Theologi. Etsi, quia hoc malum familiare est, & maiorem imperij partem occupat, id non æstimamus. Huius actionis criminosæ participationem induci, si defensio, patrocinium & auxilium hæreticis promittitur, manifestum est Hactenus Ernestus. Atqui si participatio est actionis illicitæ & criminosæ, cum diversæ & improbatæ religionis homini promittitur jus religionis, & permittitur ipsius juris in instituendâ religione improbata abusus, imò etiam cum in juris sui possessione, ut ut eo utatur, ille defendatur ex pacto, tum non poterunt à participatione actionum Judaicarũ criminosarum immunes esse Papa, & omnes ei in patrocinio Judaico consentientes. Nam in pertinaci abnegatione omnium mysteriorum fidei Christianæ subsistere, Christianos æternæ damnationis reos pronunciare, & quæ sunt actiones Judæorum aliæ, non sunt actiones ex se & objecto bonæ, neque indifferentes. E. cum aliud membrum Theologia ignoret, ex se & objecto sunt malæ, seu criminosæ; neque magis excusari possunt, quam actiones sceleratæ aliæ. Et tamen defensio, patrocinium, & auxilium Judæis promittitur & præstatur, si in libertate religionis suæ illos turbare velit aliquis, aut eorum ritus impedire. Accedit singularis differentia inter Judæos, & improbatæ religionis homines, qui tamen Christianismo adhærent. Nam cum his pactum de jure liberi religionis exercitij initum est, aut ineundum esse censetur, in casu extremæ necessitatis, ubi aut extrema bellonæ tremendæ tentanda rabies, atque in discrimen ultimum conjicienda Respublica cum Ecclesia, aut in juris illius cessionem consentiendum. Judæi sine ullâ necessitate in patrocinium & defensionem recipiuntur. Tolerari Judæos eorumque ritus ex pietate, respondit *pro Magnificis Dn. Hebræis*, ut eos sæpiusculè in suis responsis appellat Bursatus *cons. 152. num. 69.* (quos alioqui *personas infames & odiosas*, Fr. Beccius *cons. 84. n. 2. peiores Saracenis, & omni alio malarum personarum genere*, ex Socino, Olrado &c. scripsit Fulvius Pacianus *lib. 1. de probat. c. 7. n. 34. & seqq.* quibus etiam debeat servari rigor, ita, ut ad ea non trahatur dispositio favorabilis, Lancellot. *de attentat. p. 2. c. 2. limit. 11. num. 8. & seqq.*) quia & fides Judæorum habet primordium veritatis, judice Deciano *tract. Crimin. l. 5. c. 11. n. 6.* & per eorum consortium nos Deo lucrari posse, censet Corsetus Sicul. *de pot. reg. p. 5. n. 11.* Synagogam & ipsam inter Christianum ovile censeri saltem vocatione, tradit Jacob. Philippus Portius *consil. 4. num. 83.* Conf. Johann. à Roijas *in singular. de hæreticis, num. 571.*

V. De *infamia*, qua liberati receptos in pacem religionis sæpius Ernestus tum ultuatur, res in incerto posita est. Neque enim certi esse possunt, qui hæreticos infamiâ laborare dicunt, an revera res ita sese habeat; *partim, quia* nullum in jure divino principium est, quod hæreticos civili infamiæ subjicit. Si autem infamia jure positivo humanoq; seu pœna imposita esset hæreticis, posset in casu extremæ necessitatis & intuitu probabilis aversionis majoris mali, & obtentionis *Infamia quo jure hæresi cohæreat?*

majoris boni tolli, manente nihilominus ejus existimatione in foro poli & conscientiæ, tali, qualis est. Sicut & amissio bonorum, in quam per latam sententiam incurrit hæreticus, jure humano decreta est, & suspendi aut tolli potest. *partim, quia* etiam jure humano Pontificio infamia sequitur tantum hæreticum denunciatum excommunicatum. *Atqui ferè nulli hæretici denuntiantur, excommunicati in Germania & Gallia*, inquit M. ab Azpilcueta Doctor Navarrus *lib. 5. cons. 56. p. 500. & lib. de orat. & horis Canon. Miscell. 47. c. 17.* quem sequitur Jod. Lorichius *Thes. Cathol. V. Hæreticus num. 7.* Hinc Navarrus Manual. *c. 27. n. 35.* ad hæreticos, ut vocat, in Germania & Gallia applicat extravagantem. *Ad evitanda*, latam per Martinum V. relatam in statutis Ecclesiæ Gallicanæ, *in tit. de excommunicat. non vitand.* & iterum à Concil. Latteran. sub Leone X. *& in concordatis inter eum & Franciscum I.* quæ ita habet: *Ad evitanda multa scandala & pericula, & subveniendum conscientiis timoratis, constituimus, ut nemo posthac teneatur abstinere & separare se, neque evitare communicationem alicuius in administrando, aut recipiendo sacramento, aut in aliis divinis officiis, aut extra illa ratione alicuius sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homine, aut à jure generaliter promulgatæ, neque servare interdictum Ecclesiasticum, si illa talis sententia, prohibitio, suspensio, aut censura non fuerit promulgata, & denunciata specialiter & expressè à Iudice contra certam aliquam personam, Collegium, Vniversitatem, Ecclesiam, aut locum certum aut certam, neque manifestè constet, incurrisse in sententiam excommunicationis.* Hactenus Cap. *Hac enim extravagante enumerata trepidè tangit*, ut loquitur *l. c. Consil. 15. p. 498. istam sententiam, & infert in principio, istam nihil prodesse, quoad excommunicatos manifestos. Vnde deducit consequi, peccare omnes Catholicos Galliæ & Germaniæ, qui Lutheranis manifestis & confitentibus se tales, communicant: quia sunt manifestè excommunicati propter hæresin notoriam, per bullam Cœnæ.* Respondet verò postea: *quia durum est damnare gentem, in qua sunt tot viri eruditissimi, & Academiæ celeberrimæ, præsertim Parisiensis, Tholosana, Lovaniensis &c. probabiliter dici potest, prædictam esse usu receptam, cum sola illa limitatione de excommunicatione manifesta percussionis Clerici juxta tenorem antiquæ, vel quod multitudo hæreticorum, & necessitas communicandi & negotiandi facit licitum, quod alias non esset, juxta regulam: quod non est licitum, de reg. jur.* Confer & D. Covarruviam *Relect. in. cap. Alma mater, de communione cum excommunic. §. 2. num. 7. p. 354. T. I.* & Thomam Sanchez *Præcept. Decalog. l. 2. cap. 9. num. 5.* Atque ita hic nil contra conscientiam agitur.

Vlterius deseguitur cooperatio- nu pacis relig. cũ hære- si nullitas exemplo permissio-

Sed ut plenè ostendamus, planè errare Eusebium in materia cooperationis cum peccato, quam Imperatori & Statibus in pacificationem consensuris tribuit, ponderemus in primis permissionẽ divinam in negotio matrimonij post lapsum. Fuit illa societas ante lapsum procul dubio sanctissima & planè quoad bona & dona divina & humana Catholica. Cæterum lapsu admisso contaminata est horrendo isto malo peccati originalis. Illud longè omnem hæreseos cujuscunque malitiam superat. Propagatur autem & conservatur in ista Societate matrimoniali

niali post lapsum. Hinc natæ disputationes de Matrimonij seu Conjugij tolerantia. Erant Errones, qui aut peccatum originis negabant, aut damnabant conjugia. Saturninus in secundo post Christum seculo nubere & generare à Satana dicebat esse. Irenæus *adv.hær.l,* 22. Etiam Marcionis Deus conjugium aversabatur, Tertullian.*contra Marc.lib.IV*. Lucianistæ nuptias tanquam opus & præceptum Diaboli damnarunt, Epiphanius *hæres.* 43. Severiani mulierem opus Diaboli dixerunt. Epiphan. *hær.* 45. Nicetas *Orth. fid. IV*, 17. Tatianus nuptias esse corruptelas dixit, matrimonium Diaboli inventionem, mulierem opus Satanæ. Irenæus *l*, 31. Epiphanius *hæres.* 46. Augustin. *hær.* 21. Manichæi, referente Augustino *de hæres. c.* 46. nuptias sine dubitatione condemnabant, & quantum in ipsis est, prohibebant, quando generare prohibebant, propter quod conjugia copulata sunt. Adamiani nuptias aversabantur. August. *l. c. cap.* 31. Apostolici spem salutis eos habere negabant, qui conjugio utuntur. *Aug. c.* 40. Eustathianis eandem opinionem tribuit Socrates *H. E.* 2, 32. Priscillianistæ opificium matrimoniale malis angelis tribuebant, August. *l. c. cap.* 70. Hydroparastatæ matrimonium scortationem appellabant & legitimam conjunctionem Diabolicam censebant. Theodoret. hæret. fabul. l. 2. Siricius Papa & Innocentius, ille *ep.* 1. *ad Himerium, c.* 7. iste *Ep.* 3. *c.* 1. matrimonium immunditiem & pollutionem vocant. Bellarminus Cardinalis *de Sacr. Matrim. cap.* 5. putat, ad matrimonium applicari posse, *Qui in carne sunt; Deo placere non possunt.* Idem *l. de Clericis, c.* 18. §. 4. censet *actum conjugalem reddere hominem totum carnalem, & ad divina ineptum.* *Costerus Enchirid. c.* 11. putat, *per conjunctionē conjugalem animam hominis ad inferiora deprimi, ut minus sit idonea cælestia meditari ac tractare.* Pelagiani putabant, si peccatum aliquod congeneratur homini, societatem illam connubialem periculosam esse. Sententiam Pelagianorum his verbis concipit Augustinus *contra Iulianum lib. II. Damnantur nuptiæ, si aliquid, unde damnabiles generantur, habere credantur.* Et pugnat hoc argumento Julianus cum alibi, tum ultimi contra Augustinum operis *lib* 1. *cap.* 59. *&* *l.* 2. *c.* 24. Tractum iri putabat in cooperationem mali & Deum & parentes. Contra disputat Augustinus prolixè *lib.* 10. *de bono conjugali*, qui est *Tomo VI. c.* 2. 3. 4. 5. 6. *&c.* Inprimis *Tom. VII. lib.* 2. *contra Pelagium & Cælestium c.* 43. inquit: *Sic autem argumentantur, dicentes; Ergò malum sunt nuptiæ, & non est opus Dei homo, quem generant nuptiæ? Quasi nuptiarum bonum sit morbus concupiscentiæ, in quo uxores diligunt, qui ignorant Deum, quod Apostolus prohibet, ac non potius pudicitia conjugalis, qua in bonos usus ordinatur filios procreandi libido carnalis, aut vero possit esse homo, nisi opus Dei, non solum qui de conjugio, verum etiam qui de fornicatione, vel de adulterio procreatur. Sed in hac quæstione, ubi quæritur non cui rei creator, sed cui Salvator sit necessarius, non intuendum est, quid boni sit in procreatione naturæ, sed quid in peccato mali, quo certum est, vitiatam esse naturam: simul autem utrumque propagatur, & natura & naturæ vitium, quorum unum est bonum, & alterum malum. Illud de creatoris largitate sumitur, hoc de originis damnatione attrahitur. Illi est causa bona voluntas Dei summi; huic mala voluntas*

nus in societate cōnubiali tū quoad peccati orig. propagationē, tum quoad alios inordinatos & vitiosos motus exercendos.

Conf. Gerh. Iohan. Voss. hist. Pelag. l. 2. *part.* 1. 2. *th.* 6. *&* 7. *p.* 191.

hominis primi. Illud indicat Deum creaturæ institutorem, hoc indicat Deum inobedientiæ punitorem. Denique idem ipse Christus propter illud creandum factor & dominus, propter hoc sanandum factus est homo. Ita latissimè B. Augustinus *c.34.35.36.37.38.&c.* Et *in lib.1. de nuptiis & concupisc. ad Valerium Comitem cap.1.* inquit: *Heretici novi, dilectissime fili Valeri, qui medicinam Christi, qua peccata sanantur, carnaliter natis parvulis necessariam non esse contendunt, damnatores nos esse nuptiarum operisque divini, quo ex maritis & feminis Deus homines creat, invidiosissimè clamitant: quoniam dicimus eos, qui de tali commixtione nascuntur, trahere originale peccatum, de quo Apostolus ait, per unum hominem intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: eosq; de parentibus qualibuscunque nascantur, non negamus adhuc esse sub Diabolo, nisi renascantur in Christo & per eius gratiam de potestate eruti tenebrarum, in regnum illius, qui ex eadem utriusque commixtione nasci noluit, transferantur. Hoc ergo quia dicimus, quod in antiquissima atque firmissima Catholica fidei regula continetur, isti novelli ac perversi dogmatis assertores, qui nihil peccati in parvulis esse dicunt, quod lavacro regenerationis abluatur, tanquam damnemus nuptias, & tanquam opus Dei, h.e. hominem, qui ex illis nascitur, opus Diaboli esse dicamus, infideliter vel imperitè calumniantur. Nec advertunt, quod ita nuptiarum bonum, malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari, sicut adulteriorum & fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Nam sicut peccatum sive hinc, sive inde à parvulis trahatur, opus est Diaboli, sic homo, sive hinc sive inde nascatur, opus est Dei. Idem est in conjugatis, ut hac laudanda atque optanda, sic alia toleranda sunt, ne in damnabilia flagitia, id est, in fornicationes vel adulteria corruatur. Propter quod vitandum malum, etiam illi concubitus coniugum, qui non fiunt causa generandi, sed victrici concupiscentiæ serviunt, in quibus jubentur condescendere invicem, ne tentet eos Satanas propter intemperantiam suam, non quidem secundum imperium præcipiuntur, & tamen secundum veniam conceduntur. Sic enim scriptum est, Vxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite invicem fraudare, nisi ex consensu, ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum ad id ipsum estote, ne tentet, vos Satanas propter intemperantiam vestram. Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. Vbi autem venia danda est, aliquid esse culpæ nulla ratione negabitur. Cum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod coniuges dum se non continent, debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamē voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hic sunt laudabiles nuptiæ, quia & illud, quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se. Neq; enim, iste concubitus, quo servitur concupiscentiæ, sic agitur, ut impediatur fœtus, quā postulant nuptiæ. Sed tamen aliud est, non concumbere, nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter coniugem, quod venialem habet culpam.*

culpam. Quia etsi non causa propagandæ prolis concumbitur, nec tamen huius libidinis causa propagationi prolis obsistitur, sive voto malo, sive opere malo. Nam qui hoc faciunt, quamvis vocentur coniuges, non sunt, nec ullam nuptiarum veritatem, sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt. Produntur autem, quando eousque progrediuntur, ut exponant filios, qui nascuntur invitis. Oderunt enim nutrire, vel habere, quos gignere metuebant. Itaque cum in suos sævit, quos nolens genuit, tenebrosa iniquitas clara iniquitate in lucem promitur, & occulta turpitudo manifesta crudelitate convincitur. Aliquando eousque pervenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret, & si nihil valuerit, conceptos fœtus aliquando, intra viscera extinguat, ac fundat, volendo suam prolem prius interire, quam vivere, aut si in utero jam vivebat, occidit, antequam nascatur. Prorsus si ambo tales sunt, coniuges non sunt. Et si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius convenerunt. Si autem non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris. Quia igitur tales nuptiæ esse non possunt, quales primorum hominum, si peccatum non præcessisset, esse potuerunt, sint talem quales sanctorum Patrum fuerunt, ut pudenda carnis concupiscentia, quæ in paradiso nec ante peccatum fuit, & post peccatum esse permissa est, quia necesse est in corpore mortis huius ut sit, non ei serviatur, sed ipsa potius non nisi ad propagandam prolem servire cogatur. Aut quia hoc tempus, quod jam esse diximus continendi ab amplexu, non habet huius officij necessitatem, adiacente undique in omnibus gentibus tanta fertilitate gignendorum spiritualiter filiorum, illud potius excellentis continentiæ bonum qui potest capere capiat. Qui verò illud capere non potest, si acceperit uxorem, non peccat, & femina si se non continet nubat. Idem *l. 9. de Genes. c. 7. Infirmitas incontinentia, quæ est in carne per peccatum mortua, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honestate nuptiarum. Si non peccassent primi homines, sine carnis incentivo ac fervore libidinis ipsi ac successores eorum convenirent, & sicut remunerabile est aliquod opus bonum, sic coitus eorum bonus esset & remunerabilis. Quia & propter peccatum lethalis concupiscentiæ lex membris nostris adhæsit, sine quo carnalis non fit commixtio, reprehensibilis est & malus coitus, nisi excusetur per bona coniugij.* Idem *l. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 29. Bonum coniugij non est fervor concupiscentiæ seu libidinis, sed quidam licitus & honestus illo fervore utendi modus.* Sic Augustinus accuratè ostendit, Deum ab omni cooperatione cum peccato originali & aliis in conjugibus post lapsum occurrentibus inordinatis motibus liberum esse, etiamsi in perpetuum & usque ad seculi consummationem permissionem istorum decreverit, etiamsi etiam ista permissio sit absoluta & inconditionata, etiamsi infamiam, quæ tam enorme peccatum, quale est originale, sequitur, & cæteris impuris motibus adhærere solet, detraxerit, & illæsæ dignitatis esse conjuges cum ista impuritate fœdatos jusserit, etiamsi annexam esse ejus propagationem propagationi totius speciei humanæ permiserit, etiamsi Societati tali vim in possessione sua passæ publicam defensionem sanxerit, & multa alia beneficia indulserit, quibus ad majus bonum sc. totius speciei conservationem spectat. Unde illa propositio

Eusebii vera non est. *Qui malum permittit lege perpetuâ, absolutè & inconditionatè, subjectisque eo fœdatis infamiam detrahit, & statum illæsæ dignitatis conservat, imò mali propagationem sinit cohærere rei optimæ & potestati divinitus concessæ, & turbantes in ea possessione & propagatione tuetur, is directè & indirectè illi malo cooperatur.* Sic enim subsumimus. At Deus in societate matrimoniali malum peccati originalis & alia actualia permittit lege perpetuâ, absolutè & inconditionatè, conjugibus quoque illo malo fœdatis infamiam detrahit, & servat eatenus statum illæsæ dignitatis, imò etiam potestati ad multiplicationem, quæ optima est, sinit cohærere multiplicationem & propagationem peccati originalis, & societati matrimoniali in sua possessione & propagatione liberorum inevitabiliter inficiendorũ turbatæ defensionem sanxit. Ergo Deus ad peccati originalis & aliorum inordinatorum motuum existentiam tum indirectè, tum directè cooperatur. Conclusio est absurda. Minor ex re ipsa certissima est. Ergo maior, ex qua absurda conclusio promanavit, absurda erit. Clariora fient omnia, si fiat

PARALLELISMUS.

Societatis domesticæ matrimonialis,	&	*Societatis publicæ Imperii Romani.*
I. In hac erat à DEO instituta casta & sancta thori usurpatio.		I. Ita & in hac olim fuit religionis unius sanctæ cœlitus facta adornatio.
II. In hanc ingressa est transgressione Adæ originalis labes communicabilis generando dividens à DEO.		II. In hanc ingressa est religionis depravatio, radicata in diversis provinciis.
III. Originalis labes & inordinati motus in cohabitatione matrimoniali malum sunt.		III. Religionis depravatio & admissi errores in societate civili malum sunt.
IV. Deus societatem matrimonialem propterea non dissolvit.		IV. Sic nec societatem civilem imperii idcirco dissolutam cupit.
V. Deus in societate matrimoniali originalem labem & motus inordinatus permittit.		V. Sic & Deus in societate civili religionis depravationem & admissos errores permittit.
VI. Deus originalem labem & inordinatos congressus, ut in se mortifera mala, in societate matrimoniali, odit & abominatur.		VI. Sic Deus in societate civili religionis depravationem & admissos errores, ut in se mortifera mala, odit & abominatur.

VII. Deus

VII.

Deus ſanxit tolerantiam peccati originalis in hac ſocietate & motuum inordinatorum permiſſionem.

VIII.

Etiam perpetuam tolerantiam propagationis peccati originalis & continuationem actionũ inordinatarum Deus tolerat, quia ſecus maius malum immineret.

IX.

Magiſtratus non poteſt ex autoritate Dei expellere è republ. eos, qui inordinatos & impuros motus in matrimoniali ſocietate exercent, quia inſignis multitudinis jactura inde ſequeretur.

X.

Deus potuiſſet genus humanum ſine iſtorum abominandorum confluxu vitiorum propagare, & tamen toleravit, ne generi humano vis inferretur.

XI.

Deus tolerat in ſocietate matrimoniali iſtam peccati propagationem, quia non eſt contra conſcientiam, & cæteros pravos motus, quia ſunt ex imbecillitate & caligine naturæ.

XII.

Deus ob tolerantiam hanc nõ dicitur indirectè cooperari propagatiõi peccati originalis & motuũ inordinatorum.

XIII.

Deus in ſocietate matrimoniali tolerando propagationem peccati originalis & inordinatorum motuum exiſtentiam detraxit illis defectibus infamiam, quam extra illam ſocietatem habent, ut eo intuitu retineant homines ſtatum illæſæ dignitatis.

VII.

Sic Deus non vetuit lege morali tolerantiam religionis Chriſtianæ corruptæ in ſocietate Imperii omni caſu.

VIII.

Sic & perpetuam tolerantiam depravatæ religionis & admiſſorum errorum DEUS non interdixit, ſi maius malum imminere prudenter videatur.

IX.

Sic magiſtratus autoritate Dei non poteſt expellere è repub. eos, qui depravatæ religionis cultum in ſocietate civili exercent, quum inſignis multitudinis jactura inde ſequeretur.

X.

Ita ſi poſſibilia forent extinguendi depravatam religionem & admiſſos errores media, quia tamen civili ſocietati magna vis inferenda eſſet, rectè tolerantur.

XI.

Sic & toleranda errorum prævaldiorũ pullulatio, quamvis in ſe tetra, quia ſine ſocietatis humanæ caſu vix diſſipatur, quia non eſt contra conſcientiam, quia oritur ex caligine naturæ.

XII.

Sic & tolerantia hæreſeos talis non eſt indirectè hæreſi cooperatrix.

XIII.

Sic & tolerando in ſocietate civili Imperii depravatæ doctrinæ inveteratam occupationem per ſententiam Imperii, detrahitur ei infamia, quam extra hanc Comitiorum Imperialium ſanctione ſubituri occupati fuiſſent, & ſervatur illis ſtatus illæſæ dignitatis.

XIV. Deus

XIV.

Deus matrimonio annexam reliquit potestatem multiplicandi genus humanum atque libertatem, huius autem exercitio intimè implicata est potestas, aut potius impotentia ad originale & actualia vitia.

XV.

Deus vult concessum jus & actionem ad eam partem, quæ à societate matrimoniali, etiam pertæsa imperfectionũ, sese subducit, & adigit ad debitum reddendum, licet subincurrat peccatum, ne solvatur societas.

XVI.

Deus adversus societatem matrimonialem, non obstante corruptione eius, vim passos non minùs defendere jubet, ac eos, qui ab ea corrupta societate abstinent.

XVII.

Hæc defensio nititur lege & fœdere perpetuo, quo sancita est tum multiplicatio generis nostri, tum permissa connexio multiplicationis eiusdem.

XVIII.

Hæc defensio non est ullo modo cooperatio cum peccato & maculis societati adjacentibus.

XIV

Sic & libertas ad religionem depravatam usurpata in imperio relinqui potest, velut potestati alti imperii annexa.

XV.

Sic & quæ videbantur depravatæ doctrinæ erepta & in professores veræ religionis restituta, ne respublica solvatur, rursus illi imperfectioni & abusui subjici possunt.

XVI.

Sic & in societate reipublicæ, qui depravatâ doctrinâ corrupti sunt, vim passi defendi possunt propter bonum publicum, non minus ac illi, qui ab ea corrupta abstinent.

XVII.

Sic & nihil impedit, lege perpetuâ niti & fœdere amico quopiam, quo conservatio reipublicæ attenditur, si defensio præstetur illis, qui depravatâ religione infecti sunt.

XVIII.

Sic & defensio eorum, qui admiserunt errores, cooperatio cum erroribus non est.

Ex hac collatione, cooperationis indirectæ & directæ cum depravata religione & hæresi nullitas, etiam posita illa pacificationis formula, elucescit.

Ex exemplo Mosaica permissionis de libello repudii dato.

Subnectamus *permissionem dandi libelli repudii* Mosaicam. In politia Judaicâ moris fuisse, ut quacunque de causa κατὰ πᾶσαν αἰτίαν uxor libello repudii dato dimitteretur. Colligitur hoc ex quæstione, quam Pharisæi Matth. 19, 3. Christo proponunt. Abutebantur hanc in rem lege Mosaicâ Deut. 24, 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* Hanc legem sic accipiebant, quòd bonâ conscientiâ etiam coram Deo, quacunque levissima ex causa marito licitum sit uxorem repudiare, ac tum repudiantem tum

tem tum repudiatam vivente priore conjuge aliud matrimonium contrahere posse statuebant. Proinde si cui erat uxor vel deformis, vel rixosa, vel morosa, illi judicabant licitum esse eandem repudiare & aliam ducere. Hanc sententiam exprimit Josephus *lib. 4. Antiq. Iud. cap.* 8. Qui *à conjuge quacunque de causa, ut sæpe hominibus usuvenit, disjungi postulat, scripto ei securitatem faciat, quod eam nolit amplius repetere, sic enim habebit potestatem alterius conjugis quærendæ, alioquin divortium non permittitur.* Siracides cap. 25. vers. 34. ita repræsentat: εἰ μὴ πορεύεται γυνὴ κατὰ χεῖράς σου, ἀπὸ τῶν σαρκῶν σου ἀπότεμε αὐτὴν, δίδου καὶ ἀπόλυσον. *Si non ambulat mulier secundum manum tuam, à carnibus tuis abscinde illam, da, scilicet libellum, & dimitte.* Libelli repudii hanc fuisse formulam, tradit P. Fagius *in annot. ad Targ. Onkelos in Deut.* 24. *In quarta Sabbathi, in vigesima mensis Sivan, anno quinquies millesimo &c. à creatione mundi hic & in hac civitate ego R. Iacob sic cognominatus filius R. Iizhac volui ex animo atque citra ullam coactionem dimisi & ejeci hanc, quæ hactenus fuit uxor mea, filia illius Rabbi, & concedo illi licentiam & potestatem, ut pro libitu suo vadat, quò voluerit, ducique possit ab omni viro, nec eam quisquam prohibere præsumat, in cuius rei testimonium dedi ei libellum repudii & schedam dimissionis, atque signaculum divortii iuxta constitutionem Mosis & Israelis.* Drusius *lib.* 14. *observat. cap.* 10. putat, omitti hac formula obligationem de non repetenda dimissa, sed omnino comprehenditur. Christus ab hoc sensu Pharisæos avocat & ad sanctionem conjugii primigeniam reducit, qua cum illa dimittendi conjuges ob causas obvias facilitas vehementer pugnet. Aliam verò eamque unam hoc loco ponit justæ dimissionis causam, adulterium. Ad legem Mosaicam quod attinet, qua nitebantur Pharisæi, respondet Salvator: Moses πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν, propter duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, igitur discrimen facit inter mandatum & permissionem, inter forum poli atque conscientiæ, & inter forum soli atque politicum, in quo permittuntur aliqua interdum, maioris mali evitandi causa, uti in hoc casu. Quia enim Judæi erant populus duræ cervicis, quibus nisi dimissio uxorum permissa fuisset, pertinacia severiora in uxores & atrociora scelera dictatura fuisset, itaque Moses permittendum esse censuit minus malum, ut maius evitaretur. Interim permissio circumscripta fuit legibus & conditionibus, quibus quantum fieri poterat, coërcebatur ferocia. Equidem sunt, qui in lege matrimonii primitiva dispensatum fuisse divinitus censeant, Deum scilicet indissolubilitatem relaxasse & dispensasse in tantum ut sine peccato matrimonia dirimi & repudia fieri à Judæis potuerint. Ita sentiunt Thomas 1.2. *quæst.* 102. *art.* 5. *ad* 3. Durandus 4. *dist.* 23. *q.* 3. *a.* 1. *num.* 7. Paludanus *ibid q.* 1. *a.* 2. *num.* 28. Mayronius *q.* 2. Antoninus *part.* 3. [illegible] 14. *cap.* 10 §. 3. P. Burgensis *Matth.* 19. *addit.* 2. *& Deut.* 24. *addit.* 2. *& Deut.* 24. *add.* 2. Abulensis *Matth.* 19. *q.* 46. *&* 49. *id.* 6. *q.* 56. *&* 61. Eccius *hom.* 74. *de sacram.* Petrus à Soto *lect.* 13. *de matr. difficult.* 2. Mart. Ledesma dicens, esse communiorem opinionem, 2. *p.* 4. *quæst.* 69. *art.* 7. *dub.* 1. Veracrucius 2. *part. specul. art.* 10. *conclus.* 1. Guilelm. Borrilong 4. *dist.* 33. *q. un. art.* 2. *conclus.* 3. ubi Celaia *q.* 3. Palacios *ibi disput.* 3. *conclus.* 3. Bellarminus *l.* 1.

nus *l.1. de matrim.c.17. solut. ad* 14. Maldonat. *in* 19. *Matth. nu.* 8. *q.2.* Eman. Saa *ibi* N.8. *&* *c.5.n.31.* Metina *l.4. de sacror.hom. continentia controvers.1. cap.*10. Angles *florib.* 1. *part. de matrim. q.7. de bigam. art.1. difficult.2. conclus.1.* Petrus Ledesma *de matr. q.68. art.3. conclus.1. &* 2. Et dicit videri probabile, *supplementum Gabrielis in 4. distinct.33. q.1. art.1.* & dicit forte ita esse, Henriquez *l.11. de matrim. cap.* 8. *num.15. in fin.* Lorinus *in Deut. cap.24. vers.1. & Levit.21. pag.673.* Barradius *T.* 3. *Concord. Evang. lib.5. cap.2. num.5.* Cornel. à Lapide *ad Matth.19. 3, & Ecclesiast.25. vers. ult.* quanquam asserat, Malach.2. vers. 14. & seqq. septem argumentis disputari contra Judæorum repudia, plerisque depromtis ex primitiva insolubili conjugii institutione deductis, Thomas Sanchez *de Matrim. lib.*10. *disput.1.* Ad. Tannerus *T.4. Th. Schol. disput.8. de Matrim. quæst. 5. dub.2.* Caspar Sanctius *ad Mal.* 2. *vers.*14. & alii. Nihilominus communissima est sententia, fuisse illam dispositionem de repudii libello meram permissionem rei ex se illicitæ ad maius malum evitandum. Hanc tuetur B. Hieronymus *lib.1. Comment. in Matth.5. & lib.3. c.19.* Glossa Ordinaria *super Matth.5.* Nicolaus Lyranus *Matth. 5. &* 19. Joh. Gagneius *ibid.* Guido Perpinianus *in Monotess. pag. 659.* Replicator contra P. Burgens. Matth. Doring. *adv. ad d. 2. Matth.* 19. Lombard *in 4. d.33.* & ibi Bonaventura *art.3. q.1.* Alexander Alens. *3. part. quæst.46. memb.2. art.1.2. &* 3. Guil. Parisiens. *tit. de sacram. matrim. cap. ult.* Hugo de S. Caro *Deut.26.* Dionys. Carthus. *ad Matth. 19.* Franc. Mayron. 4. *distinct. 35. quæst. unica.* Domin. Sotus *in 4. dist.33. quæst.2. art.2. conclus.* 2. Johan. Arboreus *Theosoph. lib.16. cap.* 1. Alfons. à Castro *lib. 2. de lege pœnali cap.11. in 3. princip. argum.* Johan. Viguerius Granatensis *Inst. Theolog. cap.16. §. 7. v.9. impedim.10.* Ludovic. Lopez 2. *part. instruct. de Matrimon. cap.50. ad fin.* Gregorius de Valentia *lib. de indissolubil. Matrim. cap.4.* Th. Sanchez *lib.* 1. eam *valde probabilem* censet. Thomas Aquin. *in 4. dist.33. quæst. 2. artic.* 1. *quæst.* 2. & Richardus de Mediavilla *ibi art.3. quæst.* eam *communiorem* vocant. Eam ex JCtis tenent Glossator *in C. cum in lege. verb. & in odio. 23. quæst.4.* Innocentius *C. Gaudemus, num.1. de divortio.* ubi Hostiens. *super verb. Qui autem.* Cardinalis *num.5.* Alexander de Neuo *ibi §. Qui autem. num.5.* Archidiaconus *cap. qui peccat. num.2. vers. in 1. gloss. 23. 23. quæst.4.* & ibi Bellemera *n.6. vers. in 1. glossa.* Tiraquellus *lib.9. Connubial. num.5.* Johannes à Monte Granario *inter consilia Baldi consil. 428. colum. 5. lib. 5.* Robertus Senalis Abrincensis Episcopus, quem refert & sequitur Covarruvias *in 4. decret. 2. part. cap. 7. §. 4. num. 4.* Martinus ab Alzpilcueta Navarrus, *lib.3. Consil. tit. de convers. infidel. consil.3.* Petr. Gregorius Tholosanus *Syntag. iuris part.a. lib.9. cap.10. num.1. & part.3. lib.22. cap.3. num.20.* & alii. Cornelius Jansenius Gandav. Episcopus *Concord. c.96.* prolixè pro eadem sententia pugnat. Vide omninò nostrum D. Gerhardum *Tom. 7. Loc. Theolog. §. 506. num. 999.* Supposito igitur, secundum hanc sententiam, repudia Judæorum ob causas leves, & extra casum fornicationis, esse rem jure divino interdictam, adeóque malam, peccaminosam, causam fornicationis seu adulteriorum, ut Christus ipse interpretatur: Repudiis tamen istis, ob maius malum avertendum

dum permissis, modus aliquis lege Mosaicâ præscriptus & circumscriptus est, intra quem coërcerentur. Pax autem civilis repudiantibus & impunitas civilis à Magistratibus data fuit. Et hæc data pax atque permissionis circumscriptio fuit perpetua, & decurrebat, quantum ad Magistratûs & jurisdictionem ordinariam attinebat, cum duratione reipublicæ Judaicæ, non nisi divinâ immediatâ revelatione abroganda. Erat insuper etiam absoluta & inconditionata potestas dandi libelli repudii. Quis tamen asseverabit, fuisse Mosen & quicunque repudiorum permissionem sanxerunt, indirectè cooperatos ipsi repudiorum injustitiæ & vitiositati, qua illa polluta ab illis periculosis consequentibus, quæ à repudiis illis dependebant. Porrò Repudiatores in foro soli jure divino & humano meritò infames, tanquam qui primigeniæ legi matrimonii & luci naturali adversarentur & in effectu adulteri fuerunt, in illius permissionis & impunitatis firmatæ lege, quæ inter fundamentales reipublicæ Hebrææ relata est, obtinent statum illæsæ dignitatis, & detrahitur repudiationi & Apostasiæ turpi à fœdere conjugiali omnis infamia sive juris sive facti. Præterea Judæis maritis per illam dispositionem de repudiando, actu turpissimo & ex se illicito, potestas ad hunc actum videtur annexa potestati maritali, sicut potestas reformandi dicitur annexa potestati & superioritati alti imperii. Jam jus repudiandi ex intentione permittentis non ex se ordinatur ad repudiationem, ita & jus reformandi de se ad reformationem non ordinatur. Ad hæc Judæis, repudiare volentibus, in tribunali Mosaico tribuebatur jus ad obtrudendum libellum repudii uxori etiam invitæ. Jubebantur etiam judices in causis matrimonialibus pertinaci repudiatori jus dicere, non attenta matrimonii insolubilitate naturali; dummodò libellum repudii promulgasset secundam formulam circumscriptionis Mosaicæ. Pariter etiam Statibus Romani Imperii libertatem religionis cupientibus, & repudiare volentibus, quod videtur erroneum, conceditur jus in suis ditionibus introducendi illud pietatis exercitium, quod designatum est Imperii lege, altero circa quod optio data est, repudiato. Et ita etiam judices Cameræ secundum legem Imperii jus istud, quicquid sit, de illius abusu, tenentur tueri. Insuper qui adversus dispositionem de permittendis certâ lege repudiis vim passi sunt, exempli gratiâ, si conjunx libellum repudii nollet recipere, aut turbasset familiam, si cognati ad retentionem conjugis vi aut minis adegissent, aut adigere tentassent maritū, non minus eos tueri tenebatur Moses, hoc est, Magistratus Judaicus, ac eos, qui in matrimoniis initis servaverunt constantiam. Item expellere mulierem innocentem contra quam nauseat Judæus Zelotypus aut morosus, & emigrationem ex domo familiari, in qua liberos ex se genitos cum ingenti dolore videt, eidem imperare, introducere consuetudinem cum nova sponsa, eripere legitimæ uxori jus ad corpus mariti sui, legitimo connubiali fœdere partum, ut tradatur superinductæ, non sunt actiones ex se bonæ & ex objecto suo, neque sanè indifferentes. Ergo cum ad aliud membrum, quod non habet Theologia, referri non possint, ex se & objecto malæ sive criminosæ erunt. Itaque magis excusari non

poterunt, quàm subditos domo ejicere, si domino non amplius placeant: item exercitiũ adulterii commento aliquo plausibili aliquò introducere vel reducere: eripere denique innocentibus bona & jura, ut sceleratis restituantur. Eripitur enim uxori bonum & jus matrimoniale ad suum conjugem, & quidem non raro innocenti, & viro nauseabundo, duræ cervicis, voluptuario restituitur. Si jam licet Eusebio Ernestino concludere, cùm Status, quibus libertas religionis constituendæ data est, compellunt subditos ad hæresin vel emigrationem ex patria, cùm introducunt, vel reducunt exercitium hæresis in loca Catholica, cùm eripiunt Catholicis bona & jura legitimè recuperata, ut hæreticis restituantur, non committunt actiones bonas aut indifferentes, sed malas & criminosas, Ergo qui Status in juribus suis, quibus abutuntur, dum tales actiones patrant, tuentur, illi in ipsarum actionum fœdarum participationem inducuntur; pariter & nobis fas erit concludere contra Deum per Mosen permittentem repudia, compulsionem uxorum ad emigrationem ex familia, introductionem conjugis in iniquè repudiatæ locum, ereptionem boni & juris matrimonialis uxori legitimæ & innocenti factam, ut illud in aliam, adulteræ vice-futuram, transferatur, & illum in actionis criminosæ participationem induci, & directè peccato cooperari. Hoc autem horribile dictu. Consequentia autem ex magna paritate inter casus utrosque emergit. Quapropter omninò defensio boni publici & privati, & utrique consecratum patrocinium Magistratus, in religionis quidem negotio ob rempublicam ab interitu vindicandam, in matrimoniali causa verò ad parricidia avertenda, atque sub hac permissio mali minoris, ad avertendum maius, diligenter discriminanda sunt ab improbis & criminosis actionibus, quæ sub ista tum permissione, tum defensione & patrocinatione exercentur,

An qui cedunt provincias erroneà religionis hominib. cooperentur directè introductioni hæresis?

VI. *Expulsionem Catholicæ religionis ex Monasteriis, ditionibus & Ecclesiis hæreticis superioribus annis legitimè receptis ex hac pace fluere, atque adeo eam directè cooperari peccato*, ait Ernestus. Idem etiam Protestantes disputare possent, an cooperentur peccato, si ditiones legitimè ereptas Pontificiis intuitu majoris mali avertendi, aut melioris boni obtinendi ista transactione cesserint, ex quibus illi haud dubiè introductam Religionem Orthodoxam ejicient? Respondemus, ista transactione libertatem & jus constituendæ Politiæ, tàm civilis, quàm Ecclesiasticæ concedi. Jus illud ad Majestatem pertinet. Et qui de eo participant, illi in tantum de ipsa etiam Majestate participant. Potest autem transactione aliqua fieri, ut transferatur illud jus in alium, &, hoc ipso priori possessori detrahatur, si illud summa necessitas, & publica utilitas, hac & non alia ratione restaurabilis, postulet. Jus illud concessum per se non ordinatur ad eversionem religionis & Ecclesiarum. Neque concessione juris illius cooperantur ad expulsionem religionis in restitutis ditionibus, qui transigunt. Pertinet enim in solidum ista ad usurpatorem juris concessi. Pertinet huc, quod ad C. *qui sincera. dist.* 45. glossa annotat. Nam cum Gregorius Paschasio Episcopo Neapolitano scribit: *Iudæi Neapoli consistentes questi nobis sunt, asserentes, quod quidam eos à quibusdam feria-*

rum

rum suarum solennitatibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis sit licitum, festivitatum suarum solennia colere, sicut eis hucusque & parentibus eorum longis retro temporibus licuit observare. Quod si ita se veritas habet, supervacuæ rei videntur operam dare. Nam quid utilitatis est, quando, etsi contra longum usum fuerint vetiti, ad fidem illis & conversionem nihil proficit? Aut cur Iudæis qualiter ceremonias suas colere debeant, regulas ponimus, si per hoc eos lucrari non possumus. Agendum ergo est, ut ratione potius & mansuetudine provocati sequi nos velint, non fugere, & eos, ex Codicibus eorum ostendentes, quæ dicimus, ad sinum matris Ecclesiæ Deo possimus adiuvante convertere. Itaque fraternitas tua eos monitis quidem, prout potuerit, Deo adiuvante ad convertendum accendat, & de suis illos solennitatibus inquietari denuo non permittat, sed omnes festivitates feriasq; suas, sicut hactenus tam ipsi quàm parentes eorum, per longa colentes retrò tempora tenuerunt, liberam habeant observandi celebrandique licentiam: ita ad *v. licentiam* scribit Glossator. *Sed nonne Iudæi mortaliter peccant ista faciendo? quomodo ergo datur eis licentia peccandi mortaliter? Sed dic, quod non dat eis hic licentiam peccandi, sed liberationem à pœna. Quod si Iudæi ab hoc prohiberentur, ergò jam cogerentur ad fidem.* Conf. & glossam ad cap. Deniq; Sacerdotes, d. 4. Dicamus & nos. Qui ita transigunt de bonis possessis & ditiones restituunt, non dant licentiam expellendi religionem veram, sed tantum permittunt, liberantque à periculo vindicationis & punitionis propter illam expulsionem. Et hoc etiam volunt verba pacis religiosæ. Es sollen die Keyserliche Majestät/ wie auch Churfürsten/ Fürsten vnd Stände deß H. Reichs/ keinen Stand deß Reichs/ von wegen der Augspurgischen Confession, vnd derselbigen Lehr/ Religion vnd Glaubens halb/ mit der That gewaltsamer weise vberziehen/ beschädigen/ vergewaltigen/ oder in andere weg wider sein Conscientz/ Gewissen vnd Willen &c. tringen oder durch Mandat/ oder in einiger anderer gestalt beschweren/ oder verachten. Et huc etiam spectat suspensio Jurisdictionis Episcopalis. Et idem reciprocè Augustanæ Confessioni addicti in ista transactione promiserunt. Possent etiam forsitan applicari, quæ disputat Ludov. Molina *de Iustit. & Iure, disp. 115. T. 1.* de Christianis captivis, qui remigant & alia obsequia in bello Turcarum adversus fideles præstant. Asseverat quidem Martinus Navarrus *Manual. cap. 2. not. 63. & c. ita quorundam. not. 11.* Christianos eo pacto remigantes lethaliter peccare: *quoniam cooperantur ad lethale peccatum similia imperantium, quod neque mortis metu proposito licet.* Aliter autem procedit Molina, & dicit: *non fas quidem illis esse, etiam mortis metu, pugnare adversus Christianos, quenquam interficiendo, vulnerando, percutiendo: quia id est intrinsecè malum, utpote innocentis percussio absque autoritate & jure ad id faciendum, quod neque efficere, neque adoriri, intendere, aut suadere licet: attamen metu mortis aut notabilis alicuius detrimenti fas esse remigare in triremibus infidelium, reliquaque præstare, quæ imperantur ad hunc actum: quoniam, licet ea omnia præcipiantur & ordinentur ab infidelibus ad malum finem peccatumque lethale, in se tamen mala non sunt, ut remigare adversus Christianos, asportare sarcinas & arma, ad*

ma, admovere scalas, construere propugnacula, sed sunt ex se indifferentia, & quamvis à Christianis captivis accommodatè fiant ad finem infidelium, non tamen fiunt ab eis propter eum finem, sed ad evadendam propriam mortem, notabileque proprium detrimentum, qui sunt fines optimi: facere autem, quod ex se, non est malum, & propter optimum finem, sanè malum non est, sed bonum: esto; qui id ita efficit, videat inde eventurum malum aliis ex alterius nequitia & pravitate. Sic & in casu transactionis religiosæ sese res habet. Nam libertatem & jus religionis alicui concedere ob majus malum evitandum, & indemnitatem impunitatemque in mutatione religionis juratò etiam promittere, in se malum non est, & fit propter optimum finem, quem etiam disertè pax religiosa exprimit §. Jn solcher. ubi finis indicatur: Solche nachdenckliche Unsicherheit auffzuheben/ der Stände und Underthanen Gemüter wider in Ruhe und vertrawen gegeneinander zustellen/ die Teutsche Nation unser geliebt Vatterland vor endlicher Zertrennung und Untergang zuverhüten. Et §. Und nach dem. ubi ita loquuntur Imperij proceres. Weil ohne beständigen Frieden zu Christlicher/ freundlicher Vergleichung der Religion nicht wol zukommen / so haben wir &c. diesen Friedstand von geliebts Frieden wegen/ das hochschädlich Mißtrawen im Reich auffzuheben / diese löbliche Nation vor endlichem vorstehendem Untergang zuverhüten / unnd damit man desto ehe zu Christlicher / freundlicher und endlicher Vergleichung der Religion und Glaubensachen kommen möge &c. Quamvis autem ista & juris religionis concessio & impunitatis promissio accommodatè fiant ad fidem eorum, qui religionem falsam propagatam amant & volunt, non tamen fiunt ab illis, qui ita transigunt, propter finem illum, sed ad evadendum proprium periculum & certius bonum promovendum; esto, qui ita transigunt, videant, inde eventurum malum ex alterius partis caligine.

QUÆST. III.

Ad Rationem II.

An pax religiosa injuriam inferat Creatori & veræ religioni?

I. Ernestus de Eusebiis dicit: *illo modo sancitam pacem cooperari hæresi.* Possent ita etiam dubitare Protestantes, & disquirere, an ij sic pacificantes cooperentur Antichristianismo prætenso, aut Papismo, quem illi etiam totum ex injuriis, blasphemiis in Deum, sanctos, veram Ecclesiam & sacramenta constare putant. At jam notatum, istam cooperationem nullam esse.

II. Ernestus ait, *pacem religionis hæresin veræ fidei exæquare 1. in dignitate illæsa famæ, 2. in libertate profitendi, 3. in defensione, 4. in perpetuitate.* Unde concludit.

cludit E. *creatori & religioni injuriam infert.* Resp. 1. *non exæquari.* Aliud enim est, ob emergentem inevitabilem necessitatem eos, qui heterodoxa dogmata profitentur, patrocinio, indemnitate & impunitate donare; aliud est exæquare heterodoxa dogmata ipsi cœlesti veritati. Posterius arguet & hominem profanissimum & ἄθεον. Prius ob causas graves fieri posse, jam indicatum est. 2. Hæresi, vel Papismo, vel Antichristianismo non detrahitur infamia in foro debito. Hoc tantum pax ista operatur, ut qui ista sive hæreseos, sive Papismi macula onerati sunt, immunes sint à pœna, ut Glossator loquitur, neque mutua ex ista causa bella, & ex bellis Germaniæ vastationes oriantur. Interim Magiæ & Sodomiæ ex isto respectu infamiæ difficultas detrahi nequit. Nam longè horum peccatorum alia ratio est, quam hæreseos. Illa enim circa evidentia versantur, & notoriam malitiam in se complectuntur. De hac aliter sentiendum, utpote cujus obscurum est objectum, non evidens. Ethnicus & Publicanus, quos ex Matth. 18, 17. objicit Ernestus, infames sunt manentque in foro poli & conscientiæ. Ita & hæresis. Sed non propterea in foro soli & civili Ethnicum infamem esse, censendum est. 3. Distinguendum inter libertatem, & libertatis usum. Illa sine injuria creatoris & religionis veræ præstatur, in promissionibus etiam juratis. Et hanc inprimis transigentes respexerunt. Usus libertatis ipsis conscientiis usurpantium relinquitur. Et hæc concessio DEO OPT. MAX. non est adversaria. Neque majestas præcepti veræ religioni in Imperio ademta est. Manet omninò illis obligationibus suus vigor: ad veræ religionis complexum omnes meritò trahimur. Coactio, vis, persecutio, ob veræ religionis intermissum complexum, duntaxat abolita, aut suspensa est. Atque hoc respectu tolerantia mutua est, salva præcepti autoritate. Tam enim Protestantes Romanenses tolerant, quam hi illos tolerare debent. Fallitur ergo Cardin. Hosius, cum respondet Paulo IV. *illam concessionem pacis religiosæ, qua nemo ob discessum ab una alterâve religione infamia civili notatur, esse approbationem sacrilegi schismatis.* Neque enim, qui veniam pœnæ mutuo sanciunt, veniam culpæ, ideoque sacrilegij approbationem illicò largiuntur. Non approbant Protestantes adversæ partis in Papismo pertinaciam, sed omnibus modis illa sacrilegia detestantur, quæ Papismum committere judicant, etiamsi transigant. 4. Defensio promissa est juribus acquisitis & libertati concessæ, idque non ex sanctione, sed ex transactione. Quapropter nullo modo ad injuriam creatoris pertinet & veræ religionis contemtum, si, etiam abutens illis juribus promissis & libertate concessa, defendatur. Non enim defenditur falsa religio, de qua in ista defensionis promissione non fuit attentum, sed defenditur jus civile & ipsa libertas ex transactione concepta, quam non propter eum finem remiserunt sibi invicem transigentes, ut libertatis abusus ad creatoris & religionis injuriâ grassaretur, sed ut effugeretur inevitabile proprium altrinsecus periculum. Si quis ex gravissima ratione, quam salutis publicæ intuitu prudenter iniit, alicui exemtionem à suo imperio concederet omnimodam, qua polliceretur etiam contra quamvis vim, liberali illi exemtioni adversam, defensionem, quomodocunque

cunque ille postea illa libertate &exemtione abuteretur ad Magiam, Sodomiam & alia scelera, non posset contra transactionem & concessam immunitatem atque exemtionem jure illum, propter illa scelera, persequi, sed sine læsione conscientiæ teneretur illum suæ conscientiæ in abusibus exemtionis & libertatis relinquere. Nam transactio de exemtione, & impunitate, ex gravibus causis & inevitabilibus, est res licita & honesta. At superveniens abusus ad conscientiam possidentis, non autem alterius transigentis pertinet. 5. Si hæresium ea natura est, ut quemadmodum citò oriuntur, ita facile occidant, ut scribit Ernestus Eusebianus, tunc transactio religiosa eam nihil mutabit. Transactiones enim non possunt mutare naturam rerum, quatenus à transigentibus non dependet. Perpetuitas autem errorum, à sola permissione divina, non autem humana transactione deducitur. Quapropter quando partes, quæ se mutuo errorum in religione reas agunt & arguunt, de non prosequendo & turbando in perpetuum transigunt & paciscuntur, non dant erroribus perpetuitatem, sed tantum permittunt, ut, quantum in ipsis est, viribus civilibus, impertinentibus & plus obstituris, errores illi non subvertantur. Interim spiritualibus armis quibuscunque, theoricis practicisq;, ad eversionem operantur, & perpetuitatem errorum deprecantur. Certum est, in alterutra parte esse imaginariam & opinativam perpetuitatem religionis assertæ. Vera & divina perpetuitas est prærogativa Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæque, quæ divino beneficio ad consummationem usque seculi conservabitur. Sed dum ex una parte est caligo & contradictio, ex utraque verò parte periculum præsentissimæ subversionis clarissimè emergit, per transactionem, quantum in transigentibus est, immunitas à molitionibus civilibus canonicisq;, contra durationem alterutrius religionis, promitti potuit, ut nihil conscientiæ, nihil religioni veræ contradiceretur. Potius igitur spectatur perpetuitas veræ religionis in illa mutuæ defensionis promissione & sanctione omittendæ impugnationis, quam ut falsæ religionis duratio attendatur. Malè ergo Ernestus ex Esaiæ cap. 52. minas movet. Neque enim in hac transactione malum dicitur bonum, & bonum malum, nec ponitur lux pro tenebris, aut tenebræ pro luce locantur, neque amarum dulcescit, aut dulce amarescit. Quod malum, caliginosum & amarum est, tale relinquitur, & ut malitia, caligo, & amarities tollatur, optatur. Immunitas duntaxat & impunitas mutua ob gravissima pericula inter animos utrinque suæ opinioni inhærentes promittitur. De re ipsa, mala an bona, lucida an caliginosa, dulcis sit an amara, transactio nihil pronunciat. Christus non dicitur Beliaal, neque Beliaal pro Christo venditatur. Apage Armonenses & Sicæcelenses nænias!

QUÆST.

QUÆST. IV.

Ad rationem III.

An pax hujusmodi sit causa perditionis animarum?

I. Cooperatio cum hæresi eversiva animarum, principiò ab Ernesto annotatur. Nos nullam esse, jam ostendimus. II. Ernestus quinq; argumenta pro cooperatione pacis ad eversionem animarum in salutis negotio producit. Sed nullum est, quod pondus habeat. Dicit I. *Pacem religionis Principibus & Statibus, qui tum defecerant, potestatem dare, hæresin in suis ditionibus stabiliendi & Catholicam religionem funditus evertendi, adeoque miseros illos populos Diabolo in perpetuum velut oppignorandi, ut reliqui Germani in vera fide maneant, idque contra morem divinæ bonitatis & justitiæ, quæ alios servat, aliis viam salutis non claudit.* Respond 1. concessionem potestatis, ad religionem ipsam pertinere, non ad qualitatem, quæ ab ipso usurpatore potestatis dependet. Etiamsi verò prævideat transigentium una pars, alteram ea potestate ad introductionem aut conservationem falsæ religionis abusuram, non tamen tenetur cum periculo subversionis communis boni à transactione desistere potius, quam ad eam progredi. Quia ab illa transigentium parte hoc consequens non attenditur, sed potius optimus finis, qui est, communis boni & suæ libertatis conservatio, quæ pretiosissimum est depositum. 2. Falsum est, *reliquis Germanis,* qui sub alterutra transigentium parte continentur, *viam salutis claudi.* Aliter enim provisum est in transactione religiosa. Absit *miseros populos Diabolo in perpetuum oppignorari,* quotquot in altera transigentium parte relinquuntur. Manet illis, unde ad lucem emergere, unde à Diaboli insidiis liberari possint. Atque hic bonitatis divinæ efflorescit ratio, quæ ubique fruendi veritate cœlesti aperit vias & media, quanquam ea alicubi sub majori & amœnissima sit libertate, alibi sub periculo, tormentis, oneribus. Et utut non ubique ingerat salutis media, nullibi tamen ab eorum amplexu arcet Deus.

Pax religionis nulli animæ necessitatem credendi imponit.

Dicit II. *Pacem religionis Principibus secularibus non solum in posterum quoque concedere potestatem deficiendi, sed subditos etiam reformandi, uti art. 1. & 2. colligitur, & imperij praxis confirmat. Subjacere igitur animas quoque subditorum arbitrio Principum Germanorum, frustra clamante Deo Ezech. 18, 4. Ecce omnes animæ meæ sunt. Tradere enim illas pacem religionis Principibus eadem ratione seducendas, qua Pilatus metu periculi sui perculsus tradidit Christum Iudæis crucifigendum, Ioh. 19. 16. Aut ergo Pilatum absolvendum, aut hanc Pacem damnandam.* Respond. 1. potestas religionis conceditur Principibus & Statibus, per illam Pacem. Qui illam deordinat ad defectionem à vera & Catholica religione, ipse Domino summo rationem reddet. 2. Subditos ad religionem cogendi, quam Status velint, nulla

Pax religionis subditorum animas non subjicit arbitrio Principum.

 ipsis

ipsis potestas concessa est. Imò de libertate religionis etiam ipsis subditis cautum est. 3. nullam in animas subditorum Principibus Germanis potestatem resignat pax ista, qua hoc unū agitur, ut animæ in negotio religionis à solo Deo pendeant, qui dominari conscientiis inter reservata sua habet. Et est inter Theologos Principum Germaniæ, quos admordet Ernestus, illud decantatissimum, *animas quoad religionem non subiacere coactionis oneri*. B. Lutherus Tom. 2. Jenens. fol. 186. *Liberum quiddam est credere, imò quiddam divinum in spiritu. Externa igitur vi cogi nec potest, nec debet.* Ita & olim Lactantius *divin. Instit. V, 19. Quis imponat mihi necessitatem vel credendi, quod nolim, vel quod velim, non credendi. Nihil tam voluntarium, quam religio, in qua si animus aversus, jam sublata, jam nulla est. Egregius ille prædicator Paulus*, inquit cap. Quid autem, distinct. 45. ex Gregorij Magni Epist. II, 52. *dicit, argue, obsecra in omni patientia & doctrina. Nova vero atque inaudita prædicatio, quæ verberibus fidem exigit.* Quorsum & pertinet responsum de templo Judæis permittendo Theodorici Roman. Regis apud Cassiodor. *Variar. V, 27. Damus licentiam, siquidem permissum est, sed errantium votum laudabiliter improbamus. Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus.* Quibus planè conspirat Petr. Joh. Perpinianus Jesuita *Orat. XVI. de retinenda veteri religione, p. 520.* dum ait: *Ego, Parisienses, neque vindicem generis humani, neque Apostolos in omnes partes ab illo dimissos, neque Apostolorum successores, armis aut fundasse, aut propagasse video, quam posteritati tradiderunt, disciplinam. Multa illos, cum Ecclesia prima fundamenta jacerent, legi fuisse perpessos, scio contumeliis affectos, crudeliter excruciatos audivi, bonis, exilio, morte multatos accepi: exercitu & castris obsessos atque ad internecionem cæsos cognovi: aliquid ipsos eodem ex genere fecisse, nusquam reperi, sive idololatræ, sive hæretici essent Principes, quorum illa jussu fierent. Semper eorum quamvis iniquis imperiis existimarunt sibi esse parendum; non illi animi ferocia, sed submissione; non minis ac terrore, sed lenitate, & benevolentia significatione, non instructis copiis, sed à Deo imploratis auxiliis; non armis, sed animis; non feriendo, sed ferendo, non occidendo, sed moriendo dimicaverunt. quo novo & inusitato pugnæ genere, quantum profecerint, opulentissima regna & imperia fermè per homines nudos victa declarant, & terrarum orbis sub Christi ditionem potestatemq; subiectus: cessit incondita indoctorum hominum voci compta Philosophorum eloquentia, cesserunt innumerabiles copiæ propè nudæ paucitati: gladij baculis, hastæ contis, piscatoriis naviculis classes ornatissimæ cesserunt.* Hæc ille, qui coactionem ceu modum conservandi cœlestem veritatem aut propugnandi, deinceps copiosè persequitur. 4. Immanis calumnia est, cum dicitur, *tradere pacem religionis animas subditorum Principibus suis eadem ratione seducendas, qua Pilatus metu periculi sui perculsus Christum tradidit Iudæis crucifigendum.* Ingens namque est diversitatis ratio. Principibus enim imperij data est libertas & jus constituendæ religionis Christianæ secundum verbum Dei, quam illi sibi jure divino tanquam Christianis Magistratibus deberi prætendebant, in qua etiam nullum superiorem, à quo normam credendi acciperent, nisi Deum, se agnoscere protestabantur. Et Principes

Cessio vi Pacis Rel. immane quantum distat à traditione Iesu in manus Pilati.

cipes Chriſtiani viciſſim alteri parti ſeſe obſtrinxerunt ad illud jus libertatemque illis conſervandum, quorum aliàs religionem in multis improbarunt. Sub hoc pacto reciproca jam currit permiſſio uſus illius libertatis, ob majus malum evitandum & majus bonum obtinendum. *Vſus autem ipſius defenſio* ad tribunal Dei differtur. *Nec licentia ſeu venia culpæ datur, ſed pœna ſuſpenditur*, de cujus juſtitia inter partes diſputabatur, *an ſc. poſſit Autoritas civilis Vi corporali, in religionis conſtitutione aliquid prætendentibus Statibus Reipub. & Imperij, occurrere & poſt excommunicationes & cenſuras Eccleſiaſticas, latas pœnas infligere?* Neque igitur traduntur ſubditorum animæ ſeducendæ Principibus, cum illis traditur jus libertaſque religionis conſtituendæ, aut etiam permittitur introductio improbatæ (jurene an injuria, hic non diſquiritur) religionis. Liberum eſt enim adhuc ſubditis, quam velint, religionem amplecti, quam nolint, repudiare. Adhæc in utraque transſigentium parte, qui ſibi mutuò fidem & jura dabant, aut confirmabant in ſanctione pacis religioſæ, regnabat *juſtus metus majoris imminentis mali*, & conſideratio incumbentis extremæ neceſſitatis, quam & in formula Pacis allegant. Unde etiam exceptio *ex eo, quod metus cauſa contractum ſit*, nihil operatur, quia libero conſenſu utrique inter ſe, utrinque metuentes majora mala & interitum Patriæ, & quidem graviter metuentes, tranſigerunt. Pilatus verò in hoc ſtatu non erat. Neque enim de religione agebatur, ſed de judicio Jeſu Nazareni & ſupplicio. Eſt autem circa propagationem religionis alicui permiſſam eatenus diverſa ratio periculi, quam circa permiſſam ſupplicij irrogationem, quia hic inevitabiliter mors per vim ſequitur, ubi ſemel deſtructo innocente homine per violentiam, non datur reparatio ruinæ. Circa illam animus ſuam libertatem retinet, eaque uti poteſt ad religionem illam amplexandam, vel reſpuendam. Quando etiam ſubſecuta eſt animarum in illa propagatione ſeductio, ſemper tamen datur locus reditui ad emendationem & converſionem. Deinde non erat in illo metu Pilatus, quem in ſanctione Pacis religioſæ præſentaneum fuiſſe, ipſa loquitur res. Nam neque Imperatori Romano, neque Imperio Rom. neque Provinciæ Judææ aliqua, ne dicam, extrema, imminebat calamitatis aut ſubverſionis neceſſitas, ſi vel maximè non traditus fuiſſet furori Judæorum Jeſus. Vanum erat & confictum, quicquid de hoc ſpargebatur. Neque etiam proprij periculi juſtus erat metus. *Duplex eſt metus, levis, quo timetur leve malum, vel grave, ſed leviter, hoc eſt, ex cauſa levi & improbabili, qui cadit in virum levem, timentem ubi non timetur. & gravis, quo timetur malum grave graviter. hoc eſt, ex cauſa probabili, qui ſecundum jura dicitur metus juſtus, ſive cadens in conſtantem virum.* Quam metus diſtinctionem jure utroque propoſitam explicat Thomas in quarto diſt. 29. quæſt. 1. art. 2. in corpore: ubi *conſtantem ab inconſtanti dupliciter ſecernit, primò ſc. quantum ad qualitatem periculi, quod timetur; cogitur enim ad minus malum ſuſtinendum, ut vitetur maius, non autem ad maius, ut vitetur minus: quia conſtans ſequitur rationem rectam, qua ſcitur, quid pro quo ſit dimittendum, vel faciendum, ſemper autem vel minus malum, vel maius bonum eligendum eſt. Inconſtans*

1. Ratione metus.

Quotuplex metus.

autem

autem cogitur ad maius malum, puta peccatum, metu minoris, puta pœna vel damni corporalis. Sicut econtra pertinax etiam cogi non posset ad minus malum damni, scil. ut evitet majus culpæ aut damni. Unde inter hos mediat constans. Deinde secernit etiam quantum ad æstimationem periculi imminentis: quia constans non impellitur nisi ex forti & probabili æstimatione. E adverso inconstans ex levi. Unde etiam apparet discrimen inter metum & vim. Nam juxta Panormitan. cap. sacris Extra, de his quæ vi metusve casu fiunt, *art*, Metus est vis quasi conditionata sine violentia corporali: *Vis autem est quædam coactio, qua quis ligatus cogitur corporaliter aliquid facere.*

II. Ratione casus. Talis metus in Pilato nullus erat, qualis in constantem virum cadere potest. Sed & non erat in illo casu, in quo Imperator, Rex & Proceres Imp. Rom. fuerunt, cum contra mutuam subversionem & præsentissimum interitum Germaniæ transigerent, & Pacem Religionis sancirent. Neque enim in casu & conditione transigentis cum Judæis positus erat, neque Senatusconsulto, quod transactum fuerat cum ipsis, tanquam paribus prætorij & Statibus, communitatis suffragiis confirmabat. Gerebat ille Cæsaris Vices, & plenissima cum potestate Judææ imperabat, neque quenquam ex incolis Judææ, sive ex Ecclesiastico, sive ex Politico statu participem jurisdictionis agnoscebat. Quod condescendit Sacerdotibus, & Innocentis bono mitibus remediis furorem eorundem reprimere voluit, humanitatis erat, prudentiæ & comitatis. Aliàs potuisset in præsens uti jure suo & è tumultuario judicio eripere, quem crimine carere intellexit. In securitatem habebat Prætorianos suos. Et apud Cæsarem prompta fuisset defensio. Unde extra omne periculum necessitatemque positus, præcipitavit Jesu supplicium.

III. Ratione facti. Denique non fuit in illo facto Pilatus, in quo transigentes constiterunt. Nam Pilatus παρέδωκεν Ἰησοῦν φραγελλώσας ἵνα σταυρωθῇ. Matth. 27, 26. Marc. 17. 15. Joh. 19, 16. Sed hæc non est sola & nuda permissio, sed cooperativa, directivè & formaliter concurrens ad crucifixionem immeritam & iniquissimam, adeoque ad mortale peccatum. Nam ἐπέκρινε γενέσθαι τὸ αἴτημα αὐτῶν, quod tendebat ad σταύρωσιν Luc. 23, 24. Ἐπικρίνειν nihil hic est aliud, quam *judicando decernere*. ita θάνατον ἐπέκρινε, inquit Scriptor II. Maccab. 4, 48. Didacus Stella *in Luc. p. 492. Pilatus ambitiosus, volens amittere principatum, quanquam pronunciasset Christum innocentem, volens tamen magis clamoribus populi satis facere, quam Deo & justitiæ, timensque, ne accusaretur de Cæsaris rebellione, cum hoc, nullum suspicans periculum, etsi innocentem nau perem morti adiudicaret, maximè quia contradictor aliquis non comparebat, protulit sententiam & judicavit eum ob culpam affectati regni esse crucifigendum &c.* Neque *definitivè* tantum concurrit ad crucifixionem & per sententiam judiciariam capitalemque, sed etiam *executivè*. Tradidit enim illum non in manus Judæorum, sed militum. Nam στρατιῶται erant παραλαβόντες Matth. 23, 27. Marc. 15, 16. qui Jesum in prætorium rapuerunt, collectaque cohorte universa flagellarunt, eduxerunt, crucifixerunt. Milites autem illi à Pilato dependerunt, à quo imperium executionis acceperunt. Itaque non permisit Judæorum libertati Jesum Pilatus, sed carnificibus lictoribusque suis supplicium demandavit, & quod in actis

& votis

actis & votis fuit Judæorum, ipse per sententiam determinavit & per executionem complevit.

Dicit III. Ernestus: *per Pacem religionis subditis imponi necessitatem aut hæreseos amplectendæ, aut infaustæ emigrationis. Ut enim emigratio Catholicis inter Catholicos est illecebra Apostasiæ, propter amicam carni novi Evangelij libertatem, ita iisdem inter hæreticos est lex exilij, ipsisque hæreticis remora conversionis. Innumeros hisce præsertim annis ad Catholicos transituros fuisse, si illis Catholicum Principem retinere, aut sub Acatholico fidem in patria profiteri liceret. Paucos esse Abrahamos, qui vocante Deo egrediantur de terra sua & de cognatione sua, & de domo Patris sui. Gen. 12,1. Multos se in Patria facile alere, qui ægre foris mendicaturi sint. Denique si integra communitas, oppidum, pagus emigrare vellet, vix credi posse, aut id permissuros Status Protestantes, aut emigrantes locum apud Catholicos reperturos, ubi considere, & victum habere, aut quærere queant.* Resp. 1. Protestantes in transactione & pacificatione religiosa communiter in ea fuerunt sententia, *beneficium sive facultatem emigrandi* subditis in iis regionibus concessam, ubi publicè ea, quæ ipsis placet, religio non colitur, *esse voluntatis, non necessitatis*; qua de re alibi disputatur ex his fundamentis. I. *quia* formula pacificationis utitur dictione wollen: quam voluntatem inducere, non necessitatem aliquam coactivam, apud omnes constat. *l. non quicquid. 49 ff. de judiciis.* II. *quia* libertas fini disponentium convenientior est, propter verba pacis. Der Stände vnd Vnterthanen Gemüter in Ruhe vnd Vertrawen gegeneinander zustellen. Item: Daß die Ständ vnd Vnterthanen sich gewisser vnd beständiger Sicherheit gegeneinander zuversehen. III. *quia* libertas mansionis cum privata conscientiæ libertate conjuncta communi jure non est prohibita. IV. *quia* idem beneficium & amplius Judæis tum Doctoribus & Seductoribusque, tum seductis, sine sufficienti aliqua disparitatis ratione conceditur. V. *quia* necessitatem emigrationis subditis Pontificiæ religionis impositam, ipse Carolus V. improbavit in recessu de Anno 1530. §. Item etliche Obrigkeiten. Qua de re videantur Heinr. Andr. Cranius, Syringus, Bertramus, Remchingerus, & alij. Hactenus ergo ex parte Protestantium Pax religiosa nullam habet difficultatem ex ista objectione. 2. Libertas illa emigrandi in universum *non est illecebra apostasiæ data, sed accepta.* Libertas enim illa, absolutè loquendo, in remedium conscientiarum anxiarum tendit, & querelis de tormentis impositis anxiis & scrupulosis conscientiis, obviam ire satagit. Quod abutuntur nonnulli illa libertate, & emigrant ad ejus religionis liberum exercitium, quæ corrumpendis animabus ansam præbet, ad abutentium vitium, non libertatis ipsius scopum pertinet. 3. Carni novi Evangelij libertatem amicam esse, calumnia est. Sub servitute Papali carnis tyrannis & luxuriosa effusio longè amplior est, ut alibi à nobis demonstratum est, quam sub novo, quod Ernestus vocat, Evangelio. Et qui ad nos transiverunt emigrationis necessitate compulsi, testari possunt, quanta apud nos carnis pabula repererint. Quid igitur attinet, in tractatione sanctissimi negotij calumniari? 4. Possemus jure meritóque queri

Pax religionis nequaquam aut ad hæresin adigit, aut ad emigrationem.

 de ty-

de tyrannide adversus perplexas suspirantésque conscientias ex adversa parte usurpata, qua neque emigrationem, inter ultima solatia apprehensam à miseris subditis, concesserunt, qui tamen pacis formulæ subscripserunt. Sed hoc ad abusus referimus, nec ob id pacis formulæ succensemus. 5. Si pauci in Ernestinis partibus sunt Abrahami, quibus pro veritate omnia derelinquere gloria sit, sibi illæ partes adscribant, quod tantos heroas efficiant, qui glebæ, quam Deo fortius adhæreant. Nos Abrahamos multos & illustres enumerare possumus, quos gratiæ divinæ commendamus, & ad jura sua admitti innocenter depulsos optamus. Illi sanè tot maiorum meritis, tot propriis inclyti, cùm exire jussi essent, opulentis possessionibus cesserunt, ut Deo suam conservarent fidem integram & mundanorum neglectum publicè profiterentur. Integrum Alphabetum eorum jam ante aliquot annos editum est. Denique de integris communitatibus, oppidis & pagis emigrare forsan cupientibus, frustra sollicitus est Ernestus. Nunquam in partibus Protestantium, sicubi ex Proceribus alicui communitati, oppido, pagóve Evangelii doctrina proponebatur, apud Pontificios hactenus auditores desiderium emigrandi animadversum fuit. Pleraque pars in ignorantiæ caligine detenta prius, ubi veræ pietatis fundamenta sensit, acquievit. Nemo verò detentus fuisset, imò neque expulsus contra pacis formulam. Illud parùm rursus ad Ernestinarum partium gloriam pertinet, quod dubitat, exules Pontificios locum apud eosdem reperturos, ubi victum habere, aut quærere, & considere queant, si vel maximè integræ communitates Protestantium permissione emigrare vellent. Adeò scilicet refriguit charitas in ea Ecclesia, quæ ab eximia sanctitate notam quærit!

Pax religionis non dat facultatem apostatandi.

Dicit IV. Ernestus: *Per pacem religionis facultatem apostatandi omnibus tum Laicis, tum Ecclesiasticis permitti, cùm utriq; autoritate pacis religionis impune transire possint ad confessionem Augustanam.* Unde exclamat: *O miseros Germanos, quibus peccare licet!* Resp. I. per pacem religionis facultatem, qua abuti possint homines ad apostatandum, non autem facultatem apostatandi permitti. Sicut in creatione Deus concessit cum obligatione perennitatis primis parentibus facultatem liberi arbitrii, quâ possent ad apostatandum homines abuti, neque tamen ipsam apostatandi facultatem concessit. Ubi locum habet id, quod Tertullianus *contra Marcion. lib. 2. cap. 9.* scribit. *Libertas arbitrii non ei culpam suam respuet, à quo data est, sed à quo, non ut debuit, administrata est. Quod denique malum adscribes Creatori, si delictum hominis? Non erit Dei, quod est hominis: nec idem est habendus delicti autor, qui invenitur contradictor, imò & condemnator. Si mors malum, nec mors comminatori suo, sed contemtori faciet invidiam, ut autori. Contemnendo enim eam fecit, non utique futuram, si non contemsisset.* 2. Non est autoritas transeundi ad heterodoxam religionem, ex pace religionis. Sic enim autoritatem suam peccando commodaret & cooperaretur mortali peccato. Ita tamen autoritas pacis religiosæ dispensata est, ut impunitas sit transeuntibus in foro soli, certâ quidem contemperatâ ratione. Non itaque per pacis religionis autoritatem peccare licet

Germa-

Germanis, ſed liberum eſt religionis exercitium, in quo libero exercitio, ſi ſpecificatio determinatióque fiat ad heterodoxam, DEO rationem reddent libertatis uſurpatæ, interim ſecularis poteſtatis vindictæ & excommunicationis fulminibus exemti ſunt.

Pax religionis non gignit opinionem de veritate utriuſque religionis.

Dicit V. Erneſtus; *per pacem religionis ſimplicioribus non immeritò ingenerari opinionem, utramque religionem eſſe veram & approbatam: cùm præſertim Catholici quoque pacem religionis pro lege fundamentali habeant, quaſi hæreſis tolerantia & denſio eſſe queat fundamentum Catholici regiminis, vel imperii Germanici, quod tamdiu invictum ſtetit, quàm diu integrè Catholicum fuit; ruere cœpit, cùm hæreſin recepit. Novam autem fore animarum perditionis cauſam è pace initâ, ſi Catholicam religionem & Catholicos ex bonis & juribus per hoſce annos legitimè recuperatis expellat: quod ante pacem Pragenſem inauditum fuit in imperio; cùm antea pax religionis ſolùm conceſſerit, ut Proteſtantes ea, quæ Catholicis antea eripuerant, retinerent, non autem, ut Catholicis eriperentur, quæ tum legitimè tenebant, aut recuperarant: ſic præterquam, quod pacifici hi expulſores actione criminosâ & ſacrilegâ Deum offerdunt, innumeras quoque animas vera fide imbutas aut propediem imbuendas denuo ſub jugum hæreſeos miſſas iri.* Reſp. I. illam opinionemex nullo articulo pacis religioſæ naſci poſſe. Neque enim de qualitate religionis utriuſque, *in ordine ad veritatem divinam,* quicquam diſponit pax religioſa. Interim tamen, quod & alibi obſervavimus, arbitrari quiſpiam poſſet, quod Carolus V. glorioſæ memoriæ Imp. & Ferdinandus I. Rex Rom. auguſtiſſimus in illam libertatem juſque religionis conſenſerunt, eos non agnoviſſe in Lutherana confeſſione, cui illud jus applicatum iri certi erant, tam abominabilem hæreſin, quam in ea deſignant Jeſuitæ. Nam *ſi pactum de toleranda abominanda aliqua hæreſi ita eſt comparatum, ut moraliter vix unquam udicetur inter Chriſtianos, illius roborationem ſive ad maius malum vitandum, ſive ad maius bonum conſequendum eſſe neceſſarium, quando nihil in Repub. Chriſtiana peſtilentius cogitari poteſt, quàm libertas credendi quid libet; quando hæreſis peior eſt quovis immani ſcelere, & fundamenta ſalutis publicæ concutit: ſi abſoluta & indeterminata conventio de tolerantia hæreſis omnem Principi etiam in perpetuum adimit facultatem, permiſſam hæreſin ex ſua provincia exterminandi: ſi omnium ſanctorum Patrum & mperatorum placitis & exemplis eiuſmodi tranſactio eſt adverſaria, ut Ieſuitæ aſſerunt;* credibile ſanè eſt, ſapientiſſimum Carolum, cùm jam longo uſu religionem Lutheranam fortè cognoviſſet intimius, cum alia facie eam conſpexiſſet poſtea, quàm in Comitiis Wormatienſibus ipſi primum depicta fuerat, cúmque magis magiſque, in ipſis actionibus de rebus Eccleſiaſticis, ſuorum Theologorum ſocordiam & in univerſum Curiæ Romanæ à reformatione tam neceſſaria alienationem animadvertiſſet, benignius ſentire de confeſſione noſtra cœpiſſe, & conſenſum in fundamento cum antiquiſſima Eccleſia deprehendiſſe, neque eam tanto averſandam odio exiſtimaſſe, ut patrocinio indigna ſit imperiali. Secus ſtatuendum eſſet, Carolum V. publico juramento pro ſe & ſucceſſoribus in perpetuum tale quid in Rempublicam recepiſſe, *quo nullum maius bonum conſe-*

conservari, nullum maius malum impediri poterat, imò quo deterius & horribilius nil sub sole fingi & excogitari posit. Hoc verò est absurdissimum. Id quod animadvertunt Ad. Tannerus *Tom. 3. Th. schol. pag. 511. & Comp. pac. Diling. pag. 110.* sed provocando ad tribunal DEI rem terminant, in quo & nos acquiescimus.

Pax religionis ad leges fundamentales referri potest.

II. Quid impedit, dicere, Imperii Rom. Germanici, postquam in acerbissimas religionis concertationes, ob toleratos diuturnos abusus & gravamina sæpissimè ostensa, prolapsum est, & tremendo implicatum bello, in cuius alimentum partes extrinsecus auxilia & fœdera, necessariæ defensionis, aut obtinendorum exequendorumque consiliorum, sollicitaverant & sanxerant, ex quo bello & libertati & religioni alterutrius partis (cuius, in inextricabili dubio fuerat) metuenda erat oppressio, fundamentalis conservationis medium fuisse, *Pacem religionis,* adeóque eius sanctionem fundamentalem legem esse. Ipsa *toleran ia hæreseos* (in quacunque parte illa sit transigentium, de quo nunc non est quæstio) non est fundamentum. Nec defensio eorum, qui hæresi infecti sunt. Sed ex lege fundamentali hæc consequuntur, quæ libertatem jusque religionis tribuit in hanc aut illam partem usurpantibus, unde & tolerantiam in abusu & defensionem contra concessi juris turbatores præstare jubet. Adscribimus haut injuria, quod ad Imp. Rudolphum eiusque fratrem Archid. Ernestum Anno 1574. magna παῤῥησίᾳ scripsit Johannes Crato à Krafftheim Medicus Cæsareus. *Illud*, inquit, *reticere non debeo, quod D. Ferdinandus Imp. crebris sermonibus ante obitum usurpavit, inter summa beneficia, quæ Deus in gubernatione Imperii concessisset, primum atque maximum, vero animi iudicio, optimáque conscientia, hoc se ducere quod ad sedandas discordias publicas animum adiecisset, & tolerantiæ in religione formulam benignissimus Deus sibi in mentem dedisset. Est in vivis Iohannes Navius, qui a Serenissimo Archiduce Ferdinando nobis in valetudinis Cæsareæ curatione additus erat. Eo præsente mihi legendam dedit, atque, ut apertis verbis legerem jussit, epistolam bene longam, sua manu ad Electorem Mauritium multis verbis & sententiis accuratissimè de pace publica, conscientiarum libertate & reipublicæ salute scriptam. Hanc si censores quidam viderent, haud dubiè animadverterent, quam insigni quidem, non modò Italus quidam & Gallus, verùm etiam nostri homines de una religione clamitantes, D. Ferdinandum, sacratissimæ memoriæ Imperatorem, injuriâ afficiant.* Hæc ille *in dedicatione Histor. Bohem. Iohannis Dubravij Episcopi Olmucensis.* Optimum quidem esset, si Romanum Imperium integrè Catholicum esset. At non fuit, antequam Lutherus exortus esset. Noti sunt testes ex ipsis Pontificiis alibi adducti. Cùm integrè Catholicum ne post Lutherum quidem fieri potuisset, obstante dissidentium pertinacia, optimum fuisset, si illicò in pacis, post triginta & quod excurrit annos demum sancitæ, legem coïvissent, illámque sincerè sine interpretationum captionibus & cavillis conservassent, virésque suas integras & promtas hostibus ostendissent, tanta decrementa proculdubio secuta non essent. Sed de causis decrescentis Imperii Romani hîc disserere, locus non est. Jam autem olim Christianismo & Evangelio in orbem introducto decrementa Romani Imperii adscripta fuerunt. Vide Cyprianum

prianum *adversus Demetrianum*, Tertullian. *adv. Gentes cap. 40. & lib. 1. contra Nat. c. 9.* Arnobii *adv. Gentes diss. lib. 1.* & ad eum copiosè Elmenh. *obs. lib. 1. p. 3.*

3. CESSIO *jurium & bonorum temporalium* in casu summæ necessitatis ab orthodoxis illis facta, qui erroneam fovent religionem, per pacem religionis decreta, eandem ream novæ perditionis animarum facere non potest. Quia vi cessionis, quam cohonestat casus inevitabilis necessitatis & maioris mali imminentis aversio, non fit animabus aliquod damnum, aut periculum spirituale, etiamsi auferatur ipsis occasio liberè exercendi religionem orthodoxam ad incrementum boni spiritualis. Non est hæc cedentium intentio, nec iste cessionis finis, qui est ipsa salus publica & conservatio Imperii. In illis potius hærebit, si quid hîc peccatum est, aut peccatur, qui cessione abutuntur. Sed pœna salubriter ob maioris mali aversionem suspenditur, & Deo ipsi relinquitur, cuius est, in religione errores, & ex erroribus actus punire. *Cessio bonorum Eccl. paci religionis culpam perditionis animarũ non affricat.*

4. Quod pax religionis solùm concesserit, ut Protestantes ea bona, quæ antea Pontificiis eripuerant, retinerent, non autem ut Catholicis eriperentur, quæ tum legitimè tenebant, cum ipsa pace religionis & omnibus eius circumstantiis pugnat. Vult enim pax religionis, Status Imperii habere libertatem jusque religionis alterutrius, neque in eius usu atque exercitio quemquam turbandum esse decernit. Imò ad liberos usque imperii Nobiles extenditur beneficium decretæ libertatis. Ergo pax non solùm favet Protestantibus tum, cùm decerneretur, existentibus, sed etiam quibuscunque demum exstituris & Augustanæ confessionis religionem amplexaturis. Hinc non tantùm pro religione & ministerio instituto, sed & pro instituendo disponit. Illis in bona non immediatè imperio subjecta, etiam Ecclesiastica, idem est jus, quod cæteris, qui jam ante pacem decretam religioni A. C. adhæserunt. Neque illa eripiunt *Pontificiis Dominis*, quibus tanquam Statibus Imperii contra occupationem patrocinaretur sanctio pacis, sed *Pontificiis usibus* subducunt jure religionis, cùm ad ministeria sacra ex Augustanæ confessionis forma applicant. Nunc cum illis, qui prætendunt, sibi vi occupata esse interea illa bona, quæ ante hoc bellum habuerunt, eadem studio pacis & intuitu inevitabilis necessitatis restituuntur, quamquam possidentibus videatur damnosum, cedere tamen minus damnum maiori debet, & tolerari damnum minus, ut malum amoliamur maius. Est autem minus bonum illa possessio aliquot bonorum & jurium, de qua Ernestus: maius autem, belli finitio, Germaniæ tranquillatio, certa reliquorum bonorum & jurium possessio, sanguinis innocentis parsimonia, patriæ contra hostem exoticum præmunitio. Huic igitur illud lubens cedere debet. Cum minore enim damno illud conjunctum est, quod paucos tangit, malum. Ex adverso mala his bonis opposita maxima sunt, & universitatem spectant. Vide de ordine charitatis circa bona præferenda aut postponenda Thomam, 2. 2. *q. 26. art. 4. & 5.* Tannerum *Theol. schol. Tom. 3. pag. 628. & seqq.* Bald. Junium *Manual. Theolog. lib. 12. cap. 15. pag. 614.* & alios. Neque hoc, nisi omninò per accidens, ad animas ipsas à percepta religione abalienandas concernit, quibus utique liberum *Pax religionis etiã tendit ad futuram possibilitatẽ mutãdi religiõem & Eccles. bona vindicanda.*

manere debet, retinere, quam velint, religionem. Innumeras animas verâ religione imbutas sub jugum hæreseos mitti ista cessione ex lege pacis facienda, falsissimum est.

QUÆST. V.

Ad rationem IV.

An pax eiusmodi sit usurpatio potestatis non competentis?

Hic Ernestus omnem bilem in Maiestatem imperii effundit, & quidem adornato syllogismo tali. *Ea potestas incompetens est, quæ neque jure divino, neque humano conceditur. Potestatem sanciendi pacem religionis, vel aliam similem Cæsar & Status imperii neutro jure acceperunt.* Id probat: *quia illa quatuor, quorum potestatem sibi Cæsar & Status in tali pace usurpant, sunt extra spharam potestatis politicæ. Sunt autem hæc. Libertas hæresis profitendæ & exercendæ. Suspensio iurisdictionis Ecclesiasticæ erga hæresin & hæreticos: cessio & traditio bonorum Ecclesiasticorum & subditorum Catholicorum. Renuntiatio constitutionum & ordinationum huic paci adversantium. Primum non esse intra spharam politicæ potestatis, probatur; quia cum de fide Catholica & Ecclesia nihil decernere possit Princeps politicus, & oppositorum eadem sit ratio, neque de opposita hæresi, quatenus urgente necessitate toleranda sit, pronunciare poterit. Arcere enim lupos, vel tolerare, pertinet ad ius pascendi oves Christi* Joh. 21, 15. *quod Petro eiusque successoribus demandatum, in quo Principes politici nil quicquam legitimè agunt, nisi quatenus illorum operam Ecclesia requirit. Nec secundum: quia suspendere iurisdictionem Ecclesiasticam ille potest tantum, qui habet eam cum amplitudine superioritatis. At nullam habent Principes politici. Nec Episcopi & Ecclesiastici in spiritualibus & Ecclesiasticis subsunt potestati politicæ. Itaque ab ea illorum iurisdictio non potest suspendi. Multò minus in effectu planè aboleri quod ob suspensionis perpetuitatem facit pax religionis. Non tertium: quia Ecclesiæ earumque bona subiacent Ecclesiæ & Pontifici, tanquam supremo administratori, ideóque a seculari potestate alienari non possunt aut transferri, maximè in hæreticos, aut quod nunc agitur, legitimè recuperata Catholicis eripi, ut hæreticis restituantur. Licet enim thesauris & reditibus Ecclesiæ legitimâ autoritate subveniendum sit periclitanti imperio & religioni, oppida tamen, pagi, prædia seu ditiones earum cum alto seu mero imperio hæreticis concedi non possunt. Simul enim tradi deberent animæ; & sic paciscı de ovibus Christi cum lupis, utique nefas est. Nec quartum. Quia tollere vel suspendere ea, quæ sunt juris divini & Ecclesiastici, vel iis renunciare, excedit limites potestatis politicæ. Iura verò Ecclesiæ & Episcoporum in hæresin & hæreticos, in Ecclesias earúmque bona & subditos, omnesq; in imperio Catholicos nituntur jure partim divino, partim Ecclesiastico. Nullâ ergo pace fieri potest, per Cæsarem & Status sancita, ut illis renuntietur. At id*

ausi

ausi sunt. Renunciando enim omnibus contrariis vel maximè renuntiârunt juribus Pontificiis, Ecclesiæ & Episcoporum: hæc quippe paci religionis directè repugnant. Ergo Cæsar & Status jurisdictionem incompetentem usurpârunt. Vnde eis Ecclesia meritò diceret: Quis vos constituit Principes & Judices super nos? *Exod. 2, 14.*

Rudolphus II. disputationem de competentia potestatis rejecit

Resp. in genere I. argumentum à competentia jurisdictionis & potestate statuentium jam olim Imperatoriâ autoritate esse notatum. Sic enim D. Rudolphus II. in resolutione de dato 27. Julii Anno 1590. data tribus Electoribus secularibus. So viel die steiffe vnd gleichmässige Haltung deß Religionfriedens belanget/ da seyen Ihre Keyserl. Maiest. je vnd allwegen der endlichen beständigen Meinung gewesen/ vnd noch/ daß solcher mit grosser Mühe vnd Kosten auffgerichter vnd offtmaln widerholter vnd bestettigter Frieden/ in allen seinen Puncten/ Clausulen vnd Begreiffungen/ wie er Anno 55. zu Augspurg gefasset/ bey Fürstlichen Ehren vnd Würden/ in Wort der Warheit/ auch bey Trawen vnd Glauben gehalten/ versprochen vnd bethewret worden ist/ allertheils auffrichtig/ steiff vnd vnverbrüchlich solle gehalten werden. Daran soll Ihre Maiest. nicht irren/ wo etwan hin vnd wider dargegen in Scholasticis & Politicis concertationibus de potestate statuentium & duratione perpetuâ aut temporali solches Friedens/ oder desselben anfangs vnd herkommen etwas hitzigers vnd vnbescheideners/ als Ihre Maiestät gern sehen möchte/ disputiret wirdt. II. Competentem an incompetentem potestatem habeat Imperator cum Ordinibus Imperii circa res religionis constituendas & ordinandas, in controversia est, & jam à multis seculis inter Pontificem Romanum & Imperatorem eâ de re disceptatum. Infinitæ eâ de re extant querelæ Imperatorum, Ordinum & variorum scriptorum Theologorum, Jurisconsultorúmque, quod Pontifex ad absolutam suam potestatem omnia revocet, & autoritati maiestatique Imperii nihil relinquat. Cognitio, constitutio & ordinatio circa res religionis & statum Ecclesiæ vel *ordinaria* disquiritur, vel *extraordinaria & in casu summæ necessitatis occurrens.* Ad utramque se potestatem maiestatémque imperii extendere, pariter ex parte Imperatoris & Ordinum jam olim disputatum est. Sunt eâ de re scripta collecta JCtorum & Theologorum *in Tomo de jurisdictione Sim. Schardij & Melch. Goldasti.* Et tueri se illi possunt magnorum Ecclesiæ Doctorum suffragiis, cumprimis Augustini *Epist. 48. ad Vincentium, Epist. 50. ad Bonifacium Comitem, & lib. 3. contra Cresconium Grammaticum cap. 11. & in Iohann. tract. 2. & lib. 2. contra Epist. Gaudentij cap. 26.* Et ut singulorum Imperatorum documenta exercitæ potestatis Ecclesiasticæ, alibi allegata, prætermittam nunc, de universis Socrates *in Histor. Eccles. lib. 5. proœm.* inquit: *Ex illo tempore, quo Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt.* Equidem Andr. Fachinæus *lib. 8. controvers. jur. cap. 1. legem 8.* sive *Epistolam inter claras C. de summa Trinitate & fide Catholica* vindicare conatur à suspicionibus Hotomanni de crimine falsi, quem multis maledictis onerat; profitetur verò, *nolle se dicere, quod Imperator Iustinianus potuerit de rebus Ecclesiasticis, de quibus multa statuit, propriè decernere, & leges ferre, quia scilicet certum sit, hanc*

Disputatio de competentia potestatis secularis in sacris est adhuc in lite pendentia.

 Ecclesia-

Ecclesiasticam potestatem ad summum Pontificem spectare; quod probat testimoniis domesticis, *cap.2. extr. de Maior. & obed. l. per venerabilem. Extr. qui filij sint legit.* & addit: *Sed quis poterat Imperatorem impedire, quo minus illas statueret, cùm tam potens esset, & summi Pontifices totaq; Ecclesia continuis ferè persecutionibus exagitaretur, & ope indigeret Imperatoris? nec leges injustas esse constitutas videret?* Quasi verò Imperator vi, clam aut precariò istam potestatem circa res sacras condendi & promulgandi leges atque edicta exercuisset, aut falcem in alienam messem misisset. Contra quem vide disputantem Rittershus. *ad Novell. part. 1. c. 3. g. 21.* Quomodo potestatem Ecclesiasticam independenter à Pontifice Romano exercuerint Francorum Reges, ostendunt plurimæ in illo regno disputationes. Extat inprimis *pragmatica sanctio Caroli VII.* insigne in hoc negotio monumentum, quam commentario illustravit sub Carolo IIX. *Cosmas Guymier ICtus, Senatus Paris. Consiliarius*; edita est Lugd. 1538. cui etiam subnexa est, cum concordatis Francisci Regis, *pragmatica sanctio Ludovici XII.* Sed Henrici II. Edictum, curiæ Romanæ oppositum, quod Carolus Molinæus commentario illustravit, & edidit Anno 1551. planè consentit. Inter privatorum scripta, quæ etiam à Pontificiis Gallis in hac materia edita sunt, est Benigni Miletoti in Divionensi Curia consiliarii tractatus *de delicto communi & privilegiato*, vel *de legitima judicum secularium potestate in personas Ecclesiasticas*, Anno 1612. latinitate è Gallico donatum & editum, & M. J. Bedæi de la Gormandiere Andini, Advocati in Parlamento Parisiensi, *jus Regum contra Card. Bellarminum & alios Iesuitas pro Christo & Ludovico XIII.* in quo hæc capita docet: 1. *Ius Principis divinum esse*: c. 2. *Ecclesiasticos subditos fuisse Principi ante adventum Domini nostri.* cap. 3. *Post adventum Domini nostri in carne Regum jus in Ecclesiasticos non esse diminutum.* cap. 4. *Regum Christianorum jura superiùs declarata niti autoritatibus & possessione.* cap. 5. *Primas aggressiones Pontificum contra Regum Gallicorum autoritatem cœpisse demum sub tertia stirpe, quibus non obstantibus sua jura sibi vindicaverunt.* Cap. 6. *Quæ sit potestas Ecclesiastica jure divino: & in iis, quæ prætendit Cardinalis, Pontificem neq; divino neq; humano jure niti.* Cap. 7. *Bellarminum & alios Iesuitas Pontificem extollere supra id, quod dicitur Deus, in spiritualibus.* Cap. 8. *Pontificem efferentem se supra Reges, quomodo vult Cardinalis, efferre se supra id, quod dicitur Deus in temporalibus.* Cap. 9. *inter perniciosissimas hæreses esse, Regem suum spernere.* Huc etiam collimat *Commonefactio & Expostulationes Regionum Cognitorum, itémque Arrestum Curiæ Parlamenti Parisiensis die 26. Novembr. 1610. latum, adversus librum inscriptum*, Tractatus de potestate summi Pontificis in rebus temporalibus adversus Guil. Barclaium, autore Roberto R. E. Card. Bellarmino. Adde Annæi Roberti Aurelij *Rer. judicatar. lib. 3. cap. 1.* prolixè in eam sententiam differentem, & D. Gerhardum *Locor. Theol. Tom. VI. de Magistrat. polit. cap. 6. s. 5. membr. 1.*

Nota I. *Carolus V. & Ferdinandus I.* In specie Not. I. Carolum V. & Ferdinandum I. nunquam credidisse, sibi non competere potestatem transigendi de rebus ad tranquillitatem Germaniæ etiam ex capp. religionis pertinentibus. Liquet hoc ex multis Clarissimorũ Impp. actioni-

actionibus, quarum summam exposui *in differt.1. de Augustan. confess. præfat. de quinque Carolis* §.19. 20.

credidorũt sibi competere potestatem pacificendi hoc modo.

Adde I. quod *Imperator sibi disertè tribuit potestatem circa Ecclesiastica.* Quemadmodum & in multis recessibus Imperii eidem tribuitur, quod sit der der gantzen Christenheit Schutz- vnd Schirmherr / Reichs Absch. *de anno* 1518. §. Erstlich. Item Advocatus, R. Ab. zu Regenspurg *de anno* 1541. §. Allen Churfürsten, ibi. Vnd vns als Advocaten vnd Beschirmer der Christlichen Kirch *&c.* Item supremus Præfectus, R. Absch. zu Augspurg 1530. §. Auff solch *&c.* & §.*seq.* Nach dem aber. ibi: als Römischer Keyser vnd obrister Vogt der heiligen Christlichen Kirchen. R. A. zu Speyr *de anno* 1529. *sub tit.* Constitution wider die Widertauffer. §. 1. ibi: Obrister Vogt vnsers Christlichen Glaubens *&c.* Quo fine & B. Lutherus ad Imperatorem scribens ait, *sese confugere ad ipsum tanquam ad aram præsidiúmq;, & rogare, ut doctrina Christi[...] tutelam susciperet.* Sleidan. *Comm. de Relig. lib.*1. Et Trevirensis Elector in Electione Caroli V. inquit: *Talem Respublica desiderat, qui præter alia constituat & emendet Ecclesiæ statum.* Sleidan. *lib.* 1. Sicut & sine scitu Imperatorum olim non ordinabantur Pontifices. *C. Agatho. dist.* 63. *& potestas instituendæ sedis Apostolicæ Carolo Magno ab Hadriano Papa expressis verbis tribuitur*, in c. Hadrianus. d. 63. Et *Othoni eiúsq; successoribus à Leone Episcopo Servo servorum Dei, & toto Clero*, c. Synodo. d. dist. qua de re à nobis actum est *in differt. de Iure Canon.* §. 22.23.24.25. *& seqq.*

Impp. crediderunt sibi competere jus cõvocandi concilium.

Adde II. quod Imperator Carolus V. sibi jus ordinandi res religionis etiam per concilii convocationem attribuerit. Videtur quidem ipsis imperii recessibus Pontifici tribui facultas convocandi Concilia. R. Ab. zu Regenspurg *de anno* 1532. *rubr.* Concilium betreffend. §. Ferners. ibi: Ein gemein Christlich Concilium durch Päpstliche Heiligkeit fürgenommen vnd außgeschrieben würde. R. Absch. zu Augspurg *de anno* 51. §. Wir ersuchen / erinnern vnd ermahnen auch hiemit Churfürsten / Fürsten *&c.* ibi: Daß sie auff der Päpstlichen Heiligkeit Außschreiben sich zu dem fürgenommenen Concilio geschickt machen. Atqui verò Pontifici Rom. non tanquam per se competens, sed ex Romani Imperatoris permissu & indultu usurpanda tribuitur. Nam Carolus V. ut erat Pontificiæ religionis observantissimus, permisit Pontifici Romano, ut is esset executor imperialis voluntatis in convocando Concilio. R. Absch. zu Nürnberg *de anno* 1524. §. Als auch vielgedachte vnsere Instruction. ibi: Eines gemeinen freyen Concilii, so durch Päpstliche Heiligkeit / NB. mit vnserer **Bewilligung** / verkündiget vnd außgeschrieben. Nisi itaque Imperator consensisset, Papa nihil potuisset. Et si Pontifex Imperatoris mandato, quoad convocationem illius Concilii non satisfecisset, Carolus Imperator ipse vi Cæsareæ suæ potestatis id præstitisset. Reichs Absch. zu Regenspurg *de anno* 1532. *rubric.* Concilium betreffend. §. Vnd so fern Wir von Päpstlicher Heiligkeit dasselbe nicht erlangen möchten / daß Wir von Ampts wegen versehung hierin thun wolten / was vns von vnserer Keyserlichen Gewalt

 gebüret

gebüret / vnd Wir zu thun schuldig seind / vnd sonderlich in Sachen deß gemeldten Concilii.

Adde III. dilucidam protestationem in ipsa pacis religiosæ sanctione Anno 55. ubi illa verba autoritate Cæsareâ & Regiâ promulgata: Vnd soll alles/ das in hievorigen Reichsabschieden/ Ordnungen oder sonsten begriffen vnd versehen/ so diesen Friedensstand in allen seinem Begriff/ Articuln vnd Puncten zuwider seyn oder verstanden werden möchte/ denselben nichts benemen/ derogiren noch abbrechen/ auch dargegen keine declaration, **oder etwas anders/ so denselben verhindern oder verändern möchte**/ nicht gegeben/ erlanget noch angenommen; oder ob es schon gegeben/ erlanget oder angenommen würde/ dannoch von Vnwürden vnd Vnkräfften seyn/ vnd darauff weder inn- noch ausser Rechtens nichts gehandelt oder gesprochen werden. Solches vnd jedes/ so obgeschrieben/ vnd in einem jeglichen Articul namhafft gemacht/ vnd die Keyserliche Maiestät vnd Vns anrühret/ sollen vnd wollen Jhre Liebden vnd Keyserl. Maiest. vnd Wir bey vnsern Keyserlichen vnd Königlichen Würden vnd Worten/ für Vns vnd vnsere Nachkommen stät/ vnverbrüchlich vnd auffrichtig halten vnd vollziehen/ dem strack vnd vnverweigerlich nachkommen vnd geleben/ vnd darüber/ jetzt oder künfftiglich/ **weder auß Vollkommenheit/ oder vnter einigem andern Schein**/ wie der Namen haben möchte/ nicht fürnemen/ handlen oder außgehen lassen/ noch jemand anders von Jhrer Liebde vnd Keyserlichen Maiestät vnd Vnsertwegen zu thun gestatten. Hæc verba excludunt omnem superiorem, qui sibi jus aliquod in hanc sanctionem religiosæ pacis arrogare possit. Nulliq; potestati conceditur, quicquam in hac pacificatoria transactione mutare. Essent autem planè elusoria illa verba & nihil operarentur, si potestas superioris illum omnem contractum Cæsaris, Regis & Statuum in irritum redigere posset. Frustra enim contra potestatem superioris fit transactio. Atqui *clausulas omnes in contractibus, tractatibus, conventionibus & compositionibus existentes præsumi appositas, ut aliquid operentur*, optimè docuit Baldus *in rubr. Cod. de contract. emt. & quæst. in cap. Si Papa, circa medium de privil. num. 6. l. si quando. ff. de legato* 1. *Barbat. conf.* 18. *clementissimum Deum. col.* 6. *circ. fin.* Mascardus *de probat. volum.* 1. *conclus* 301. *num.* 1. Alexand. *conf.* 9. Boër. *decis.* 21. *num.* 24 quorsum & plurima capitula juris Canoni pertinent: ut *c. huc autem verba. de pœnit. dist.* 1. *C. si quis suadente* 17. *quæst.* 4. *cap. Psalmista. d.* 23. *C. In Canon.* 16. *quæst.* 1. *cap. Relatum est. de Clericis non residentibus.* Quia itaque Cæsareæ & Regiæ Maiestatis, ut & Statuum verba eam merentur venerationem, ut nihil in ipsis temerè, nihil jejunè, nihil ineptè & invalidè positum esse dicamus, omninò existimandum est, eos in ista persuasione certissimos fuisse & plenâ fide credidisse, Pontificis Rom. potestati nihil per iniquitatem istâ transactione detrahi, neque, ut ex arbitrio Pontificis hic penderent, necessarium existimasse.

Imperatori & Sta-

Adde IV. quod Carolo V. illa prætensio Pontificis, quâ sibi soli vendicat jus constituendi res religionis, non fuerit ignota. Undecim annis prius, quàm

decerne-

decerneretur Pax religionis, acerbissimis literis Paulus III. Pontifex illam Carolo exposuit: *Cuiusmodi decreta nuper Spiræ fecerit, ad se relatum esse. Quid verò de illis sentiat, se non posse pro suo munere & charitate in ipsum dissimulare: & ut ita faciat, exemplo moveri Sacerdotis Heli, quem Deus gravissimè mulctarit, ob nimiam erga filios indulgentiam: ad eundem planè modum, quandoquidem ea decreta pertineant ad ipsius animæ periculum, & ad maximam Ecclesiæ perturbationem, necessario sibi ipsum esse commonefaciendum. Primum igitur hoc esse, ne ab Ecclesiæ consensu & consuetudine maiorum discedat, sed eandem disciplinam, ordinem, instituta sequatur & observet. Hunc autem ordinem esse talem, ut quoties de religione disputatur, judicium omne referri debeat ad Romanam Ecclesiam. Ipsum verò nuper, quando de generali & nationis Concilio & Imperii Conventu statuit, nullam habuisse rationem eius, qui solus jure divino & humano cogendi Concilia & decernendi in rebus sacris potestatem obtineat. Neque verò non solùm in reprehensionem venire, sed illud etiam, quod non idiotis modò, sed & damnatarum hæresium assertoribus permittat de religione judicare, quod de bonis sacris eorúmque controversiis decernat, quod eos, qui sunt extra communionem Ecclesiæ & ipsiusmet edictis jam olim damnati, pristinis honoribus atque loco restituat, non assentientibus iis, qui veterem & religiosam obedientiam præstant.* Et post: *Perscrutanti Scripturam occurrere multa & illustria exempla, quibus ira Dei docetur in eos & vindicta, qui summi Sacerdotis munera sibi vindicarunt. Ab adversariis in odium atq; crimen vocari Sacerdotum negliegntiam, & hoc eos uti tanquam stimulo, dum ad procurationem religionis Principes viros exhortantur: hoc quidem pulchrũ & laude dignum videri, sed nullâ ratione subsistere. Privatis in ædibus patremfamilias unicuique distribuere, quid agat, neque pati, si quis alienum opus faciat, ne conturbetur ordo. Sic etiam in Ecclesia, quæ sit domus Dei, suum cuique munus esse distributum, quod obeat, neque decere, ut superiorum officiis fungantur inferiores, idq; tantò magis observandum esse, quantò sit Ecclesia maior & illustrior quávis aliâ domo. Cùm ergò supremum Ecclesiæ munus à Deo commendatum sit Sacerdotibus, magnam esse injuriam, cùm horum partes & honorem ipse sibi sumit.* Notum esse, *quid acciderit Vzæ sustinenti currum, quo vehebatur arca Dei, jam propensum ad ruinam. Neminem quidem esse, cui non rectè fecisse videatur ille, quod absentibus Levitis, cum ruinæ periculum impenderet, admotâ manu currum inclinatum sublevárit, sed tamen illum ulciscente Deo sublatum è vita documento nobis esse, quam non oporteat alienum officium usurpare. Caveat igitur, ne persuasus ab illis, qui emendationem Ecclesiæ semper habent in ore, temerè manus admoveat iis rebus, quæ peculiariter ad Sacerdotes pertineant. Similem etiam & atrociorem exitum fuisse Dathan, Abironis & Core, quum autoritatem vellent Mosi & Aaroni fratribus derogare.* Et post: *Obtemperet ergo suis monitis, & cùm sit primogeniti filii loco, parentem salutaria consulentem amplectatur, & maiorum suorum vestigiis insistat, nec à via regia deflectat, nec in sacris tractandis ullum jus vel autoritatem sibi vendicet, & disceptationes omnes religionis ab imperii conventibus excludat, & ad summi rei [illegible] tribunal. De bonis etiam Ecclesiasticis nihil statuat, sed positis armis paci studeat, aut si pax aliter coire non possit, controversiam omnẽ & belli causam Concilii disceptа-*

tibus Imp. Roman. in hoc negotio contradicit Papa, sed frustra.

ceptationi submittat &c. Sic Pontifex Carolum V. jure & autoritate in sacris tractandis & bonis Ecclesiasticis disponendis arcere conatus est. Sed Carolus nihil moratus talem Pontificis interpellationem, tanquam impertinentem, hoc ipso, quod ad ultimam de pace sanctionem progressus est, suum sibi jus vindicavit, & orbi manifestavit, jus sacrorum ordinandorum & constituendi circa religionis pericula ad maiestatem imperii spectare.

Carolus V. fuisset lapsus in casum reservatum, si incompetenti usus fuisset potestate.

Adde V. quod si jure notorio & indubitato Carolus V. fuisset usurpator alienæ potestatis, adeóque invasisset id, quod ad omnipotentiam Pontificiam pertinebat, neque ullâ ratione ab ipso tentandum fuerat, utique incidisset in casum reservatum soli Pontifici. Egit de casibus reservatis Jacobus à Graffiis Capuanus *in practica prolixè*: cap.43. est de violantibus libertatem vel immunitatem Ecclesiasticam. Statuit autem decem puncta, quibus incurritur in læsionem libertatis & immunitatis Ecclesiæ. In pleraque profectò incurrisset Carolus Imperator, si de plenitudine potestatis aliter non potuisset decernere. Itaque contra illum etiam resonuisset illud: *Qui fecerint, ordinaverint, vel publicaverint statuta, ordinationes, vel pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere vel in specie, ex quavis causa & quovis quæsito colore, etiam prætextu cujusvis consuetudinis aut privilegii, vel aliàs quomodolibet, aut factis vel ordinatis usi fuerint, unde Ecclesiastica libertas tollitur, seu in aliquo læditur, aut minuitur vel deprimitur, vel aliàs quovis modo restringitur, est excommunicatus in bulla cœnæ Domini, nec per alium, quàm per summum Pontificem absolvitur, nisi in articulo mortis*, ut habet idem *num.* 59. Debuissent igitur ipsum Confessarii de eo periculo excommunicationis monuisse, nec absolvisse à peccatis, sed ad veniam Pontificis remisisse, uti tradit idem *num.* 57. Atqui nihil horum contigit. Nunquam ille ad indulgentiam Pontificiam ea de causa prolapsus est & velut casui reservato intricatus ab illo liberationem petiit. Unde apparet, plerosque in controversa causa arbitratos esse, Imperatorem licitè peregisse, quod egit.

Omnes Ecclesiastici ord. Imp. errassent, si potestas est incompetens.

Adde VI. quod omnes Germaniæ Electores Ecclesiastici, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Prælati in materia sui fori & jurisdictionis competentis errassent, si non habuit jus potestatémque Imperator Romanus, etiam non expresso consensu Papæ, circa negotium religionis aliquid disponendi, quod ad publicam pacem, salutem Imperii & Ecclesiæ pertinet. Adeóque simul etiam omnes incurrissent in excommunicationem, à qua non nisi Papa liberare poterat. Nam omnes illi unà cum Romano Imperatore & Rege pacem istam ex plenitudine maiestatis imperii sanxerunt, & in eiusdem capita jurârunt, & subscripserunt sanctioni. Præstiterunt itaque consensum, ut Sylv. Prierias *V. consensus* distinguit, quadruplicem, *negligentiæ*, quia non correxerunt delinquentem; *consilii*, quia contulerunt ad pacis illius statuendæ adornationem deliberationes suas; *cooperationis*, quia sua vota, velut Ordines Imperii, ad efficientiam pacis proposuerunt: *autoritatis* vel *palliationis*, vel *defensionis*, quia gravissimis juramentis ad illius sanctionis patrocinium suscipiendum sese obstrinxerunt. Rei sunt itaq; facinoris de

violata

violata poteſtate ſacra & ſacrilegij, ſi hic aliena poteſtas uſurpata fuit, & incompetenter Imperator in diſpoſitione Pacis proceſſit. Quis autem credat, tot reverendiſſimos Proceres, tot Theologis inſtructos, immiſcuiſſe ſeſe tractationi rei incompetentis? Non ignorare poterant, eſſe hic uſurpationem poteſtatis ſoli Pontifici Rom. uſurpandæ, ſi credidiſſent, poteſtatem illam ad Pontificem Rom. pertinere in ſolidum. Si autem ſciverunt, egerunt contra conſcientiam, cum proceſſerunt ad uſurpationem poteſtatis illicitæ. Accedit, quod totius Hiſpaniæ Clerus omniaque Inquiſitorum hæreticæ pravitatis tribunalia proculdubio in ſuſpenſo fuerunt, quorſum evaſura eſſet tractatio Pacis Germaniæ, de qua jam per triginta annos anxiè laborabatur. Si hîc Regem ſuum vidiſſent plus æquo ſibi ſumere, & poteſtatem ſoli Pontifici competentem uſurpare, quantæ improbitatis & perfidiæ fuiſſet, non retrahere tam atrociter ruiturum Regem, & omnibus modis contradicere raptui ſanctæ poteſtatis?

Adde VII. quæ de poteſtate Romani Imperatoris in imperio Germanico diſputat & conſulit Ferdinando I. Imperatori, Sigiſmundus Selden Vicecancellarius, JCtus Pontificius, Im Bedencken von Ihr Kayſ. Mayt. Wahl und Hoheit/ ubi ita determinat Imperatoris Rom. Majeſtatem, ut facile intelligi poſſit, Conſiliarios Cæſaris planè in ea fuiſſe opinione, quæ jam olim in Cæſarum aulis recepta fuit, poſſe ſc. ex plenitudine poteſtatis circa religionem & bona Eccleſiarum in imperio ab illis conſtitui, quæ ſalus publica & neceſſitas præſens requirit. *Poſſe Imperatorem, Reges, Principeſque data Eccleſiaſticorum negligentia*, qualem fuiſſe temporibus deliberatæ pacis religionis, haut obſcurè inſinuat Carolus V. tunc Montiſonij in Aragoniæ regno commoratus, in memorabili reſponſo ad Pauli III. indictionem Concilij Tridentini An. 1545. dato, *congregare Concilium, nec tunc referre, per quos Concilium convocetur, dummodo congregetur*, ut aſſerit Stephan. Aufrerius *de poteſtat. ſecul. in Eccleſiaſt. reg. [illegible] lim. 46. num.* 49. *p.* 389. ad quod ait facere *bonam gloſſam*, in c. tua, de decimis, *quæ vult, quod in uſu ſchiſmatis, ubi illi qui faciunt ſchiſma per Eccleſiam corrigi non poſſunt, Laici habent poteſtatem in Clericos*, alleg. 23. q. 5. cap. de Liguribus. de ſententia excommunicat. cap. ut famæ. Ad quod ultra dicit facere cap. ubi majus periculum de elect. l. 6. *ubi in creatione ſummi Pontificis Domini temporales habent poteſtatem in debentes eligere, ut includantur in conclavi, fortius ergo habent poteſtatem, ubi Eccleſia ex cupiditate per plures laceratur, nec per Eccleſiam poteſt remedium competens adhiberi. faciunt notata* per Joh. Andr. in c. 1. de renunc. lib. 6. in no. *Poſſe etiam Imperatorem deficiente Eccleſiaſtica poteſtate eam corrigere, ut cū Clerici ſchiſma faciunt, nec poſſunt ab Eccleſia compeſci, uti lib. eod. reg. 1. lim. 3. p. 208. Aufrerius deducit*, & notat, Siculum Abbat. Panorm. in alleg. c. tua, tradere, *quod ſi hodie aliqui contenderent de Papatu, & facerent ſchiſma in Eccleſia Dei, nec poſſent corrigi per Eccleſiam, quia quilibet eſt potens, nec vellent congregare concilium, eo caſu Domini temporales poſſent in eos manum mittere, & eis invitis facere, ſopire, determinare dubium per Eccleſiam. Nam Domini temporales ad hoc principaliter receperunt poteſtatem, ut Eccleſiam Dei juvarent*,

Conſiliar. Caſ. competentiam poteſtatis Imp. agnoſcunt.

cap. si principes 23. q. 5. Posse etiam Imperatorem vel Imperium *res Ecclesiæ immobiles alienare in casu necessitatis eximiaque utilitatis, uti ex Authentic. de non alienando aut permutando res Ecclesiæ §. si minus, deducit* Guill. Redoanus tract. de Alienat. Eccles. quæst. 11. num. 5. 45. 45. & seqq. Hæc & similia principia quia tunc in imperio floruerunt, nec admissa sunt aulæ Romanæ imperiosa dictamina, ideoque, ex competenti sibi potestate, credidit sese agere Imperator, quando turbas religionis causa ortas istis remediis sopivit. Et quidem non à Papa, sed immediatè à Deo sibi illam potestatem competere, certissimus fuit. Quod & præcipui aliquot retro seculorum Viri statuerunt, ut fatetur Azorius *Th. Mor. Tom. 2. lib. x. cap. 2. §. 6. p.* 1552. Martinus Navarrus *Tom. 3. c. Novit. not. 3. nu. 21. & seqq.* quos annotat Joh. Georg. Hervvartus Cancell. Bavar. *in Vindic. pro Ludov. Bavaro contra Bzovium ad An. Chr.* 1338. *Imp.* 25. *num.* 18. 19. 20. 21. 50. quam quæstionem tangit Selden *in Consil. alleg.* & latissimè in utramque partem pertractat Martin. Magerus à Schönberg/Archid. Leop. Consiliar. *de Advocat. Armata seu Clientelari Patr. Iure, cap. 9. n. 211. & seqq.* Nondum autem definita controversia de potestate circa spiritualia ordinanda in salutem reipub. & Ecclesiæ, competente Romano Imperatori vel non competente, Imperator & Imperij Status manent in possessione & exercitio juris tot seculis usurpati, neque concedere possunt, ut ob ejus usurpationem à quoquam turbentur, aut injuriosè traducantur. Rectè Aufrerius *de potest. secul. in Ecclesiast. lim. 2. n. 6.* Cum *una opinio habet pro se consuetudinem, illa est præferenda. Nam consuetudo est optima legum interpres.* cap. cum dilectus. *ubi hoc tenet Siculus de consuetudine.* per l. minimè. & l. si de interpretatione ff. de legibus. *Et tenet idem Petrus de Ancharan.* in rep. cap. 1. de constit. in 4. oppos. *& Siculus* in eodem cap. 1. & in cap. at si Clerici, de Judic.

Publica sententia de potestate Imperator. prævales privata.

Adde VIII. Et si vel maximè aliquis ex Ordinibus Imperij privata opinione persuasus esset, usurpari incompetentem potestatem, si in pacem publicam improbatæ religionis homines recipiuntur, si libertas & jus religionis constituendæ sanctione solenni confirmetur illis, qui eo abusuri sunt certissimè, si bona Ecclesiæ illis relinquantur, qui à vera puraque Ecclesia sunt alieni, idque quia opinatur, deberi potestatem de talibus disponendi Romano Pontifici, sine cujus concessione & consensu nihil tale constitui queat, teneretur tamen privatæ illi suæ opinioni publicam ordinum sententiam anteponere & stare seculorum priorum decretis: Maximè cum, ut supra indicavimus, etiam liceat minus probabilem opinionem probabiliori anteferre. Neque verò movere debet, quod ab illa in Imperio Romano radicata & tot contradictionibus obtenta sententia, nonnulli Rom. Imperatores recesserint, & aliqua Pontificibus Rom. concesserint. *Tales enim submissiones vel recognitiones*, inquit *lib. de Iur. regn. & Imp. Rom. cap.* 14. Lupoldus de Babemperg (quem contra Trittenhemium & Bellarminum, observante Hervvarto, Bzovius, pestilentissimum autorem vocat) *per aliquos ex Regib. Rom. ipsi Ecclesiæ Rom. facta, dicto regno & imperio in suis juribus, ac etiam ex consequenti principibus & aliis subditis ipsius regni & imperij præjudicare non debent.*

bent. Nam cum submißiones & recognitiones huiusmodi de consensu Principum Electorum, ac etiam aliorum Principum & populi regno & imperio subiectorũ non sint factæ, ipsi principes & alij populum regni & imperium repræsentantes potuerunt contradicere, ac eorum contradictio est admittenda. Si autem Dominus habens jurisdictionem in subditos, se ac terram suam vellet submittere alteri Domino, ipsorum contradictio est admittenda. Interest enim sua, quod Dominus eorum sit liber., & ut tot Dominos non habeant, ad hoc π. de lib. causa. l. 1. & 2. π. de appellat. l. non tamen. cum concord. ad idem, extra de maior. & obed. cap. final. & cap. delicti, ubi de hoc per Hostiens. sed in casibus præmißis per has vel similes submissiones & recognitiones electus in Regem Roman. à Principibus teneretur obnoxius Ecclesiæ Romanæ quadam servitute &c. Hæc & plura alia Lupoldus. Si dicatur ex Angelo de Clavasio, *V. opinio. Hanc sententiam de competentia potestatis circa regimen Ecclesiasticum &c. non fuisse illis temporibus subtiliter à Dd. investigatam, ideoque sine peccato potuisse apprehendi, nunc autem tot annorum decursu, tot periculorum consequentium intuitu deprehensam esse falsam, ideoq; non amplius teneri posse: in dubiis tutiorem partem esse eligendam, tutius autem esse, resignare sese in sententiam Pontificis & Ecclesiæ, quam propriam sequi &c.* Respond. dici posse, quod in simili materia dixit P. Gr. Tholosan. *lib. XIII. de Repub. c. 1.* §. 29. ubi disseruit de multis causas Ecclesiasticas & Clericos concernentibus, quæ sunt in Hispania & alibi à S. Pontifice (quod tamen negat Did. Covarruv. *Relect. cap. Possessor Malæ Fid. de Reg.* §. 10. T. 1. *op. p.* 477. & antiquiori jure competere censet) potestatibus secularibus demandata. & ait: *Hac à quibusdam, ut dicebant, Zelo religionis audivi improbari, ut nullis rationibus id fieri debere docentibus acquiescerent. nesciebant enim, quantum laboris insumserint Pontifices atque pij Viri, ad continendam disciplinam spiritualibus remediis, & propter malitiam seculi nihil aut parum promovisse contumaces, donec oportuerit auxilio & subsidio uti potestatis secularis, quæ à Deo etiam est, ad laudem bonorum, & vindictam malefactorum, sicque isti Zelatores Zelo religionis inordinato, subtrahentes auxilium seculare Ecclesiæ, Ecclesiæ causam ad perniciem præcipitem deducunt, reprobantes, quorum rationem ignorant, quam experientia illis ignota necessitati coniunxit. Aliud enim est disputare de D. Thomæ & Magistri sententiarum, aliorumque Patrum dictis intra septa scholarum, aliud tractare negotia reipubl. Christianæ, in quibus non verbis tantum, sed factis opus est, & ipsa negotia rerum & personarum, non ex animi & dictorum sententia, sed sæpe necessitate & circumstantiis præsentibus temperantur.* hæc Tholosanus, qui in seqq. §. 30. 31. &c. de officio Magistratus circa religionem non sine Cleri objurgatione loquitur.

Aliud est in schola disputare, aliud resp. negotia tractare.

2. Non esse consultum, obligare conscientiam in hujus aut illius opinionis amplexum, propter subtilem Doctorum investigationem, ante planam determinationem eorum, quorum interest, definitivam ferre in jurium Majestatis amplitudine & excellentia contra antiquam possessionem. Habet autem hæc quæstio de competentia vel incompetentia potestatis, circa determinationem pacis publicæ exercitæ, difficilem definitionem. Pontifici Romano nunquam con-

Conscientia non est innodanda disputationibus subtilibus.

cedetur: quia ille in causa propria judex vix esse poterit; cum ex ipsis Doctorum Pontificiorum concessionibus & confessionibus, imò & concertationibus appareat, illum latius in arrogatione potestatis grassari, & ad infinitatem quandam contendere. Neque per tot secula Rom. Pontificum in hunc finem edita brevia, bullæ, responsa, constitutiones pragmaticæ, Canones, declarationes, excommunicationes observatæ sunt. Ecclesia non definiet, quæ, juxta Doct. Pontificiorum opinionem, sine Papæ consensu non est infallibilis. Imperium Rom. vix unquam derogabit institutis & juribus veterum, nec, si contra Papam definiret, attenderetur. 3. In dubio constituto, tutiorem partem suademus. Non est autem hic dubium Imperio, sed certum, hujus potestatis usurpationem sibi competere. Et si dubium suboriretur, in ea sententia est perseverandum, quæ tutissima est. Non est autem tutum resignare potestatem in manus Pontificis, quia hoc ad enormem totius Imperij & Statuum Pontificem non agnoscentium concussionem vergeret, & omnes nervos salutis publicæ divelleret. *Est disciplinati*, ut prudenter ait Angelus de Clavasio V. opinio. *in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ. Æquè enim vitiosum est, persuadentem quærere Mathematicum, & moralem, demonstrationem. Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus coniecturis, grossu & figuralibus, magis ad unam partem, quam ad alteram se habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus & maximè sapientibus apparet verum. Nam si Ioachim non fuit hæreticus, licet tenuerit falsum contra fidem, ut patet in cap. damnamus. de summ. Trin. & fid. Cath. quod ab Ecclesia talis articulus nondum erat damnatus, multò magis excusatur quis sequendo opinionem Doctoris*, (maximè ord. Imperii) *quando talis opinio ab Ecclesia non est reprobata, cum tali voluntate, quod si non crederet veram, non ei adhæreret. Certè in isto non potest esse contemtus, & sic nec peccatum inobedientiæ: ergo tenet certum sibi certitudine morali, & dimittit dubium sibi, sc. opinionem contrariam.*

Notatio II. Papã consensisse Paci R. verisimile est.

Not. II. Dubitari posse, *an Papa non consenserit Paci Religionis* An. 1555. *inter Imperat. & ordines inita?* Compositionis Pacis Autores quæst. 28. cap. 5. p. 125. statuunt, *Dubium non esse, quin Carolus Imperator & Rex Ferdinandus hoc suum propositum, animos dissidentes pacificandi, saltem generatim ei significarint. Sed quod vel à Iulio III. aut Marcello II. qui eodem ipso anno mortui sunt, vel postea à successore Paulo IV. fœdus circa religionem approbatum fuerit, nullo indicio constare: & omninò credibile esse, Pontificem nullum approbasse.* Atqui omninò videtur probabile esse & credibile, Pontificem Rom. utut in publico sibi ista non probari præ se tulerit, & agitaverit propterea querelas aliquas, in arcano tamen & per modum dispensationis aut conniventiæ consensisse in illam Pacificationem, quæ Religionis causa sancita est. I. *Quia* non præsumitur Carolum V. quicquid sit de potestatis competentia, inconsulto Pontifice M. cum Principibus & Statibus Imperij illam Pacem religionis constituisse. Si autem consultus fuit Pontifex, utique aut dispensavit, aut dispensationis negatæ ergo cum Imperatore Carolo egit. Posterioris

rioris nulla sunt indicia. II. *Quia* sufficiens temporis intervallum fuit inter transactionem Passaviensem & sanctionem pacis religionis Augustæ stabilitam: intra quod, ut ex variis indiciis constat, intra & extra Imperium capita transactionis & postulata transigentium ex parte Ordinum Protestantium sufficienter ventilari potuerunt. Quis credat, cum in tot Academiis, Consiliis, Consistoriis examinata fuerint, non etiam in Consistorio Card. Romano fuisse examinata? Si autem examinata, cur non credamus, etiam limites terminosque positos, quatenus constitui & concludi queat. III. *Quia* Comitiis Augustanis An. 1555. Episcopus & Cardinalis Moronus interfuit, proculdubio Rom. Regi Ferdinando I. quotidianis suggestionibus familiaris, & ex instructione Pontificia ad ea promptus, quæ in tam arduo negotio necessaria fuerant. Sic enim Natales Comes Histor. lib. 9. pag. 241. editio. Venet. *Decretum est in iis Comitiis, præsente sacro Antistite purpurato Morone, quem Iulius Pontifex adesse voluit Legatum, ne quis religionis causa adversus quenquam bellum susciperet &c.* Ille sanè, nisi in abdito dispensationis aut conniventiæ veniam habuisset, extrema quæque tentaturus fuisset, aut non effugisset etiam hac ex causa animadversionem Pauli IV. asperi & irreconciliabilis viri, cujus rigorem adeò aliàs effugere non potuit, ut referente Onufrio Panvin. *in vit. p.* 418. An. 1555. *hæreseos reus ab eo dictus & cum Card. Sanfelicio Episcop. Cavensi in molem Hadriani conclusus longo carcere fuerit afflictus.* IV. *Quia* tot Archiepiscopi, Primates, Episcopi, Prælati & quotquot ex ordinibus Imperij à parte Pontificis Rom. adhuc steterunt, tam vinculorum suorum non judicandi sunt immemores, ut si ex necessitate usurpandæ potestatis vel maximè non crediderunt, communicandum cum Pontifice Romano ejusque suffragium habendum, tamen ob connexionem causæ & infinitos alios respectus illius consilium consensumque prætermiserint neglexerintvè. Præsertim cum observare potuerint, si verum est, quod ex lit. Conr. Bruni Cancellarij Ottonis Episc. Augustani refert Comp. Pac. Diling. *cap.* 10. *quæst.* 66. *num.* 6. *& seqq.* quod *Cæsar Carolus liberandæ conscientiæ causa noluerit suam autoritatem interponere in pace religionis statuenda, neq; Rex Ferdinandus I. ulla ratione se adducere passus sit, ut discrepantibus & diu inter se contendentibus Catholicis & Confessionistis articulos pacis sua autoritate definiret ac stabiliret, sed omnia per consensum ac pactum ipsorum Episcoporum peragi debuerint.* V. *Quia* de contradictione & protestatione solenni & edictali super actitatis in Comitiis ex parte Pontificis illata nihil constat. Refert quidem Bzovius ad An. Chr. 1555. num. 35. quod *Paulum IV. vehementer commoverit Ferdinandi in Comitiis se inscio de religione suscepta tractatio, ut hortatus fuerit antiquari revocarique, quæ cum gravi sedis Apost. injuria concessa essent, pollicitus vires, si Germaniam ad Sedis Apostolicæ obedientiam reduxerit & relaxationem juramentorum.* Sed hæc & privatim agebantur, neque in formam solennis cassationis digerebantur, & tum objiciebantur, cum jam offensus Cæsari Pontifex occulta cum Gallo consilia agitabat, restituta inter eos pace nec amplius movebantur. Debuisset autem universalis Ecclesiæ Pastor tantæ audaciæ suam omninò

opponere contradictionem, si se inconsulto & inconnivente religiosa illa pax fuisset inita, à qua tot gravissima pericula imminent. VI. *Quia* neque successores Pauli IV. ante nostra tempora expresè de illa pace, tanquam vel inscia cathedra Romana, aut per usurpationem potestatis incompetentis inita esset, apud Imperatorem, aut Senatum Imperij querelam moverunt, cum tamen & scirent, omnes Pontifici addictos ordines & Imperatorem ipsum juramentis gravissimis illi esse adstrictos, & multos Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos & Ordines Ecclesiasticos alios in iis, quæ à Sede Romana petierunt, interea confirmaverint; quod certè inconvenientissimè fuisset sive omissum, sive admissum, si Pontificis Romani non fuisset decens in ea pace ratio habita, aut per eam illius potestas violata. Quicquid sit de notitia illius Pontificij consensus, facile divinare licet, cur noluerit Pontifex Romanus expressum ad ejus pacis sanctionem consensum largiri. Interim conscientia, ad Pontificis consensum attenta, probabiliter præsumere potest, illum non omninò defuisse, adeoque etiam ex hoc capite de validitate sanctionis firmius sibi persuadere.

Notat. III. Si Imperatoribus ordinariè non competiisset potestas, licitè tamē in casu necessitatis extraordinariè eam usurpare potuissent.

Notamus III. ut expresè concederetur Imperatori & Ordinibus Pontificiis ista potestas, quam ex se illis non competere ullo jure censet Ernestus, ad validitatem Pacis religiosæ non fuisse necessarium. Fatentur hoc JCti in Comp. Pac. Dilling. *c. 5. quæst. 29. num. 17. ad 4.* ubi ajunt, *duobus modis contingere, ut superioris autoritas seu approbatio necessaria sit ad aliquod pactum: vel ut licitè fiat, vel ut validè. Priori modo Summi Pontificis consensum & approbationem requiri, si fœdus circa religionem ineundum sit: altero sensu nequaquam. Quandoquidem ingruente necessitate, si respubl. aliter defendi non posse videatur, nisi tolerato, vel etiam promisso falsæ religionis exercitio, ipsum jus naturale principi talem potestatem tribuit, propterea quod inter duo mala quod minus est eligere debeat. Unde cum metus relaxationis illius transactionis & sanctionis à Pontifice dicitur imminere*, respondent iidem nu. 58. *quamvis si res speculativè examinetur, non careat difficultate, practicè tamen considerando, dicendum, Summum Pontificem fœdus publicum cum hæreticis initum, etiam sine eius approbatione juratum, propter necessitatem nunquam relaxaturum esse. Nam Papa dispensandi seu relaxandi potestate uti non debet, si gravius inde Ecclesia detrimentum timeatur, quàm utilitas speratur. Id autem in proposito casu futurum esset. Cum enim Novatores in omni fœdere cum Catholicis inito exclusam esse velint Papalem relaxandi potestatem, ideo apud ipsos & omnes Gentes infideles blasphemabitur nomen Domini & religio Catholica in contemtum veniet, si dicatur, cum Pontificis nostri consensu fœdera publica, contra jus gentium violari. Hoc autem malum gravius est, quam ullum aliud incommodum, quod Catholicæ religioni ex observatione fœderis timeri debeat.* Videri de hac re potest Joh. Molanus lib. 3. de fide hæret. servanda c. 14. Jac. Schulth. in ead. sing. quæst. n. 361. & seqq.

Notat. IV. Potestas in pace relig. usurpata

Notamus IV. *ea*, ad quæ in pace religionis, tanquam ad objectum formale, sese extendit potestas Cæsaris & Ordinum usurpata, *non esse spiritualia*, in quæ Pontificij plerique supremam potestatem Pontifici Romano tribuunt. Quanquam

quam

quam & hic sit inter ipsos pugna, nonnullis *Concilium supra Papam* collocantibus, nonnullis *Papam Concilio praeponentibus*: nonnullis *fundamentum & radicem potestatis in Ecclesia statuentibus, usurpationem autem & administrationem Papae relinquentibus*. Sed quicquid de hoc sit, sanè permissio religionis improbatæ & pœnarum suspensio contra ejusdem cultores fautoresque, itemque suspensio jurisdictionis & censurarum in foro exteriori, permissio cessioque bonorum Ecclesiasticorum & jurium Dominij temporalis, denique renunciatio & cassatio Imperialium constitutionum & Ordinationum huic paci adversantium non sunt objecta spiritualia, clavibus Ecclesiæ & potestati ligandi solvendique subjecta. Pertinent igitur ad potestatem regiminis secularis. Atqui plerique Pontificiorum Dd. statuunt, Pontificem Romanum *directè in temporalia nullam habere potestatem.* Plurimi etiam censent, neque directè neque indirectè in temporalia Pontificem habere jus aliquod. Vide latè de ea re agentem Serenissimi Archiducis Leopoldi Consiliarium Martinum Magerum *libr. dict. cap. 9. à num. 142. ad num. 230.* sub quæstione, *An juramentum advocatiæ, quod Imperator Pontifici Romano praestat, sit fidelitatis, homagij, vel subiectionis, vel patrocinij & defensionis duntaxat vinculum?* ubi Theologos & JCtos in hanc rem adducit. Et nota est disputatio inter Bellarminum & Guil. Barclaium, quam ultimò eleganter pro Guil. Barclaio deduxit Johannes Roffensis tractat. de potestate Papæ in temporalibus. Saltem non definitum est, an & quatenus aliquid in Imperij temporalia possit? Quod si itaque Papæ non competit in temporalibus potestas, sed ea in solidum adscribitur Imperatori & Imperio, cur igitur accusatur Senatus Imperij usurpatæ potestatis incompetentis?

nō est circa spiritualia propriè sic dicta.

Tractat etiam hoc negotium Magerus *lib. d. cap. 8. n. 329. & seqq.* sub quæstione, *An Rex, Dux, Princeps, Comes, Baro, Prælatus, aut Civitas Catholica ac Romana religionis existens Lutheranos vel Augustanæ Confessioni addictos, & hi vicissim illos in protectionem suscipere possint?* Est autem perinde, ac si quæsivisset, *An libertatem profitendæ & exercendæ religionis concedere mutuò, facere ut jurisdictio impediens suspendatur, permittere bona occupata, & renunciare constitutionibus ordinationibusque securitati adversis possint?* Nam nisi hæc ponantur, protectio locum habere non poterit. Definit autem quæstionem affirmatè, & utitur rationibus decidendi his I. *Quia religio nihil commune habet cum jure protectionis, & generatim religioni cum juribus gentium nulla est necessaria connexio: cum non sint ad paria, nec unum alterum tollat vel lædat. Illius enim communio propriè homini cum homine non est, sed homini cum Deo: horum verò, sicut & defensionis, inter ipsos homines. Non igitur jus hominum, quale est advocatiæ erectio, ob diversam religionem impediri debet.* II. *Quia nuspiam prohibitum, ne quis cum alienæ religionis hominibus protectionem ineat, dummodo ad eam sufficiat, quod autem non reperitur prohibitum, permissum censetur.* l. nec non. 28. §. quod eis. ff. ex quib. causis major. facit. l. solennis ff. de judic. l. 4. ff. de pignor. ait. l. 11. in pr. ff. de aur. & arg. leg. Authent. d. administ. off. §. fin. col. 3. glossa. cap. secund. §. Sed neque verb. non invenitur, extra de

translat.

translat. prælat. Zaf. l. 2. consil. 1. num. 81. Martin. Uran. consil. 20. num. 5. l. 3. III. *Quia multi Reges diversæ religionis homines in suis regnis & ditionibus habent, quos non minus ac eos, qui cum ipsis in religione concordant, protegunt.* IV. *Quia constitutio pacis religionis utriusque confessionis hominibus omnia jura salva atque integra, nulloque modo religionis intuitu prægravata permittit, quæ antea habuerunt. Ad hæc autem pertinet etiam mutua protectio.* V. *Quia eadem constitutio utriusque confessionis hominibus cavet de non offendendo.* Adjicit denique duo memorabilia allegata, quæ placet inserere. Primum est Sigismundi Selden JCti & Vicecancellarij Imperat. in seinem Bedencken an Kayser Ferdinand / vber Ihr Kayserl. Majestät Wahl vnd Hoheit: quod sic habet. Ob schon E. Mayt. mit allen andern Ständen / so die Päpstliche Heiligkeit für Käzer hält / sondere Bündnuß hätte / vnd ohne das die Vergleichung deß gemeinen Friedens mit allen Ständen deß Reichs im mittel / dieweil jedoch Ewer Mayt. nicht gemeynet / jemand dadurch in seinem Irrthumb zustärcken oder zuerhalten / sondern was deßhalben auffgericht / das ist allein auff die Erhaltung deß gemeinen Friedens / vnd dann auff den Widerstand gegen dem grausamen Erbfeind Christlichen Nammens vnd Glaubens dem Türcken angesehen / so sag ich gut rund / daß solches bündnus nicht gar vndienlich / sondern zulässig / löblich vnd ehrlich wäre &c. Alterum est quod Protestantes Helvetij Catholicis proposuerunt Anno 1588. & extat apud Mich. Eizingerum app. relat. hist. a. 88. p. 11. & sic habet. Ob wol in dem äusserlichen Gottesdienst etwas änderung vnd vngelegenheit ist / also daß ein theil vermeynt auff die weise / die andern auff ein andere besser daran zuseyn / so stimmet man doch in den Hauptstucken / darauff Christlicher Glaub gebawen / zusammen / vnd mag solche äusserliche Enderung so viel auff jhr nicht tragen / daß äusserlich Fried / Ruh / vnd Einigkeit darumb nicht bestehen möchte. Dann es offenbar vnd am Tag / daß etlich Ort der Eydgnoßschafft vnd gemeine Vnderthanen (wie auch viel Stätt vnd Land im Reich Teutscher Nation) in beyder Religion sich freundlich miteinander halten vnd vertragen köndten. Unde concludit. *Leves ac malitiosos esse Turbatores, qui ob diversam religionem controversorum articulorum, in plerisque aliis consentientes, à clientela alienæ religionis Status excludendos aut fugiendos esse existimant*: pro quo insuper adducit *Warem. ab Ehrenberg l. 1. de fœd. cap. 1. num. 1. & Ioh. Bidenbach. Consil. 8. dec. 2. Besold. l. 2. polit. cap. 6. num. 14.*

Pro Ernesto.

Conclusio I.

Quantum Principis potestas circa dogmata valeat?

Princeps secularis non potest decernere

His præmissis in genere & in specie, sigillatim dicimus ad I. Nihil quidem Principem politicum posse de fide decernere, quantum ad ipsa dogmata affirmanda vel neganda ex ipsis sacris literis attinet, quo obligetur conscientia. Id enim

enim ordinariè pertinet ad ordinem Ecclesiasticum, ut ostendat, quid Spiritus sanctus de hoc aut illo religionis capite in monumentis divinis revelaverit, vel non. Quanquam nec à cognitione horum arceri possit Princeps, inprimis summus, qui est ἐξω ἐπίσκοπος, ut Constantinus ait. Potest tamen Princeps politicus ea statuere, quæ ad decreta fidei constituenda, propaganda, conservanda judicat necessaria. Hinc etiam conciliis tum particularibus, tum universalibus interest, & ea moderatur. Qua de re solidè & latè disserit Nicolaus Cusanus Cardinalis *de concord. Cathol. lib.2. cap.8. 9. 10.11.12.13. 14. 15. &c.* Et sic etiam de hæresi statuere potest, quatenus & quia ea sine concussione & eversione totius reipublicæ eradicari nequit, quibus legibus toleranda sit. Quapropter & de fide & de hæreticis extant edicta Imperatorum, Regum & Principum varia, quæ ad requisitionem Romani Pontificis aut Ecclesiæ, & non ex plenitudine potestatis facta esse, unde probabitur? Bene Johannis de Parisiis *tract. de potest. reg. & Papali, cap.* 18. reprobat suum adversarium, quod supponit, *potestatem regalem esse corporalem, non spiritualem, & habere curam corporum, non animarum; hoc enim esse falsum, cùm ordinetur ad bonum commune civium, non quodcunque, sed quod est vivere secundum virtutem. &, juxta Philosophum, legislatoris intentio sit, homines bonos facere, & ad virtutem inducere: cùm etiam Aristoteles in Polit. dicat: quod sicut anima melior est corpore, sic legislator melior sit medico, cum legislator habeat curam animarum, medicus corporum.* Deinde jus pascendi ita alligatum esse Romano Pontifici, ut ab eo omne dependeat, falsum est, & ex textu sacro Johann.21. vers. 15. evinci nequit. De quo alibi ex ipsis etiam Pontificiis scriptoribus disputatum est. Sed quicquid de eo sit, aliud est tolerare lupos, *per intermissionem elenchi & censuræ* Ecclesiasticæ spiritualis, quod non potest imponere rectè in officio suo agenti Ecclesiæ Antistiti Princeps Politicus: aliud *tolerare improbatæ religionis homines in republica,* urgente salute publica & necessitate inevitabili. De hoc disponere, est in Principis politici potestate situm, nec hic jus pascendi ostendere potest Antistes Ecclesiæ.

de fide, tamen de fidei constitutione.

Conclusio II.

Jurisdictio Ecclesiastica ad quæ objecta se extendat?

Ad 2. PRIMÒ, Jurisdictio Ecclesiastica, uti nunc obtinet in Romana Ecclesia, ad varia objecta sese extendit. Jod. Lorichius thes. Cath. V. Episcopus n.5. & seqq. ad septem classes reducit. Non agitur hoc loco de dogmatum dijudicatione, approbatione, vel improbatione, quæ Doctorum & Antistitũ conscientiis relinquitur, sed de actionibus ulterioribus ad forum exterius pertinentibus, quibus positis nequaquam liberum religionis alicuius exercitium relinquitur, neque conscientiæ tranquillæ manent, multò minus fortunæ corporisque bona reservantur in

Principi competit aliquid in jurisdictione Ecclesiastica fori exterioris.

tur in

tur in tuto. Nam his juriſdictionis Epiſcopalis proceſſibus, poſitis ſecundum jura Pontificia, omnia templa ſolis Pontificiis vindicantur, ſcholæ nullæ, niſi Pontificiorum, inſtituuntur. ſubditi nulli niſi Pontificii admittuntur, infamia diverſum ſentientibus inuritur, excommuncationi annexa damna inferuntur, inter quæ eſt privatio omnis ſocietatis cum hominibus, quæ inducit privationem omnis collocutionis & ſcriptionis & complexuum, ſecluſionem ab omnibus precibus & ſpiritualibus bonis, ab omni ſalutatione, commendatione, valedictione, honore & reverentiâ, à cohabitatione, convictu & converſatione domeſtica, excidentiam ab omnibus obligationibus, etiam juratis, quibus fidelitate aliquâ ſibi quis ſubditos obnoxios habuit, à poteſtate contrahendi matrimonium, remotionem ab officio actoris, procuratoris, teſtis in judicio, à ſepultura in loco honeſto & ſacro &c. ſpecialia damna hæreſi decreta accelerantur, ut amiſſio omnium bonorum à die declarationis, quorum amittit dominium, adeò ut efficaciter contrahere & de illis diſponere non poſſit, ſed ea jure novo, de quo Navarrus *conſil. 20. de hæretic. lib. 5.* Pontificis Romani poteſtati & diſpoſitioni cedant. Sed & accedit amiſſio omnis dignitatis, quantacunque ſit, & Regiæ & Imperatoriæ. Item amiſſio omnium in univerſum jurium competentium: amiſſio poteſtatis patriæ in liberos, amiſſio dotis propter ſcienter contractum cum hæretico matrimonium, amiſſio beneficii appellationis, amiſſio exceptionis contra excommunicatos & alios, ſi contra eos in teſtimoniũ adducantur, amiſſio capacitatis adeundarum hæreditatum aut inſtitutionis in teſtamentis, amiſſio poteſtatis in ſubditos, famulos, libertos & quotquot promiſerũt aliquid dare: pœna ignis, inhabilitas ad conficienda inſtrumenta publica: de quibus pœnis damniſque Alphonſus à Caſtro *de iuſta hæreticorum punit.* Sylveſt. *hæreſ. 1. quæſt. 8.* Navarrus *Manual. num. 89. & ſeqq.* copioſè agunt. Hæ actiones in foro exteriori *partim* non dependent à jure divino, ſed conſuetudinibus ac ſanctionibus humanis, adeóque ſuâ naturâ remitti & ſuſpendi poſſunt. Imò & propter evidentem neceſſitatem remitti & ſuſpendi debent, ſi ſcilicet probabiliter judicetur, plus incommodi, quàm emolumenti reipublicæ Chriſtianæ aut Eccleſiæ, ex illarum exercitio oriturum. Unde etiam de facto extra conſiderationem pacis religioſæ per omiſſionem denunciationis, de qua multa tradunt Caſiſtæ, illæ ſolent ſuſpendi. Vide Bonacinam V. *hæret. Tom. 1. fol. 509. num. 9. & 10.* *partim* ita ſunt comparatæ, ut dubium ſit in ipſa ſchola Pontificia, *an eiuſmodi juriſdictionis uſurpatio non etiam dependeat ab Imperatore Romano & maieſtate Imperii, adeóque annon etiam Imperator & Status pro exigentia ſtatus Imperii & præſentium rerum diſpicere poſſit & debeat, utrum conſultius, propter objectas cauſas ſpirituales, inprimis hæreſeos, ad exercitium juriſdictionis exterioris fori, quæ in civilium malorum irrogatione, aut civilium bonorũ ſubtractione potiſſimum conſiſtit, procedere, an verò proceſſum hunc reſervatis interim iuribus ipſis ſuſpendere & remittere?* Quæ enim actiones ex ex ſe & per ſe juréque divino non fluunt ex poteſtate ſpirituali ſive Eccleſiaſtica, ſed ſucceſſu temporis jure humano, vel potius conſuetudine introductæ ſunt,

earum

earum exercitium temperare & mensurare potest Christianus Imperator pro conditione circumstantiarum ad leges salutis Ecclesiæ & Reipublicæ, adeóque vel admittere vel suspendere. Etiamsi enim Imperator relinquat jus sententiæ ferendæ Episcopis, quâ illa damna inferunt, & auferunt illa bona, de quibus supra diximus, illis, quos pro hæreticis habent, ipse tamen cum Statibus introspicere potest, an sententiæ latæ executio conducat saluti Reipublicæ? Ita enim uni corporis universi membro jus suum relinquendum est in vigore exercitioque, ne totum corpus pessundetur. Qua de re bene loquitur Æneas Sylvius Piccolomineus, qui Papa factus Pi[us] nomine nuncupari voluit, *tract. de ortu & autoritate Imperii, cap. 17. & 18. Dicendum est aliquid, quod aliquibus fortasse durum videbitur & absurdum, sed non debet taceri, quod verum est dictúque utile. Quid obstas penna? quid molesta es? cur non reddis atramentum? exprime Cæsaris privilegium, nullum timeas, dum verum scribis. Nempe liberum est Imperatori, non solum hominis nequam, sed etiam viro bono, ac de republica benemerito proprium agrum, proprias domos propriasq́; possessiones auferre, si reipublicæ necessitas id postulat. Hinc videmus prædia, quæ bellis imminentibus damnosa sunt civitati, cum ædificiis incendi, agros effodi, vineas amputari, frumenta ex privatis horreis pecuniasq́; ex arcis ad publicum usum deduci, quamvis hoc singularibus hominibus videatur esse damnosum; minus tamen malum est, privatos viros luere, quàm rempublicam pessundari. Nam nec opes privatæ stare possunt, nisi salvâ republicâ, his tamen hominibus, qui propter rempublicam singularia perferunt detrimenta, ex publico compensandum est, atq; ita curandum, ut incommoditas belli non ad unum vel paucos, sed ad omnes æqualiter pervenisse videatur. Quod si reipublicæ status id non patitur, tolerabilius est, unum pati, quàm universos. Nam si civis pro salute sua omnia dabit, quæcunque habet, quantò magis id reipublicæ causa faciet: cùm non solùm homines nati simus, sed etiam reipublicæ, cui non minus quàm nobis ipsis, debemus parare divitias. Nautæ cùm tempestas emersit, quæcunque in navi bona, pro salute personarum deiiciunt.* Et post: *Sicut membra quædam amputantur, si ipsa languere & tanquam spiritu carere cœperint, ne reliquis nocere possint corporis partibus, sic & reliqui homines propter rempublicam pati debent, quamvis nihil mali videantur promeruisse: si cum ipsis respublica perit, quæ sine ipsis salva esset. Turpis enim est omnis pars, quæ suo toti non convenit, & semper minus malum tolerandum est, ut evitetur majus: nec grave videri debet, si pro salute corporis pedem vel manum, ut sunt in republica cives, dicimus resecandam, cum Princeps, qui caput est mystici reipublicæ corporis, cùm salus communis postulat, vitam ponere teneatur.* Hæc ille: qui quidem de bonis loquitur, applicari autem facilè ad usurpationem jurium humanorum circa hæreticos prosecutionem & extirpationem possunt. Unde & executionem sententiæ excommunicationis suspendi, nec contra hæreticos vi agi debere, ipsi Pontificii testantur. Vide Sixtum Senensem *lib. ... 6, annot. 60.* & Jodoc. Lorich. *thes. ... lib. 1. Hæreticum, num. 11.*

An verò Iudex Laicus circa latam à Iudice Ecclesiastico excommunicationis sententiam possit cognoscere, inter Doctores dubitatur. Sanè secularem judicem posse de exce-

Æn. Sylvij de Imperatoris potestate elogium.

Princeps secularis potest cir-

exce-

an latam ecclesiastici judicis sententiā cognoscere.

exceptione excommunicationis coram ipso opposita cognoscere, tradit *glossa in l. 1. C. de iuris & facti ignorat.* quam dicit singularem Jason *in l. 2. C. de S.S. Eccles.* & commendat Baldus *in l. Intellecximus. de iudic. & c. cùm contingat col. 10. de dol. & contumac. & in addit. ad specul. in tit. de competent. judic. additione in fin.* pro quâ opinione citatur textus *cap. postulasti. de homicid.* ubi excommunicatio fuit opposita coram rege, & sic coram judice seculari, quem textum ad hoc notat ibi Joh. And. *in 1. not.* & idem tenet Joh. Geminian. *l. 1. §. 2. vol. 5. de except. l. 6.* Bald. *l. final. col. 1. C. si a non competente iudice fuerit appellatum.* Atque hæc opinio præsupponit alteram, quæ vult, *iudicem laicum de spiritualibus coram se incidenter oppositis cognoscere posse*, quam sequitur Baldus *l. 2. C. de Carbon. edict. & authent. ei qui iurat. num. 26. vers. tu coniunge Cod. de bon. autorit. iudic. possidend.* quem secuti sunt Ant. Butrius *C. cùm sit generale. de foro competent.* Romanus *consil. 173. colum. 1. vers. præmissis.* Cravetta *consil. 258.* Menochius *de restituend. poss. ss. remed. 3. num. 336.* Decianus *c. 4. n. 28. vers. textus fallit. de iudic.* Guido Pap. *decis. 138.* Imò quod de facto solo, quod nihil juris cum spiritualibus habet mixtum, coram Judice seculari tractari possit, tenent etiam Geminian. *cap. si quis. col. 1. vers. istud credo verum. de except.* Capyc. *decis. 7. num. 3.* Ferretus *cautel. 53.* Cravetta *consil. 253. num. 1. & consil. 258. num. 1.* Abbas *in cap. post miserabilem. de usuris. & in cap. cum sit generale.* ubi etiam Felinus *colum. 3. de foro competent.* Ripa *in C. 1. num. 17. de iudiciis.* Matthæus de Afflict. *decis. 219.* Rolandus à Valle *consil. 12. num. 24. vol. 1.* Vantius *de nullitat. & defect. iurisdict. num. 54. in fin. vers. quamvis si esset quasi o non mirū.* Petra sancta *singular. 96. & sing. 58.* ubi in hoc æquiparat quæstionem facti & quæstionem juris municipalis. Et ista est communis opinio, ut per Covarruv. *epit. de sponsalib. ca 8. §. 12. num. 3.* Turzan. *in commun. opin. 90.* Villabob. *in commun. opin. verb. Iudex Laicus. num. 107. & seq.* Imò de nullitate sententiarum ecclesiasticarum judicem secularem posse cognoscere, tradit Imola *cap. Pastoralis §. quia vero de offic. delega. 4.* Abbas *col. 2.* & esse communiter receptam, tradit Felinus *cap. de cætero. col. 1. de iudic.*. Sic refert D. Marta Neapolitan. *de iurisd. Tom. 1. part. 3. c. 16. n. 7. 10. 11. 17* quamvis contrarium sentiat. Quicquid sit de istis concertationibus, hoc saltem emergit, hactenus nondum determinatæ & extra disputationem justam positæ veritatis esse inter Pontificios, quod Imperator & Status Imperii de exercitio jurisdictionis Ecclesiasticæ in foro exteriori, an & quatenus extendenda sit, non possint cognoscere.

Principes ecclesiasticisuū consensum in Imp. arbitrium resignarunt.

SECUNDO. Principes politici de potestate Ecclesiastica suspendenda nihil decreverunt *per modum præcepti*, sed ad Principes Ecclesiasticos omnem in illo negotio resolutionem detulerunt *per modum voti.* Referunt autores Composit. Pac. Diling. *cap. 6. quæst 40.* materiam *de suspensione iurisdictionis Episcopalis* fuisse propositam in consilio Electorum. Episcopos autem & eorum Legatos vehementer contradixisse postulationi protestantium. Inter eos præcipuum fuisse Everhardum Eystettensem Episcopum: qui dixit: So wir (die suspension Geistlicher Jurisdiction) durch einen Pact bewilligten/ theten wir wider unser Gelübd/

Pflicht/Eyd/vnd Ampter/derhalben können wir solche Mittel nicht bewilligen/ wolten vns/ehe wir das dahin bringen lassen eher von Land vñ Leut vertreiben lassen/vnd in einem Hembd davon gehen. Huic Episcopo reliquos fere omnes consensisse, salva conscientia non posse se per pactum seu fœdus jurisdictioni Ecclesiasticæ in futurum derogare: quod si autem Regia Majestas id per se ipsam, Pacis causa, decernendum esse arbitretur, se non repugnaturos. Regem autem Ferdinandum noluisse sibi hoc assumere, ut sine Episcoporum consensu jurisdictionis suspensionẽ constitutioni insereret: post varios tractatus, allaborantibus Mediatoribus Principibus, Austriaco, Bavaro & Juliacensi, Electores, & alios Episcopos Catholicos sibi ulterius repugnandum non arbitratos fuisse, & ita denique utriusque partis consensu formatum & pacific. constitutioni insertum esse articulum de jurisdictionis Ecclesiasticæ suspensione, erga Confessionem Augustanam ejusque ceremonias & ministrorum ordinationes. hæc illi. Itaque Cæsar & Status non suspenderunt Jurisdictionem Ecclesiasticam, sed illi, qui eam habuerunt, sc. Electores Archiepiscopi, & alij Episcopi. Sed & illud notandum, Episcopos non repugnaturos se dixisse, si suspensionem Jurisdictionis Ecclesiasticæ Ferdinandus Rex pacis causa decernere voluisset.

DENIQUE Jurisdictionem Ecclesiasticam reipsa abolitam esse, negant contra Ernestum *autores C. P. quæst.* 42. *num.* 99. Et notabilia sunt verba M. Mageri *l. dict. c.* 14. *num.* 304. *& seqq.* cum ait: *Privilegium per non usum non amittitur, si nunquam evenit occasio utendi, licet quis per mille annos non usus fuisset. Glossator & alij* in cap. Abbate, de verb. signific. *Bartolus* in leg. cum sumus. Cod. de agric. & censit. lib. II. *Iohann. Andr.* in addit. ad Specul. tit. de feud. in rubr. *Francisc. Balv.* de præscript. 4. part. 4. princip. quæst. 14. num, 17. *Bello.l.* qui communem dicit, consil. 1. num. 11. *Ripa* resp. 3. num. 8. de Elect. & alij plures citati per *Anton. de Padigl.* in l. falso, num. 4. C. de divers. rescript. quin id adfert l. Et Acticilinus de servitut. rustic. præd. qua probatur, *non amittere servitutem eum, qui ea uti non potuit.* Jason *in l. final. num.* 53. *de constit. princ.* Dec. *in c. cum accessissent. de Constit. num.* 74. ubi pulchra ratione confirmat: nam cum hujusmodi privilegium tollatur decennio ex negligentia, quæ non cadit in eum, qui non habet facultatem faciendi, non potest amittere, sicut in simili lex tunc tollitur per non usum, quando data est facultas utendi, ut voluit Bartolus §. *& antea, in proœm. digest.* 20. Cyn. *leg.1. Cod. quæ sit longa consuetudo.* Sic & jurisdictio non præscribitur, si jurisdictionis exercitium & casus utendi non evenerit. *text. notab. in l. & Acticilinus dig. de ser. 4. rust. præd.* Jason *in l. fin. num.* 35. *de constitut. pecun.* Bellon. *consil.* 1. *numero* 15. *& seq.*

Conclusio III.

Jurisdictio Principis quantum circa bona Ecclesiastica valeat?

De administratione bonorũ Ecclesiasticorum non fas est absolutè ex Iure Can. determinare.

Ad 3. Resp. 1. totum illud, quod de bonorum Ecclesiasticorum administratione proponit Ernestus, postulatum esse ex corpore Juris Canonici depromtum, adeoque non satis innixum firmo fundamento. Nam quod ad Gratiani Decreta attinet, notat ex Al[illegible]. *l. 4. parerg. 23.* Albericus Gentil. *disp. de Iure Canon. c. 2. p. 15.* Gratianum iis, quæ adduxit, nullam autoritatem contulisse, retinere igitur adducta eam, quam habent ex autoribus, sive Patribus, sive Concilii[illegible]. Gratianum sæpius errasse, censet Didac. Covarruvias *Variar. Resolut. IV, 12. 13. 14.* Antonius Augustin. Episc. Terracon. *libris 2. dialogis 40. de emendatione* Gratiani agit. *Pag. 5.* varia errorum genera proponit: *Sapè inquit, erratum esse video in nominibus hominum, urbium, provinciarum, conciliorum & aliarum rerum. Sapè sunt falsæ inscriptiones, & quæ sunt Conciliorum, Pontificum Maximorum esse dicuntur, aut quæ sunt unius Episcopi inferioris, Romano Pontifici, aut Concilio generali, vel provinciali tribuuntur. Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini vel Hieronymi verba esse dicuntur, quæ aut nusquam extant, aut aliena sunt. Illa quoque ipsa, quæ inscriptiones habent veras, non rectè referuntur. Sæpè enim contrarias sententias referri scimus, sæpe valde præcisas. Iam vero, quæ ex Græcis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferuntur, quasi sint aliorum scriptorum, ac sæpè aliud Græcè, aliud Latinè sonant.* De dictis ipsius Gratiani Joh. Franc. à Ripa, Nicol. Abbas Panormitanus & Canonistæ alij relati apud Henr. Canisium *in Summa Iur. Can. lib. 1. tit. 1. in not. p. 3.* & Gentil. *d. disp. p. 23.* statuunt, *ea non esse approbata, nisi quatenus vel autoritate, vel viva juris ratione juvantur.* Unde Panormitanus *in c. Ex parte, num. 9. de rescript.* ait: *dicta Gratiani quotidie reprobantur, sicut dicta alterius Doctoris.* Et apud Glossatorem quoties legimus: *Illud non est verum. Non dicit bene. Hæc solutio non valet. Male dicit. Superficialis est argumentatio Magistri. Falsum est. Licet Gratianus dicat, non est verum. Mentitur Gratianus. Non bene argumentatur. Non bene solvit. Hic fateor te planè mentitum Gratiane &c.* Et R. Bellarminus *Cat. script. Eccles. p. 33.* in multis castigat Gratianum. Conf. Franc. Suarez *de LL. IV, 5. num. 6. p. 231.* Azorium *T. 3. Inst. Moral. I, 6.* Laymannum *Theol. Moral. lib. 1. tract. 4. cap. 6. §. 3. p. 1[illegible].* Vinc. Filiuccium *tract. 31. Th. Mor. c. 1. num. 66. p. 219.* qui etiam adducunt Johan. Andreæ, Frid. de Senis, Joh. Majorem, Rodriquez, Canisium, & alios. Quod verò ad Decretalia attinet, notum est, quid de illis Franc. Duarenus JCtus *libr. de sacris & Ecclesiast. Minist. ac benefic. præf. p. 2.* loco apud Bernard. de Sandoval Archiep. Tolet. *Indic. Expurg. p. 341.* non expungi jusso. *In decretalium volumine,* inquit, *multa intueri licet, quæ à prisca illa disciplina, quam decretorum liber, à Gratiano editus, continet, multum degenerant. Atque hinc natum est apud nostros illud*

tritum

tritum ac vulgo jactatum: Malè cum rebus humanis actum esse, ex quo decretis alæ accesserunt. Vide ibid. plura, & adde Franc. Zabarellam *Cardinal. Florent. tract. de pot. Imp. & Pontific. pag. 703. Iura,* inquit ille, *Canonica male considerata sunt per multos assentatores, qui voluerunt placere Pontificibus per multa retro tempora, & usque ad hodierna suaserunt eis, quod omnia possent, & sic quod facerent quicquid liberet, etiam illicita & sic plusquam Deus. Ex hoc enim infiniti secuti sunt errores, quia Papa occupavit omnia jura inferiorum Ecclesiarum &c.* Similiter scribit Guil. Budæus *de asse & partibus eius lib. V. pag. 151.* Henr. Cornel Agrippa JCtus *de Vanit. Scient. c. 92.* Ecce quo fundamento tota hæc causa nitatur!

Resp. 2. Ad hæc nondum etiam certum est, *an jus Canonicum liget Imperatorem,* quod pro concesso sumit Ernestus, & latè tradit Petr. Ostermann. *prodrom. Paratit. Iur. Can. disp. 1. p. 8. & seqq.* Sanè de Jure Codicis omnes Ecclesias subjici Imperatori de jure & de facto, voluit Ludolph. Rodolphinus *lib. 2. quæst. 36. n. 14.* M. Anton. Peregrinus *Respons. pro Decr. Reip. Venet. vers. 3. autem via.* Et de Jure Saxonico *Papam Imperatori subesse,* constat ex speculo Saxonico (quod male Godscalc. Holen. serm. part. 1. ser. 27. *legis obumbraculum* vocat) *lib. 1. art. 63. §. ult. & gloss. l. 1. art. 1. & l. 3. art. 52.*

Ostendit etiam Anton. Benbellona de Gaudentiis *Tempest. suscitab. part. 2. c. 15. p. 82.* ex Bodino, Chassaneo & aliis, Pontifices & Sacerdotes Imperio Magistratuum contineri, quem & sequitur Joach. Stephan. *de Iurisdict. IV, 12. num. 31.* Et res sacras subjacere superioritati & dispositioni generali Rom. Imperatoris, satis luculenter probat Novella VII. Justiniani Imp. *de non alienandis aut permutandis rebus Ecclesiasticis immobilibus &c.* & tradit Cacheranus *in decisione Pedemontan. 63. n. 8.* eas alienationi & contributioni subjectas esse in iis casibus, in quibus principaliter pietas & publica versatur utilitas. Fridericus II. Imperator An. 1227. oppidis, pagis, prædiisque exuere Clericos & ad pristinam humilitatem reducere conatus est. *Habemus,* inquit, *conscientiæ puritatem & per consequens Deum nobiscum, cuius testimonium invocamus, quia semper fuit nostræ voluntatis intentio, Clericos cuiuscunque religionis ad hoc inducere, & precipuè maximos ad illum statum reducere, ut tales perseverent in fide, quales fuerant in Ecclesia primitiva, Apostolicam vitam ducentes & dominicam humilitatem imitantes. Tales namque Clerici solebant angelos intueri, miraculis coruscare, agros sanare, mortuos suscitare & sanctitate, non armis Principes sibi subiugare. At isti, seculo dediti & inebriati delitiis, Deum præterponunt, quorum ex affluentia divitiarum Religio suffocatur. Talibus ergo subtrahere nocentes divitias, quibus damnabiliter onerantur, opus est charitatis potius, quam erroris. Ad hoc vos omnes Principes unà nobiscum, ut cuncta superflua deponentes, modicis rebus contenti, Deo serviant, omnem quam potestis debetis diligentiam adhibere.* Goldast. *Tom. III. Constitut. Imper. pag. 375.* Defenditur hoc consilium Imperatoris per ea, quæ piè graviterque scribit Guil. Peraldus Episcopus Lugdun. *summ. Virtut. ac Vit. Tom. II. de Avarit. c. 10.* ubi post multa in Clericos, impiè circa bonorum Ecclesiasticorum usum versatos, dicta, tandem p. 254.

Pontifices & Sacerdotes sub Imperio Magistratuum contineri.

Friderici II. sanctio de ordine Ecclesiastico expensa.

varias

varias rationes adducit, cur Deus in primitiva Eccleſia noluerit temporalia eſſe conjuncta ſpiritualibus; Sc. *quia temporalia provocativa ſunt illorum, quæ Chriſtus noluit habere Eccleſiam ſanctam: quia temporalia ſpiritualibus officiis annexa terrori ſunt viris perfectis, cum primus diſpenſator terrenorum in Eccleſia fur fuerit. quia prævidebat Dominus ſuperbiam, quæ naſcitura erat in Eccleſia ex abundantia temporalium. quia nolebat Dominus, quod Eccleſia fiduciam ſuam habeat in alio, quam in ipſo, volens eam potius fundare ſuper petram, quam ſuper terram. quia ſciebat Dominus oculum Eccleſiæ impediendum eſſe ab officio ſuo &c.* Extat etiam Petri Gregor. Tholoſ. gravis querela de abuſibus bonor. Eccleſiaſt. Pol. XIII, 17. per tot. *Et Friderici veſtigiis inſtitit Sigiſmundus Imperator, cum in reformat. Status Eccleſ. quam juſſu eius conſcripſit Fridericus a* Landsꝛon *An.* 1476. *typis exſcripſit Ioh. Demlerus, de qua vide Goldaſt. Tom. 1. Conſtitut. Imper. pag. 70. & in Rational. p. 107. ita gravieer loquitur:* Man ſoll wiſſen / daß nothwendig iſt / als vorgeſchrieben ſtehet von den Biſchoffen und Abten / und Geiſtlichen Häuptern / daß ſy kein Schloß / Feſt / noch Stätt / Zwinger noch Peen haben ſullen / noch recht iſt. Sy ſullen alle ſtehen und fallen an einem Römiſchen König zu dem Reich / der ſull ſy zu Lehen machen den Herren / Rittern und Knechten / und Reichsſtätten / daß ſy dem Reich beſtändig ſeyn. Scilicet volebat Sigiſmundus Pontifici S. Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus, Monachis & Clericis legem neceſſaria hujus vitæ poſſidendi reſtrictam conſtituere, cætera ſacrorum proventuum ſtabiliendæ, reſtaurandæ, tuendæ Reipublicæ Chriſtianæ applicare. Adeò Imperatores illi in poſtulatum illud Romanenſe, quo extra ſuperioritatem Imperatoris poſita eſſe & ſubjicere Pontifici aſſeritur, non conſenſere. Henricus II. quem *ſanctum* vocant, Monachos Fuldenſes turpiter viventes & omnes admonitiones aſpernantes multis bonis poſſeſſionibuſque exuit, quorum copia pietatis inopiam apud ipſos pepererat. Joh. Trittenh. Abbas in *Chron. Hirſaug. An.* 1012. Carolus IV. Moguntiæ luxuriam Clericorum acerbè perſtrinxit, additis de ejectione è poſſeſſionibus ſuis minis, Naucler. *Volum.* 3. *Chronogr. Gener.* 47. H. Mutius *Chron. German. lib.* 25. Hinc & in Concil. Toletano IX. *c.* 1. quod & extat C. *Filiis cauſ.* 16. *quæſt.* 7. permittitur hæredibus eorum, *qui bona Eccleſiæ conceſſerunt, ſi ſacerdotem ſeu miniſtrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honeſtæ conventione compeſcant aut Epiſcopo vel Iudici corrigenda denuntient. Quod ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano eius hæc inſinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant.* Ubi quidem gloſſator *eventualiter* ita Concilium Toletanum diſponere tradit, ut cum per Judicem Eccleſiaſticum cogi non poteſt, vel cum Eccleſiaſticus judex deſes eſt. adde Martam de Jur. lib. 4. Cent. 4. cap. 143. Sed revera Concilium Regem, tanquam ſuperiorem compellandum cenſet, & eidem jus ſuperioritatis in Bona Eccleſiaſtica tribuit. Pertinet huc illa diſſertatio, quam diſputationibus duabus in Aug Conf. inſigniora conſequentia, A. 1650. prælationis loco præmiſimus, *de quinque Carolorum Imppppp. illuſtriſſimis contra Rom. Pontificis & Epiſcoporum faſtum pro Eccleſia commodo monumentis.* Hinc elogia Imperatoris

ratoris

ratoris, quod sit summus Germanorum Princeps *π. de constit. Princ § sed & quod Princip. l. de l. N. G. & C. c. Vnic. de Feud. March. Duc. c. Vnic. Quis dic. Dux March. in usib. feud.* Prosper Caravit. *Rit. 46. n. 11. & seqq.* Dominus Orientis, Occidentis, Meridiei & Septentrionis. *l. Deprecatio. π. ad l. Rhod. de iact. l. Bene a Zenone C. de Quad. praescr. Nov.* 151. *c.* 2. *C. In Apibus. π. quaest.* 1. *gl. in c. In Quiritium, dist.* 1. *gl. in c. Adrianus dist.* 63. Baldus *Cons.* 359. *l.* 3. qui inter Principes mundi maximè refulget. l. penult. & ibi Baldus *c. de bonis quae lib. d. c. Adrianus.* Cardinal. *in Clement.* 1. *in pr. de [illegible] tanquam sanctissimus & nobilissimus.* l. Quieti *π. de Nat restitut. & Christianissimus.* l. inter claras. C. de summa Trin. Chassan eus Catal. glor. mund. part. 5. consil. 27. *imo corporalis mundi Deus, eminens super omnes, tanquam stella matutina in medio nebulae meridionalis.* Baldus, *cons.* 258. *lib.* 1. *& consil.* 300. *lib. ult.* Martin. Garrat. Laudens. *in c. unic. in fin. de prohibit. feudor. alienat.* Castellianus Cotta *Memorab. verb. Imperator.* Ferdinandus Vasquius *Illustr. quaest.* 2. *in princ.* Anton. Gabr. *Comm. opin. lib.* 5. *t. de A. R. D. conclus.* 5. Jason *in l.* 1. *in* 1. *Lectur. n.* 6, *Cod. de summ. Trinit.* Bartolus *in l. hostes* 24. *num.* 7. *de capt. & postlim. rever.* Restaur. Castald. *tract. de Imperat. quaest.* 52. *&* 53. Carol. Degrassalius, *Regal. Franc. lib.* 1. *Iur.* 6. *p.* 56. citat Joach. Cluten. *Syll. R. Q. th.* 9.

Incidit etiam in hanc considerationem quaestio de origine exemtionis Clericorum, quam non juris divini, sed humani esse, adeoque non excludere superioritatem Imperatoris in certis casibus, tradunt ex Pontificiis plurimi, inter quos Franc. Victoria *de potest. Eccles. rel.* 1. *quaest. ult.* Dominicus à Soto *in* 4. *dist.* 24. *quaest. art.* 2. Johan. Medina *in Cod. de Restitut. q.* 15. Didacus Covarruvias *l. pract. quaest. c.* 31. *& Var. Resolut. l.* 17. *num.* 2. Molinaeus *in Addit. ad Cons. Alex.* 8. 1. 1. Alciatus *in c. cum non ab homine. de judic.* Palatius *in* 4. *dist.* 25. *d. [illegible].* 3. Salon 2. 2. *quaest.* 67. *a.* 1. *controv.* 1. Bannez *ib.* Albert. Pighius *lib.* 5. *Hierarch. Eccles. c.* 7. Jansen. *Harm. Evang. c.* 69. Henriquez *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 24. Sed hanc controversiam Guil. Barclajus ex professo contra Bellarminum tractavit, & apologia publicata sese contra Bellarminum defendit. Vide latè Gerhardum *L. C.* 6. *de Magistr.* §. 44. [illegible] §. 468.

Exemtio & arrogatio potestatis in bona Ecclesiastica, à Pontificiis praetensa, non est juris divini.

Tangit ea, quae huc pertinent, JCtus Pontificius supra nominatus, Magerus *de Advocat. [illegible]* 17. *num* 164. *& seqq.* dum tractat quaestionem, *Quando Salvaguardiam violans est persona Ecclesiastica, an nihilominus in foro Caesareo super poenam conveniri queat?* Ibi quidem in negativam varias cumulat rationes, I. *quia in personam Clerici nullam Laicus judex habet jurisdictionem, cum omnes causae Clericorum tam criminales quam civiles ad forum Ecclesiasticum pertineant.* II. *quia statuta & privilegia Laicorum non ligant Clericos & personas Ecclesiasticas.* III. *quia Iudices supremi leges contra Clericos incidunt in excommunicationis censuram.* Verumtamen pro affirmativa etiam rationes allegat gravissimas: 1. *Quod Imperator habeat [illegible] jurisdictionem in imperio, cujus respectu sit Dominus eorum.* 2. *Quod Salvaguardia possessionum ab Imperatore concedatur pro conservatione & manutentione possessionis. In possessoriis verò Clerici sortiantur forum coram Iudice seculari, teste Guid.*

Pap. decis. 1. num. 1. & decis. 83. Gail. observ. I, 30. n. 20. Covarruv. pract. q. 35. 3. *Quod contra Clericorum personas procedatur in casu falsæ impositionis.* facit text. final. Cod. ut nemo priv. Stephan. Aufrer. tract. de pot. secul. in Eccles. 1. fall. 12. 4. *Quod violatione Salvaguardiæ violetur Maiestas principis. At hoc in crimine etiam contra Clericos & Ecclesiasticos proceditur.* Masluer. in prax. tit. de remiss. num. 9. 5. *Quod in formulis Salvaguardiæ communiter etiam præcipiatur Ecclesiasticis.* 6. *Quod plurimorum ICtorum illa sit opinatio, Reb. ffi, Nevizanij, Chassanei, A*[illegible]*, Boërij &c.* Decidit itaque Magerus in affirmantem, & notat, *Ecclesiastico*[illegible] *considerare, ut Principes Politicos & Status Imperij, cum ratione bonorum feud*[illegible] *Imperij, privilegiorum & Regalium eiusdem sint conditionis & eadem superioritatis jura habeant, quæ Duces, Comites & alij, in suis territoriis.* Andr. Gail. 1. *obs.* 30 [illegible] *& obs. 37. n. 10.* Carol. Molin. *ad consuetud. Paris. t. 1.* [illegible] *n. 70. & 71.* Petr. Heig. *part. 1. q. 4. num. 53.* Andr. Knichen. *de jur. territor. c. 4. n. 58.* Coler. *de* [illegible] *conclus. 49.* Vulteius *de feud. c. 5. num. 7.* Inde [illegible] Cæsaris [illegible] adversus Ecclesiasticos fundatur ratione bonorum feudalium, privilegiorum [illegible] regalium, quæ à Rom. Imperatore & S. R. imperio habent, eorumque nomine forum Cæsaris sortiuntur. *Cap. Si Episcopus.* [illegible] *præceptione Regia. 18. dist. gl*[illegible] *ib. verbo Regia. & in c. cum parati. de appellat. gloss. ibid. in v. legatione.* Panormitanus *ibid. num. 8. cum seqq. text. in l. Nimis.* [illegible] *glossa in c. reprehensibile. V. orationibus. 23. q. 8.* Buxtorff. *ad c. 5.* [illegible] *69. lit. A.* Casp. Ziegler *tract. de Rom. Imp. subiect.* [illegible] *instantiis. corol. 1. num. 13.* A. Gail. *l. 1. pac publ. c. 8.* [illegible] Franc. Marc. *quæst. 456. num. 9.* Hieron [illegible] m. Schu[illegible] *consil. 72. num. 2. cum seq.* [illegible] *tur.* 1. qui dicunt expressè, *ratione regalium & feudorum temporalium Ecclesiasticos secularibus, a quibus talia regalia & feudalia recognoscunt, obedientiam præstare debere forumque seculare sortiri: quorsum & facit glossa in cap. solite, verb. suscipiunt, de* [illegible] *iorit. & obed. Canonistæ in c. Romana 1. debet de appell. in 6.* Philipp. [illegible] *n. 2.* Guid. Pap. *c. 72. num. 5.* ubi dicit, *quod licet Rex Clericum non possit in* [illegible] *punire, tamen in patrimonio quod Regi subest, eum mulctare potest.* per text. [illegible] *his. Cod. de Episc. & Cler.* Gail. *l. 1. de Pac. publ. c. 1. n* 8. Atq; hinc etiam Ecclesiastici ut Ordines Imperij, onera Imperij portant & collectas solvunt. Sixtin. [illegible] *regal. c. 14. num. 127.* Chassanæus *Catal. glor. mund. p. 5. consid. 24. num* [illegible] *Et consuet. Burgund. tit. de judic. num. 8.* Caval. *comm. opin. q. 415.* [illegible] *& 12.* homagium, ut alij Imperatoris Vasalli præstant, *c. si Ep*[illegible] *d. 18.* [illegible] *l. 1. c. 8. num. 8.* Alvar. Velasc. *consil. 1*[illegible] *num. 6. cons. 72. vol. 1.* Choppin [illegible] *dom. tit. 10. num. 9.* Conveniunt & conveniuntur in Camera. Gail. *obs.* [illegible] *obs. 37. num. 10.* Mynsing. *Cent. 5. num. 58.* Nititur quidem Marta probare *part. 4. de iurisdict. Cent. 1. cas. 16.* illud oriri ex approbatione Summi Pontificis [illegible] consuetudines feudales in certis capitibus ligant etiam Ecclesiasticos [illegible] id agit solida ratione. Rectius ad originem & naturam feudi, adeoque ad [illegible] statem Majestatemque constituentis referunt, quos allegat Marta & [illegible] tat, Curtius jun. *de feud. part. 1. quæst. 2. col. 2.* Intrigliolius *de feud. q. 14.* [illegible]

Baldus

Baldus *c. 1. n. 4. de controv. feud. apud pares termin.* Guerin. Pison. *in prælud. feud. in* §. an consuetudines feudales ligent Clericos. *co*[illegible]. *vers. huic argumento.* Gail. *pract. obs. l. 1. c. 37. num. num.* 4. Schrad. *tract. de feud. part. 1. quæst. 2. num. 2.* Apparet igitur, quam nullo fundamento nixa sit illa assertio, *Bona Ecclesiæ subjacent Ecclesiæ & Pontifici, cum exclusione Superioritatis Imperatoris in ditionibus imperij.*

Resp. 3. nondum inter Pontificios certum est, *cui competant bona Ecclesiæ ratione dominij.* Johannes de Parisiis *de Potest. Regia & Papali, c. 6. p.* 154. disputat illam quæstionem, & pronunciat; *Bona Ecclesiastica collata esse communitatibus Ecclesiarum, non personæ alicui singulari, nullam personam singularem habere proprietatem & dominium, sed solam communitatem: Personas autem singulares ut membra communitatis habere in ipsis jus utendi ad sustentationem secundum exigentiam & decentiam personæ suæ & status. Episcopum autem velut caput communitatis insuper habere administrationem & dispensationem bonorum omnium communitatis, appropriantem cuilibet, quod ei debetur, secundum debitam justitiæ proportionem, & pro communi bono collegij bona fide ut sibi videtur expedire. Sicque rem se habere in qualibet Ecclesia cathedrali. Sic communitatem universalis Ecclesiæ esse dominam omnium bonorum Ecclesiasticorum generaliter, Rom. autem Pontificem non esse dominum, sed generalem dispensatorem omnium generaliter bonorum Ecclesiasticorum, spiritualium & temporalium.* Refert adhuc eos, qui dicunt, *quod nulla persona alia a Papa; nec collegium, vel communitas habet jus & dominium in bonis Ecclesiasticis, sed solus Papa, qui non solum est administrator & dispensator universalis, sed verus Dominus & proprietarius bonorum Ecclesiæ, & de eis ordinare potest, prout vult, & quod reliqui Prælati non sunt vel etiam Principes & communitates non habent dominium, sed solum sunt talium bonorum procuratores, tutores & dispensatores.* Guilielm. Redoanus *tract. de reb. Eccles. non alienandis. q. 52. pag. 207. & seq.* eandem quæstionem tractat, & duas opiniones recenset, unam eorum, *qui dominium communitati, administrationem Prælatis tribuunt; alteram eorum qui Christo dominium bonorum Ecclesiasticorum assignant.* Francisc. Sarmientus Cancellariæ Reg. Vallisolet. & S. Palat. Apost. Auditor & utriusque Signaturæ Referendarius, *de redditib. Eccles. part. 1. c. 1. n.* 17. plures opiniones recenset. *Unam quorundam, de quibus glossa in* cap. expedit. caus. 12. quæst. 1. *qui dominium rerum Ecclesiasticarum penes pauperes esse dicebant. Alteram eorum, qui dominium adscribebant Ecclesiæ, qui tamen rursus in duas eunt sententias, dum alij universali Ecclesiæ, alij particulari vindicant. Tertiam eorum, qui dominium Christo assignant. Quartam eorum, qui dominium bonorum Ecclesiasticorum apud Clericos esse volunt, ut res universitatis sunt civium, sed non singulorum. Quintam eorum, qui dominium apud summum Pontificem esse judicant.* Ipse in eam concedit, quæ Iohanni de Parisiis etiam placuit. Mart. Navarrus ab Azpilcueta *Apolog. contra Sarmientum quæst. 1. monito 24. & seq.* post Majorem *in 4. dist. 25. quæst.* 16. contendit, ejusmodi omnia bona esse solius Christi, quoad dominium, non verò Ecclesiæ, cui sunt applicata. Quem demum refellit Sarmientus *in defens. part. 1. q.* 4. Sanè itaque nondum definitum est, penes quem sit dominium rerum ecclesiasticarum.

Bonorum Ecclesiæ [illegible]

Dissidium inter Navarrũ & Sarmientum exponitur.

Quis vetabit, quando adderet aliquis quinque opinionibus sextam, diceretque, *Supremum in terris imperii super bona Ecclesiæ dominium, summa Reipubl. utilitate urgente, esse penes Imperatorem, relicto interim subordinato dominio iis, ad quos jure id pertinet.* Nam, ut benè animadvertit Sarmientus [illegible] *illa, quæ habet, Ecclesiastica bona esse Dei, non tollit dominium utile, neque directum hominum: nam dominium Dei, qui est omnium Dominus, non tollit neque impedit dominium Petri. Sic dominium generale non tollit speciale. Imperator est Dominus orbis, & Rex Hispaniarum majoris partis ejus, quæ à Catholicis possidetur, non tamen impedit* [illegible] *partis meæ sim.* ut l. de precario ff. ad l. Rhod. de jactu. & per tot. de rei vendit. [illegible] *imo dominium generale non impedit dominium speciale. Nam etsi tu sis dominus* [illegible] *gregis possum ego esse dominus unius pecudis in illo grege* [illegible]. ut l. 1. §. fin. [illegible] ff. de rei vindic. *ubi* inquit Ulpianus: *Sed enim sufficie*[illegible] *licet singula capita nostra non sint, grex enim, non singula capita* [illegible] *etiam potest quis esse Dominus hæreditatis, alius vero* [illegible] *ta hæreditas vindicabitur.* ut in l. Et non tantum [illegible] ff. de petit. hæredit. [illegible] *pedit Dei dominium universale omnium rerum,* [illegible] *particularem, vel ejus Ministros dominium esse possit,* [illegible] *rei, quarum commercium est interdictum, & quæ in nullius bonis esse dicuntur, ut calices & alias res consecratas, de quibus loquitur textus* in §. sacræ Inst. de rerum divis. dicimus, & [illegible] *est, pertinere ad illam & illam Ecclesiam, quanto magis id de his rebus possimus* [illegible] *quarum non est commercium interdictum.*

Ludovicus Molina proponitur.

Lud. Molina *Tom. 1. de Iust. & Iure tract. 2. disput.* [illegible] *num. 6.* concedit [illegible] sententiam Johannis de Parisiis. *Num. 7. & seqq.* vero ad fundamentum [illegible] dum procedit, *cur scil. bona illa ultimo & supremæ potestati R. Pontif.* [illegible] *cendum sit?* Ait, *Bona illa particularibus Ecclesiis data esse* [illegible] *ut in illius cultum & honorem* [illegible] *necessitatem in Ecclesiam &* [illegible] *ea, quæ ad ipsam spectant, residere in Prælatis ac supremè, tanquam in* [illegible] *clesiæ universalis, a quo Clerici pendent, in summo Pontifice,* [illegible] *vait. Hinc esse, quod alienatio & dispositio bonorum Ecclesiasticorum eo ipso,* [illegible] *clesiæ bona facta sunt, non ad alios, quam ad Prælatos præcipueq. ad S. Pontif.* [illegible] *tanquam ad ministros & dispensatores eorum bonorum, spectet, aut ad eos,* [illegible] *horum præordinatione & statuto administratio* [illegible]. *Hinc etiam esse* [illegible] *los alios fines, quam quibus* [illegible] *destinata* [illegible] quilla de residentia potestatis Ecclesiasticæ [illegible] R. Pontifice [illegible] adhuc tota in controversia posita est, inprimis in Ecclesia Gallicana, in qua [illegible] dominantur hypotheses. 1. *Iurisdictionem Ecclesiasticam primario &* [illegible] *Ecclesiæ, Romano autem Pontifici atque aliis Episcopis ministerialiter, sicut facultas* [illegible] *di oculo, convenire.* 2. *Ecclesiam* [illegible] *non absoluta potestate regi.* [illegible] *potestatem decernendi & constituendi canones, toti Ecclesiæ, quæ est columna &* [illegible] *mentum veritatis, non uni & soli Pontifici competere.* 4. *Decretales &* [illegible] *tificum nequaquam obligare, nisi consulta, consentienteque Ecclesia universali* [illegible]

fuit

siam sumtam pro cœtu fidelium, unico & solo capite ac fundamento essentiali Christo Domino esse contentam, nihilominus in ratione exercitij atque executionis regiminis eiusdem reipublicæ Christianæ, a duobus, scilicet Pontifice & politico Principe differenter gubernari. Hæc & similia ex Sorbona Parisiensi diversis vicibus promanarunt, uti notum est. Concedit autem omninò Regi superioritatem, salvâ Ecclesiæ proprietate & dominio, in bona Ecclesiastica.

Resp. 4. *bona Ecclesiastica extincta*, hoc est, quæ non amplius possidentur à Clericis & Monachis, quorumque sive conventus, sive collegii non amplius superstites, cum nemo adsit, qui quod ea habet, seu tanquam jure sibi debita vindicare possit, ita esse comparata, ut eorum dispositio pertineat ad supremum Imperii caput, à quo illa in meliùs bonum Imperii ordinari possint, inter Pontificios adhuc disputari videtur. Latè istam quæstionem retexit Laymannus *in justa defensione pag. 240. ubi dicit, quod Monasteria, Prælatura & quæcunque beneficia vacantia ... aut sine ... potestate, cuicunque homini, aut hominum conventui seu congregationi conferri nequeant, apud Catholicos omnes extra controversiam esse.* Sed non probat id satis evidentibus fundamentis. Nam 1. quod dicit, *jura ac titulos monasteriorum, sacrorum collegiorum & quarumcunque Ecclesiarum aut beneficiorum obtineri non posse, nisi per Canonicam institutionem; Omnem autem collationem, institutionem aut incorporationem ejusmodi in Ecclesiasticis titulis ab Ecclesiastici Prælati autoritate per se atque intrinsece dependere*, responderi posset primò, non esse quæstionem, *an Imperator bona Ecclesiæ vacantia ita pro arbitratu suo ordinare & applicare queat ad promovendum bonum reipublicæ Christianæ, ut illis spiritualem titulum, vel Episcopatus, vel Sacerdotij affigat?* sed in genere tantum quæri *de potestate disponendi circa bona vacantia*: & posset deinde dici, distinguendum esse inter *designationem* & inter *consecrationem*. *Hanc* a Prælati Ecclesiastici potestate dependere. *Illam* nequaquam. Constat hoc innumeris antiquitatis documentis, quorum plurima Gratianus *dist. 63.* collegit. Unde saltem hoc constat, Gratiani seculo creditum fuisse in Ecclesia, dispositionem & designationem potestatis secularis in vacantibus beneficiis validam esse, & extra omnem reprehensionem positam. Sed & Walramus Numburgensis Episcopus *tract. de investitura Episc.* ex historia prolixè probat, *quod Episcopi Hispaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hungariæ ex antiqua institutione per Reges introierint, ac quod inthronisationes seu investituræ Episcoporum jure pertineant ad Reges & Principes, sub quorum dominio Episcopatus sunt.*

Quod 2. testimonia *Alexandri III.* & *Gregorij VII.* producit, significari ex adverso posset, illa esse prolata in media controversia & contradictione, quàm magnam fuisse illis temporibus, Henrico IV. & V. clavum Imperii tenentibus & inter Regalia sua illam potestatem instituendi Episcopos & Abbates computantibus. Ubi de Regalibus Imperatoris pronunciare, in facultate Romani Pontificis non fuerat. Quod autem Henricus V. tempore Calixti II. illud jus dimisit, nunc non amplius disquirimus, quibus ex causis, quibusque circumstantiis

De bonis ... *Quid Alex. & Greg. VII.*

stantiis factum sit, dicimus tantùm, illas læsiones à successoribus Fridericis revocatas esse, nec posse præjudicare juribus Imperii, quod supra ex Cusano didicimus. Quæ ex Lateranensibus, Lugdunensi & Tridentino Concilii adducuntur, non admodum obstant. Nam & recentiora sunt, & a Pontificibus decreta contra Regiam potestatem, unde neque passim recipiuntur: & inprimis quæ ex Tridentino proponuntur, per modum commonefactionis, non autem decreti concepta sunt, ne si per decreti formam vulgata essent, contradicentes offenderent: & de nostra causa non definiunt, hoc est, de jure Imperatoris in bona vacantia & extincta. Quod *Regum Hispaniæ & Galliæ jura* in Episcopatus ad concessionem Pontificis refert, in eo contradicentes habet & Gallos & Hispanos. Quod [illegible] commentis & fabulis habet, quæ extant apud Gratianum *d[illegible]* 6. adhuc [illegible] pendente, nec dum suum judicem sortita, versatur, & alibi [illegible]. Sed quicquid sit de hac Imperatoris potestate, in eo exercenda, donec legitimo Concilio (quod definit Johan. Gerson *Tom. 1. op. tract. de pot. eccles.* [illegible] *edit. Paris.* quod sit *congregatio legitima autoritate facta ad aliquem locum ex omni statu hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ, nulla fideli persona, quæ audiri requirat, exclusa, ad salubriter tractandum & ordinandum ea, quæ debitum regimen ejusdem Ecclesiæ in fide & moribus respiciunt*) res aliter determinetur, Imperator bona conscientia ad salutem Reipublicæ Christianæ procedere potest.

Pax religionis non alienat bona ecclesiastica ab Ecclesia.

Resp. 5. Imperatorem Rom. bona Ecclesiastica sanciendo pacem religionis non alienare, neque transferre ab Ecclesia. Non alienat, quia transigit cum possidentibus, qui sibi illa vindicaverant, nunquam illa Ecclesiæ detracturi, quibusque ille eadem eripere, sine incomparabili imperii & totius Ecclesiæ ruina non poterat. Permisit itaque & tradidit *libertatem possidentibus usurpandi eadem* ad Ecclesiæ commodū, à detinentibus prætensum, & apud Dei tribunal excusandum. Unde nec ab Ecclesia transtulit. Utrumque habetur in recessu Imperii de Anno [illegible] his verbis: Nach dem etliche Stände deß Reichs etliche Stiffte / Clöster und andere geistliche Güter eingezogen / und dieselbigen zu Kirchen / Schulen / [illegible] und andern Sachen angewendet / soll es in diesem Friedensstand [illegible] und eingezogen seyn / und bey der Verordnung / wie es ein jeder Stand [illegible] obberührten eingezogenen und allbereit verwendeten Gütern gemacht / [illegible] werden / und die Stände derenthalben weder in- noch ausserhalb Rechtens [illegible] erhaltung eines beständigen ewigen Friedens / nicht besprochen noch angefochten werden. Itaque Imperator non consistebat in puncto alienationis, aut translationis ab Ecclesia: sed in eo, *an bello* [illegible] *suscipiendo & eventu* [illegible] *dubio finiendo repetere bona Ecclesiæ velit ab illis, qui ea Ecclesiæ relinquere,* [illegible] *usurpata contendebant*: an verò majoris mali declinandi causa prosecutionem violentam omittere & permittere occupantibus occupata velit, ut cætera tranquille possideantur?

Casus necessitatis bonorum

Resp. 6. Si vel maxime alienatio aliqua respectu prætendentium Pontificum hoc loco intervenisset, illa excusaretur & cohonestaretur *necessitate* [illegible]

Valida

Validè enim fit alienatio rerum Ecclesiasticarũ ex causa necessitatis. Clement. I. ibi, *nisi necessitas, de reb. eccl. non al. c.1. in fin. cod. in 6. c. sicut Ecclesia. vers. fin. 12. q. 2. gl in summa 12. q. 1.* Butr. *in c.1. sub n. 9. vers. Opiniones suas. de in integr. rest.* Honor. ab Axel *Compend. Iur. Can. lib. 3. tit. 13. n. 6. p. 321* Quando fit ex causa necessitatis, *cap. hoc ius 10. quæst. 2.* tunc illi statur, quantumcunque habuerit exitum, dummodò sit utiliter cœpta. Archidiac. *in cap. sine except num. 5.* & ibi Geminian, *vers. gloss. pen. 12. q. 1. per legem. sed an altro §. 1. ff. de negot. gest. l. in pupillo ff. de solut.* Boich. *in cap. 1. n. 6. & 7. de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capit.* ubi & Innocent. & Ioan. Redoann. *de reb. Eccles. non alienand. rubr. 18* de causis, propter quas fiunt ter... alienationes & ... caus. necessitatis. Conf. Schneid. *Inst. de rer. divis. & acquir. rer. dom. ... § ... d. ... facere,* qui ... *Auth. hoc jus porrectum. & auth. præterea. C. de ... Eccles.* Barth. Fum. *Armill. Aur. V. Alienatio n. 9.* Bonacina ... Et quamvis ... ad firmam alienationis bonorum ecclesiasticorum consensus superioris & in insigni aliqua & notabili alienatione Romani Pontificis requiratur, tamen in casu necessitatis ille absolutè nõ requiritur. Navarr. *Comm. de alienat. rerum Eccles. num. 17.* Sylvester V. *Alienatio num. 2. & 13.* Jodoc. Lorich. V. *Alienatio in thes. Cath. num. 6.* Pertinent huc verba Johannis Gersonis *Tom. 1. de pot. Eccles. consid. 10. col. 128,* ubi loquitur de eo, *quando quis salva conscientiâ à generali dispositione legis recedere & ad præsens negotium eandem aliter interpretari potest. Iuris,* inquit, *interpretatio seu dispensatio, vel exceptio, vel quædam est inevitabilis necessitatis, potens cadere in quemlibet, dum certitudinaliter videt imminens periculum suum, nisi egerit contra generalia verba legis, quo casu est sine culpa apud Deum, quamvis dolere possit, quod incidit in hanc necessitatem.* Adde præsumi beneplacitum Pontificis Romani ex lapsu triginta annorum cum possessione rei alienatæ. Ita enim pronunciat Rota *divers. decis. 179. num. 1. part. 2.* Baldus *in l. 2. num. 3. C. de legit. hæred.* Roman. *in l. sciendum. sub num. 35. vers. mihi nulla harum. ff. de verb. oblig.* Jason *ibi num. 16. & seqq. & communiter Dd.* Guil. Redoan. *de reb. Eccles. non alienand. rubr. 3. cas. 8.* Cardinal. Seraphin *decis. 792.* plures cumulans, *& decis. 1042.* Speculat. *de emtion. & vendit. §. nunc dicendum. num. 5.* Gregor. *15. decis. 52. n. 2. & decis. 354. n. 54. & seqq.* quos citat & sequitur Axel *loc. cit. num. 16.*

ecclesiasticorum ab Ecclesia.

Gersonis de casu necessitatis sententia.

Resp. 7. de recuperatis restituendis eadem est ratio, respectu eius, quod publicè interest, quæ de occupatis permittendis. Eadem enim est necessitas boni publici & salutis universalis, quæ inevitabiliter dictat, recuperata restitui, quàm quæ primitus dictavit, ut occupata possessoribus & usurpatoribus permitterentur. Accusatio mutua est, Pontificiis spolium Protestantibus objicientibus, Protestantibus Pontificios, ob abusum bonorum Ecclesiasticorũ, multis confessionibus secularium & Ecclesiasticorum notorũ, accusantibus; utrisq; vindicationem bonorum eorunde querentibus, & ad Ecclesiæ salutem & Dei gloriam applicare eadem contendentibus. Inter has accusationes gliscunt immania pericula, quibus ad excidium præcipitatur Imperium Romanum & Christiana Respublica. Itaque de illis

Restitutio bonorũ recuperatorum salvâ cõscientiâ fieri potest.

de illis sistendis detinendisque consilia suscipi, extrema necessitas postulavit. Sistebantur primitus mutua permissione, & Pontifici spoponderunt, se Protestantibus bonorum Ecclesiasticorum applicationem ad constitutarum ab ipsis Ecclesiarum ædificationem permissuros, quæcunque sit de administrationis ratione & forma: & vicissim Protestantes Pontifici promiserunt tranquillam bonorum eorundem detentionem. Utrinque administratio, consequens permissionem, conscientiis possidentium relinquitur. Alias etiam interesse Principum & Ordinum Imperii, qui plerunque patroni [illegible] fundationibus bonorum Ecclesiasticorum, ut in usum [illegible] bonorum Ecclesiæ [illegible] tora inquirerent, jus habent. Habent enim [illegible], *ut dilapidatores* [illegible] *& dilapidatores Imperatori denuncient*, quemadmodum [illegible] allegato *cap.* [illegible] *lius 16. q. 7.* docet Panormitanus *in cap.* [illegible] Lambertus [illegible] *patronat. art. 12. quæst. princip. 2. lib. 1. num. 1.* Rob[illegible] *patron. tit. de opere quod habet Prælatus pro* [illegible] *cap. 4. in princ.* Nec tantùm ne redditus in [illegible] tempore fundationis deputati sunt, impedire possunt, [illegible] *de jure Patronat.* ubi Henr. Boich. *num. 11. &* Johan. de Anania *num.* [illegible] Speculator *tit. de Simonia, num. 5. cap. cum & plantare 3. §. 1. de privileg.* Panormitan. *in cap.* [illegible] *stum. de jure Patronat.* Conradinus *col.* [illegible] *part. 6. art. 4. quæst. 13. num.* [illegible] Sed etiam alienati malè, repetere. Glossa *cap.* [illegible] *in princ.* Lambertus *art.* [illegible] *quæst. princip. 2. num. 1.* Mugerus *de Advoc. cap. 10. num. 375. 386. 377.* Atqui [illegible] plurimas fundationes bonorum Ecclesiasticorum [illegible] reservari contra patronorum voluntatem, plurimas pessime conculcatas, Monasteria [illegible] Monachis concessa, in Canonicatus seculares permutata, mensæ Episcop[illegible] reditibus addicta, Abbatias opulentissimas Episcopatibus incorporatas, & [illegible] contra donantium legem mutationes admissas fuisse, [illegible] ex Trithemio [illegible] Bruschio Langio & aliis deducit [illegible] vier Clöster [illegible] & [illegible] Quicquid autem hoc sit [illegible] & Principes protestantes contra Ecclesiasticorum thesaurorum abusum [illegible] adversus Pontifices possent, permittetur illud [illegible] sanctione illa boni publici conservatrice, possessorum conscientiis [illegible] rationem hac de re reddituris. Atque in ea quidem possessione [illegible] occupatorum [illegible] bella, in quibus [illegible] pariunt [illegible], ut de [illegible] Apparet verò, his [illegible] non tranquillari [illegible] Christianam immensi sanguinis [illegible] Christiani nominis professi [illegible] populumque, inter Magi[illegible] penitus & omnem [illegible]

abjice-

abjicere. Has ad necessitates adacta Cæsaris & Ordinum conscientia, his extremitatibus occupata, meritò cogitabat, melius esse, si, intra certas leges, mutuo relinquerent postulata, conscientiis ipsis pactâ libertate, quàm si tot milliones animarum, in ista omnium legum conculcatione, & omnis conscientiæ neglectu, per continuata bella porrò ad inferos mitterentur, quot hactenus à crudelibus Ernestinis Asebianis consiliis illuc missa fuerunt. Interim in pace expediri posset, quis hæreticus sit, quis lupus, quis Antichristo propior? Neque tam severo & atroci animo sunt Cæsar & Ordines Pontificii erga Ordines Protestantes, eorumque subditos, ut omnes ad æterna supplicia & inferorum tormenta tradi judicent, cùm determinatæ libertati conscientiarum relinquuntur. Et hi vicissim ex Christiana libertate optimè de illis sperant, inprimis si Cardinalis Bellarmini secuti consilium, *propter incertitudinem justitiæ propriæ & periculum inanis gloriæ, quod tutissimum est, fiduciam totam in sola misericordia & benignitate Dei* (Christi utique merito infinito incluso) *ponant, tum quia nemo absque revelatione certò scire potest, se habere vera merita, aut in eis in finem usq; perseveraturum: tum quia nihil est facilius, quàm in hoc loco tentationis superbiam ex bonorum operum consideratione gigni.* Lib. 5. de Jústif. cap. 7. §. Sit tertia.

Conclusio IV.

Potestas Principis num valeat suspendere jurisdictionem fori interioris?

Ad 4. Jurisdictio *interioris fori* non est suspensa contra errantem religionem. Quomodo *exterior* suspendi potuerit, in respons. ad 2. jam satis explicatum est. Juri divino hac pace nihil derogatum esse, ex superioribus constat. Juri Ecclesiastico derogari posse, imò jus Ecclesiasticum positivum, ex consuetudinibus non rarò, & usurpationibus sive præsumtionibus controversiis ortum, saluti publicæ & Ecclesiæ cedere debere, ex deductis etiam liquet.

Potestas Principis num valeat suspendere jurisdictionem fori interioris?

Porisma I.

An necessitas aliquam Cæsari & Statibus Imperij potestatem extraordinariè circa ecclesiastica tribuat?

His in hunc modum expensis, facilè est expedire porismata, quæ Ernestus subnectit. I. *Nullam necessitatem Cæsari & Statibus potestatem religionis & Ecclesiæ tribuere:* quia *jura illarum pendent à jure divino, adeóq; Laicis qua Laicis competere non possunt, utpote incapacibus. Non magis quippe, quàm potestatem ordinis, potestatem religionis & Ecclesiæ tribuere aliquem posse Laicis.* Resp. duplex falsum committi, primò

Aliquā ne necessitas Cæsari & Statib. Imperij potestatē circa

ecclesiastica tribuat?

Ioh. Gersonis Cancellarij Paris. de pot. Ecclesiæ sententia.

primò, quod *omne jus religionis & Ecclesiæ, quod hodie Ecclesiastici sibi tribuunt, sit à jure divino*: deinde *quod potestas religionis & Ecclesiæ non magis sit Principibus communicabilis, quàm potestas ordinis.* Aliter sanè olim in Gallia à Sorbona Parisiensis Academiæ judicatum fuisse, testis est Johan. Gerson *loc. cit. consid.4.* ubi deducit, 1. *quid sit potestas jurisdictionis in foro exteriori, quam à jurisdictione in foro interiori* (quam vocat potestatem non propriè coercitivam, sed magis spontaneam, super corpus Christi mysticum, illuminando & perficiendo ipsum per doctrinam & sacramentorũ administrationem, & purgando per baptismi & pœnitentiæ sacramenta) *secernit, scilicet quod sit potestas coërcitiva, quæ valet exerceri in alterum etiam invitum ad dirigendum subditos, in finem beatitudinis æternæ, velut in finem proximum & principaliter intentum.* 2. *Quod sit duplex, temporalis & spiritualis. Temporalis exercetur secundum leges civiles ad finem quietæ conversationis humanæ pro hac vita. Spiritualis autem exercetur secundum leges Canonicas, ad finem principalem æternæ beatitudinis consequendæ.* 3. *Quod potestas hæc jurisdictionis ecclesiasticæ adeò vicina sit jurisdictioni seculari & politicæ, ut laicis, imò mulieribus plerunque, & in multis casibus, communicari possit executio vel committi.* 4. *Quod hanc potestatem Christus contulerit Matthæi 18. dum dicit Petro vice omnium, Si peccaverit &c. quo in loco fundatur juridica potestas excommunicandi, vel interdicendi ab Ecclesiasticis sacramentis & communione fidelium rebelles & inobedientes Ecclesiæ.* 5. *Quod hic absque omni calumnia ponibili fundetur plenitudo potestatis gladii spiritualis & executio ejus in Ecclesia super quemlibet Christianum, qui est frater noster, etsi Papa fuerit: neque accipiendum, Dic Ecclesiæ, hoc est, Papæ, quoniam Christus Petro loquebatur, qui non dixisset sibi ipsi &c. quod etiam ibi fundatur potestas definiendi, determinandi, statuendi, decernendi, constituendi præcepta, leges & canones, procedendi denique contra non obedientes, usque ad excommunicationem exclusivè, imò & secundum canones nunc institutos, usque ad invocationem brachij secularis.* 6. *Si potestas prædicta Ecclesiæ data, quod Concilium generale repræsentans Ecclesiam habeat illam; quodque claves quidem sint datæ Petro, principalius tamen Ecclesiæ* I. *ratione* indeviabilitatis, *quia portæ inferni non prævalebunt adversus eam.* II. *ratione* regulabilitatis, *quia habet regulare usum potestatis Papalis, non sic è converso.* III. *ratione* multiplicitatis, *quoniam Ecclesia continet potestatem quandam Ecclesiasticam & Papalem, non sic Papa, præsertim in extensione.* IV. *ratione* obligabilitatis, *quia Ecclesia potest condere leges obligantes & regulares, etiam ipsum Papam, tam quoad personam, quam respectu usus potestatis. Non sic è contra potest Papa judicare totam Ecclesiam, vel usum potestatis suæ limitare: imò si Papa condat leges & canones, videtur observandum id, quod sententialiter dicit Augustinus:* Leges instituuntur, cùm promulgantur: firmantur autem, cùm moribus utentium approbantur. *Hoc enim dicitur ad reprimendam præsumtionem quorundam summorum Pontificum, vel eis adulantium, qui videntur voluisse debere servari pro regula immutabili de Papa, respectu cujuslibet provinciæ vel totius Ecclesiæ; quod placuit Principi, legis habet rigorem, quasi nullum superesset examen supremum.* 7. *Quod potestati huic Ecclesiasticæ addita sit pro inobedientium*

dientium coërcitione pœnalis excommunicatio. Et quod sint, qui putant, pœnam hanc esse ultimam, quam infligere possit ecclesiastica potestas jurisdictionis ex institutione Christi sola primaria, sic quod non extendatur ad incarcerationem, nec ut aliquis adjudicetur morti vel flagello corporali, sed quod hoc Ecclesiasticus faciat, dum facit ex concessione Principum, quemadmodum multam ob eorum devotionem jurisdictionis temporalis autoritatem Clerus accepit, *quæ nihilominus iurisdictio vel censura dicitur spiritualis, sicut & Ecclesiasticorum bona temporalia propter dedicationem & applicationem ad eos, qui ministrant Ecclesiæ, sicut panes propositionis, primitiæ & decimæ, vasa insuper templi, vestes & similia, dicebantur in lege veteri sacra, sic & nova lex hoc retinet.* 8. *Quod Ecclesiastica censura, quam Christus contulit & promulgari voluit Matth.* 18. consequenter post dotationem Ecclesiæ in bonis temporalibus applicata est ad defensionem coërcitivam volentium vendicare sibi vel impedire temporalitatem *huiusmodi, per excommunicationes videlicet & interdicta, quæ pœna vel censura videtur primitus instituta contra pertinaces schismaticos & hæreticos & alios incorrigibiles vitiosos: cui legi tanquam divinæ & naturali Papa subiicitur, sicut & frater est potens delinquere.* Hæc Gersonis de potestate jurisdictionis Ecclesiasticæ in foro exteriori sententia, quæ plurimos illius temporis in Ecclesia Catholica habuit suffragatores, disertè *primum* negat, omne jus potestatis Ecclesiasticæ ex jure divino esse, cùm multa sint post dotationem Ecclesiæ in bonis Ecclesiasticis ex concessione Principum piorum. *Deinde* manifestum discrimen aperit, inter potestatem ordinis & jurisdictionis, ob quod nefas sit concludere, cui communicari nequeat potestas ordinis, eidem neque potestatem jurisdictionis exterioris posse communicari. Quia illa scilicet merè spiritualis est; hæc autem seculari & temporali multum affinis, & insuper ex concessione Principum devotorum multam accessionem nacta est.

Porisma II.

An Episcopis fas jusque competierit ad transactionem religiosam?

Subnectit II. *neque Episcopis aliquod ius competiisse; tum quia in Comitiis non exercent potestatem Episcopalem, sed politicam, quam habent ut Principes: tum quia nec habent ius dispensandi, nec renunciandi; non prius, quia non possunt dispensare in legibus superiorum, Dei videlicet, Ecclesiæ & Pontificum: non posterius, quia iuri publico nemo renuntiare potest, iuxta reg.* 45. π. de Reg. Jur. *Privatorum conventio iuri publico non derogat. Quod eò verius est de Iure divino & ecclesiastico, quàm de civili, quò illud est altioris & arctioris ordinis. Vnde infert: Quare erravit Ferdinandus I. si existimavit, ut aliqui scribunt, in sancienda pace Religionis, conscientiam suam exonerari posse per consensum Episcoporum.* Resp. I. omninò etiam ut Episcopos transactioni pacis religiosæ & constituendæ salutis publicæ interfuisse. Nam sub ea *Episcopi S. R. I. etiam ut Episcopi paci Relig. consense- runt.*

ratione peculiariter in actionibus deliberationibuſque comitialibus conſulti fuerunt, & quamdiu in contradictione ſubſtiterunt, ex conſideratione muneris ſui Epiſcopalis, rationes & difficultates objecerunt. Et olim peculiari providentiâ in ſeptemvirale collegiũ Archiepiſcopos, in Senatum autem Imperii Abbates, Epiſcopos & Archiepiſcopos delectos fuiſſe, tradunt ex antiquitate Cluten *in Sylloge R.Q.thes.23.lit.ſ.* Arumæus *ad A.B.diſcurſ.3. theſ.8.pag.125.* Adde Lupoldum de Bapenburg. *de zelo vet. Princip. Germ. in Eccleſ.cap.* 10. Etiamſi igitur igitur non exerceant poteſtatem Epiſcopalem propriam & Diœceſes ſuas Epiſcopales attinentem, tamen quia ſimul in vinculo & unione partim ad cæteros Epiſcopos, partim ad Germanicam Eccleſiam, partim ad totum Imperii corpus verſantur, communem illam ſuam poteſtatem, quo ad ſalutem & egregium publicum, meritò exercent in Comitiis II. Non eſſe *diſpenſatum contra leges Dei & Eccleſiæ, niſi quatenus hoc leges neceſſitatis à Deo immiſſi, & ſalus Eccleſiæ permittunt.* De permiſſione ſuprà copioſè actum eſt. Legibus divinis, quemadmodum eas exequi

Imperium R. poteſt contra jus publicum. Deus voluit, nihil hac pace detrahi, etiam indicatum eſt. III. Juri publico neminem ſcilicet *privatum* renuntiare poſſe, vult regula juris 45. Univerſitatem autem & Imperatorem atque Ordines Imperii, qui univerſitati præſunt, & juris publici præſtites ſunt, ſtatuere poſſe contra jus publicum, jam olim docuit Philippus Decius *de Regul. Iur.27. Nec ex prætorio.* IV. Quomodo ex conſenſu

Qualiter Ferdinandus I. reſpicere debuerit Epiſcopos. Epiſcoporum Ferdinandus I. ſuam conſcientiam exonerare nequiverit non liquet. Nam Epiſcopos ſpectavit ut Deos, Angelos, & ſtellas, ſicut appellat Garcia *de Nobilit.gl.*48. §.3. *num.55.* Agia *de exhibend. auxil.3. fundam.* ut oculos Dei, *juxta cap. Vos 6. quæſt.1. C. accuſatio. verſ. qui vos tangit.2. quæſt.7.* Geminian. *cap.ult. de ſentent. & rei iudic.* Troilus Malvet. *de oblat. part.4. num.3.* Graffis *l. 3. cap.2. num.1.* Zerola *part. 2. V. Epiſ opus. num.13.* Lancellottus *in Templ. Iud. lib. 2. cap.5 num.6.* ut thronos Dei, *juxta Concil. Tolet. 11. cap.5.* Fileſac. *de ſacr. Epiſcop. Auth. cap.1. §.2. ſ.3.* ut fundamenta Eccleſiæ, *cap. Fundamenta, de Elect. lib.6.* Siculus *de præſtant. part.1. baſil. 1. num. 9.* Raudeus *de diſpenſ. in proœm.* Joh. Monach. *in 6. Decretal. num.4. V. Bonifacium.* 8. Agia *lib.1.* Garzia *lib. c.* ut Scutum fidei, juxta Philip. Diazium *in Marial. fol.* 194. ut Vaſa fidei, in quibus Catholica fides ſervatur, juxta Lopez. *in l.1. tit.5. part.* 1. ut Lapides ſanctuarii, Agia *l.c.* ut Columnas Eccleſiæ, *cap. Canonica 3. quæſt. 5. cap. accuſatio 2 quæſt. 7. Clement. ſi quis tradente* §. *Neq; ſuper. de pœnit.* & ibi Panormitan. *num.26. 27.* Geminian. *cap. ſin. de ſent. & re iud. lib. 6. num.9.* Vitalinus *in d. Clement. 1. de pœnis. num.8.* Siculus *de præſtant. part.1. baſil.1 num. 9.* Abbas *in quæſt. 1. incipit Epiſcopus. num.11.* Agia & Fileſac. *l.cit.* Lancellott. *lib.1.* Redoan. *de Simonia part.1. Tom.2. cap. 24. num.2.* ut Patres Eccleſiæ, juxta Biaxium *in director. part. 3. cap. 49.* Garziam *de Nobilit. gloſſ.* 48. §. 3. *num. 55.* Montalvum *lib.1. tit.5. part.1.* ut clariſſima mundi luminaria, Fileſac. *l.cit.* De quibus & aliis titulis Epiſcoporum vide Mauritium de Alzedo Cantabrum *de præcellentia Epiſcopal. dignitatis, cap.19. &c.* Ad hæc Ferdinandus I. de Epiſcopis tanquam conſcientiæ Rectoribus, & Juris Eccleſiaſtici con-

ſervato-

ſervatoribus non poterat præſumere, quod aliquid admiſſuri eſſent contrarium Deo, libertati Eccleſiaſticæ, & Superiorum juribus. Nemo enim præſumitur facere contra conſcientiam; quilibet præſumitur eſſe religioſus *l. fin. C. ad l. Iul. repet.* Angel. *l. ſciendum in antipen. col. π. de V. O.* nemo præſumitur mutaſſe conſtituta. Præſumitur quis durare in ea voluntate, in qua fuit. Alciat. *de præſ. reg. 2. præſ. 1. & 16.* Præſumtio ſemper fit in meliorem partem: præſumtio delicti nunquam capitur: quilibet præſumitur bonus, idoneus, memor ſalutis æternæ; ſponte, non ex metu agens. Alciatus *reg. 3. præſ. 1. 2. 3. 4. 6.* pro decreto ſeu conſenſu in aliquod decretum aut decernendum præſumitur, quod ex juſta & vera cauſa factus ſit. Alc. *l. c. præſ. 10.* Habuit, ut ſupra monuimus. Ferdinandus I. & Germaniæ Epiſcopos in Senatu imperii præſentes velut Ordines Imp. & Conſiliarios, nec deerant Hiſpaniæ Epiſcopi & Theologi, ſed & ex Belgio magnus erat Præſulum numerus. Quis credat, hos iſtas difficultates de jure diſpenſandi vel renunciandi non animadvertiſſe aut ſi alicuius momenti in tanto negotio fuiſſent, non indicaturos fuiſſe Cæſari? quis præſumat contra conſenſum Papæ tot eius nutritios feciſſe?

Poriſma III.

An in neceſſitate paciſci ſine Papa licuerit?



Subnectit III. *Si quicquam hæreticis pacis cauſa licitè concedi poſſet, ſine facultate aut ratihabitione Pontificis id fieri non debere, quia is eſt ſupremus iurium Eccleſiæ & religionis arbiter. Neque iniurioſum ſibi debere reputare Imperialem & Regiam dignitatem, ſi ſuper hoc Apoſtolico judicio ſe committat, ut ait Innocentius III. cap. Novit, de judiciis. Et mirum eſſe, pro facultate collectandi Eccleſiaſticos, aut alienandi prædium Eccleſiæ ad Pontificem recurri: integros verò Epiſcopatus, Eccleſias, Monaſteria abſque conſenſu Sedis Apoſtolicæ hæreticis concedi vel reſtitui. Hoc eſſe excoriare culices & glutire camelos.* Reſp. de conſenſus Pontificij vel neceſſitate vel obtentione, jam ſupradictum eſt. Ad Innocentij III. poſtulatum, de quo vide P. Æmilium in Philippo Aug. pag. 125. id dicimus, quod Joh. Major Theologus Pariſienſis *in Comment. ſup. Matth. 18. p. 68. col. 3. ed. Ioh. Granion. A. 1518.* ad ſimilia allegata dicit: *Reſpondet*, inquit, Johan. Gerſon *Doctor vocatus Chriſtianiſſimus, loquendo contra errores Petri de Luna: quod jura Pontificum Roman. ſunt reverenter gloſſanda & interpretanda conformiter ad legem divinam, aliàs non merentur dici jura. quod ſi quis contendere velit, illa eſſe vera, ut jacent, ait, cum libertate Eccleſiæ huic jura negabimus &c.* Bene autem facit Erneſtus, quod petitionem facultatis collectandi Eccleſiaſticos à Pontifice, cum petitione poteſtatis permittendi bona Eccleſiaſtica diverſæ religionis Ordinibus ab eodem, confert. Nam & in petitione facultatis collectandi Clericos non ſemper neceſſe eſt ad Pontificem penetrari, aut ab eo poſtulari licentiam. Nam & hic obtinet, quod ſicut neceſſitas non habet legem, *l. ut gradatim. §. 1. π. de muner. & honor. C. quanto, extra in fin. de conſuetud. cap. ad*

Innocent. III. non obligat Imperatorum & Status ad conſulendum Papam in omnibus.

Sicut collectatio Eccleſiaſticorum poteſt fieri ſine conſenſu Pontificis, certo caſu,

sic & cessio bonorũ Ecclesiasticorum. limina 30. *quæst.* 1. *c. remißionem* 1. *quæst.* 1. *c. mutationes* 7. *quæst.* 1. *c. quod nec est. extra de R. I. c. Consilium, extra de observ. jeiun. C. Exiit.* §. *profecto, extra de V. S.* ita & privilegia, quæ species legis sunt, tempore necessitatis silent. *l. pro tyronibus. C. de privil. dom. Aug.* Ruland *consil.* 80. *num.* 2. *vol.* 3. M. Anton. Natta *cons.* 63. *vol.* 1. *num.* 5. Et tempore necessitatis omittitur pia causa quantumcunque etiam privilegiata, Riminaldus *Cons.* 57. *num.* 41. August. Boër. *consil.* 3. *num.* 23. Inter tales necessitates etiam illa est, quam bellum creat, quæ ne Ecclesiasticos quidem immunes esse sinunt. Bartol. *l. nullus. C. de curs. publ.* Ancharan. *cons.* 169. Barbat. *cons.* 1. *vol.* 3. & est communis opinio. Albert. *cons.* 1. *n.* 9. Cephal. *cons.* 58. *n.* 44. tollitur enim omnis immunitas, ubi necessitas ingruit. Speculator *tit. de censib.* §. *nunc dicendum.* Baldus *in l. jubemus. Cod. de SS. Eccles.* Tiraquell. *de nobilit.* 1. *c.* 30. *num.* 169. Sed & tempore necessitatis omnia communicantur. *l.* 2. *π. ad l. Rhodiam de jact. arg. c.* 3. *extr. de furt. c.* 26. *dist.* 5. *de consecr. c. sicut. d.* 47. Bartol. *in l. Pro locis. Cod. de annon. & tribut.* Schurf. *cons.* 44. *num.* 6. Quod autem consensus & autoritas Rom. Pontificis ad solutionem collectarum ab Ecclesia vel Clericis solvendarum accedere debet, id de Jure Can. verum est, in illis tributis, quæ extra necessitatem imponuntur. Si enim in casu necessitatis imponuntur, & periculum est in mora, Pontifex non est consulendus. Angelus V. *Immunitas n.* 37. Lucas de Penna *l.* 2. *à quib. muner. liceat se excus. num.* 2. Schurff. *cons.* 44. *num.* 19. Et ita sumus extra casum *c. Adversus, de immu. Eccles. in* 6. & ita sentit quoque Jason & Bartolus *ibi allegati.* Proinde rectè expeditur tempore necessitatis sine consensu, ad quod aliàs requiritur. Jason *ad l. si ex tota.* §. 18. *π. de legat.* 1. *& in l. principalibus, π. si certum petat.* Felinus *in c. querelam de jureiurand. num.* 11. Et sic quidem de Jure Canonico. Eius verò in rebus ad conservationem imperij pertinentibus nulla est obligatio. Jure enim civili ad Pontificis consensum in negotio collectandi non recurritur, sed consensu Imperatoris & Ordinum indicuntur contributiones. Sed de hac materia vide latè disputata in resp. facultat. jurid. Marp. annex. dem Rechtlichen Bedencken von Anlag/ Contributionen &c. D. Rövenstruncks *num.* 40. *& seqq. & Vol.* 1. *Consil. Argentinens. cons.* 12. *n.* 40. *& seqq.* Quod itaque consensus R. Pontificis in casu, ubi collectandi sunt Clerici, requiritur, nec necessitatis est, sed comis observantiæ ab illis præstitæ, qui Rom. Pontificem pro capite Ecclesiæ in spiritualibus agnoscunt, & amore tranquillitatis, & vitandæ calumniæ, justitiæque repræsentandæ causa, neque in casu necessitatis extremæ, observatur. Proinde sicut hoc casu Imperatores & Ordines, sese habent erga R. Pontificem, ita etiam in casu cedendorum permittendorumq; integrorum Episcopatuum &c. sese exhibere possunt. Et tanto quidem magis, quantò major est circa hæc, quam illa, difficultas, quantòque minor est retinendi sive spes sive facultas. Cum nec ipsa bona servando servari posse videantur, prudentibus id rationibus clarè remonstrantibus, & sub conatu servandi bonum universi incomparabiliter periclitetur. Vide sup. p. 54. not. 3. & p. 70. resp. ad 6.

QUÆST. VI.

Ad Rationem V.

An pax ejusmodi repugnet officio & obligationi Cæsaris Statuumque Catholicorum, maximè Episcoporum?

Ita statuit Ernestus, dum ait: *Ex officio & juramento Supremi advocati Ecclesiæ, Cæsar tenetur religionem Catholicam, jura item Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ, pro virili defendere & promovere, scelera verò, maximè hæresin, punire & tollere. Idem incumbit omnibus Statibus Catholicis ex jure divino, maximè Episcopis, qui oves Christi pascere, errantes reducere, luposque arcere debent, & peculiari juramento Pontifici & Ecclesiæ obstricti sunt. Hæresin verò perpetuam, & inconditionatam impunitatem, paremque cum religione Cathol. defensionem spondere, & vi talis pacti tam directè quam indirectè cooperari in creatoris injuriam & perditionem animarum, sunt talia, quæ illi officio & juramento repugnant, & tamen in pace, qualis postulatur à Protestantibus, continentur.* Deinde *recitat juramentum ex Pontificali, quo Imperator jurat, Deo & B. Petro, se de cætero protectorem & defensorem fore summi Pontificis & S. Rom. Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus & utilitatibus ejus: custodiendo & conservando possessiones ejus, honores ac jura, ac jus, quantum divino fultus adiutorio poterit secundum scire ac posse suum, rectâ & purâ fide.* Episcopi in consecratione jurant, *se jura & autoritatem R. Ecclesiæ & Pontificis conservare, defendere, promovere velle. Neque futuros in consilio, seu facto, seu tractatu, in quibus contra Pontificem vel Ecclesiam R. aliqua sinistra seu præjudicialia machinentur: hæreticos, schismaticos & rebelles pro posse persecuturos: possessiones ad mensam suam pertinentes nullo modo alienaturos.* Hinc subjicit: *In formula Pacis religionis ad contraria se obligare Imperatorem & Episcopos.*

Possemus ad illam quintam rationem Pontificiorum respondere, quod in simili casu respondent Canonistæ. *Iuramentum cadens supra propositũ vel promissionem habentem tacitam conditionem ex intentione jurantis vel ex dispositione juris, vel ex consuetudine jam recepta, eo modo explicandum est, quo explicatur & obligat ipsa promissio. Hinc sequitur, eum, qui cum juramento promisit nuptias Beatæ diviti, sanæ, virgini, bonæ famæ &c. quæ post promissionem incidit in infirmitatem, vel in paupertatem, vel in fornicationem, non teneri stare juramento, nec teneri eam vi juramenti ducere.* Sic Boncina *Tom.* 2. *fol.* 305. *num.* 4. & ex eo in compend. Anton. Goffar. *pag.* 391. Sic & Sylvester *v. Iuramentum* 3. Sanè cum antiquitus juramento sese obstrinxissent Romanæ sedi, & Ecclesiæ Pontificique Imperatores, alia erat conditio eius. Agit de antiquitate juramenti Advocatiæ Ecclesiasticæ sæpè laudatus D. Magerus *l. c. c.* 5. §. 85. & *seqq.* & refert, Andr. Knichen eius originem referre ad Caroli M. tempora. *Iuramentum supponit objectũ sincerum & integrum.*

Is lon-

Is longè altius arcessit, & *num.* 143. ita loquitur: *Quod ad Imperatorum de Ecclesia & religione Christiana defendenda jusjurandum attinet, dubium non est, ejusmodi jurandi consuetudinem apud Christianos Imperatores in usu continuo permansisse. Hinc non abs re Dn. Sigismundus Selden Imp. Vicecancellarius* in Conf. de Cæsarum & Paparum potestate part. 3. & 4. *meminit, Constantini M. & aliorum Constantinopolitanorum Impp. temporibus, cum Ecclesia Romana bonis temporalibus non admodum esset aucta, & Pontifices debita observantiæ cultu Imperatores prosequebantur, illi vero ultrò fidem Christianam defenderent, optimum ubivis in orbe Christiano rerum omnium fuisse statum, & negotia fidei optime processisse, quod & Petrus Ancharanus* in Clement. Unica, de Jurejur. notab. 17. *testatur. Nominatim autem post Imperatores Orientales tale juramentum pro defensione Ecclesiæ Apostolicæ Leoni III. Papæ Carolum M. in coronatione An. 800. præstitisse, historici testantur, cujus tenor apud Spondan. in epit. Annal. Eccles. Baron. d. anno num.* 3. *& Goldast.* Constit. Imper. Tom. 2. p. 5. *extat. Otthonem Imperat. Iohanni Papæ jurasse, Goldast.* d. l. 43. *refert.* Quicquid sit de dissidio Knichenij & *Mageri*, quod de antiquitate Advocatiæ Ecclesiasticæ invicem agitant, illud profectò planè liquet, etiam circa Caroli M. tempore illas in universam Ecclesiam, & Episcopatus in eadem efflorescentes prætensiones non habuisse Pontificem Rom. quas nunc habet, & multum etiam degenerasse ejus & Romanæ Ecclesiæ statum à simplicitate temporibus Carolinis adhuc apparente. Erat tum Beata adhuc in multis sana, Virgo, bonæque famæ. Sed nunc incidit in infirmitatem & fornicationem, de qua Cæsarum, Regum, Episcoporum & plurimorum Doctorum in parodomo querelæ sunt memoratæ. Ex hoc facto sequeretur, non teneri Imperatorum detecta illa conditione, & si aliter fieri nequeat, nec restitutio ad priorem conditionem sit speranda, prospiciendum esse, quomodo utcunque Christianæ rei consulatur potius, quam ut in illis querelis hærens Pontifex Rom. rigorosè defendatur. Sanè hanc sedisse Carolo V. Imp. in animo sententiam, haut obscurum est. Unde nonnunquam contra Pontificem processit satis acriter. Recenset Dn. D. Magerus *num.* 108. inter causas Advocatorum Ecclesiis datorum, *malam bonorum Ecclesiasticorum administrationem. Secundam, inquit, constituendi Advocatos causam præbuit, quod Episcopi & Abbates interdum bona Ecclesiastica malè administrarent ac dissiparent. Quemadmodum enim propter malam administrationem Prælati, beneficium non vacans ad manus suas Domini temporales reducere possunt:* Tessaur. *decis.* 131. *num.* 11. & Judex Laicus, administrando justitiam ac dissipationem bonorum Ecclesiæ inhibendo, negligentiam Ecclesiastici judicis supplere potest: D. Menoch. *Retin. possess. remed.* 3. *num.* 336. & Johan. Andr. *cap.* 2. *de reb. Eccles. non alienand. in* 6. sic etiam ob malam Abbatum & Prælatorum administrationem Advocatos bonos & industrios dari necessitas suasit. Taliter Advocatum sese Rom. Ecclesiæ curiæque præbere voluit Imperator cordatissimus. Unde reformationem ursit, abusus tolli voluit, prætensiones illicitas repressit, vetera Imperatorum jura produxit &c. Huc & digitum

D.Sig.Selden.Sed de his jam non agimus.Supponamus,constantem esse animum, in observando Advocatiæ juramento & defendendis juribus Rom.Pontificibus & Ecclesiæ, penes Imperatores. Dicimus itaque pro

Conclusione I.

I. *Iuramentum advocatiæ non aliter Rom. Ecclesiæ & Pontificis defensionem postulare, quam antiquissimo more, etiam non recepto juramento, usitata fuerat.* Sanè Imperatoribus ipso jure, absque ullius jurisjurandi religione, tutelam atque defensionem Ecclesiarum, inprimis Romanæ, sedisque Apostolicæ ex officio incumbere, deducit D. Magerus *num.* 144. *& seqq. ex l.* 1. 3. 9. 10. *& tot. tit. Cod. de summa Trinit. & c. Clerici, extra de Iure patron. cap. convenio.* §. *penult. v. Bonus Imperator auxilium quærit Ecclesia.* 23. *quæst.* 8. *text. in Clement. unic. vers. ipsius Ecclesiæ debent esse promtissimi defensores, de jurejur. & in constitut. Frider. Imp. de pace tenenda, & eius violat. in princ. ibi:* Ecclesias sive Ecclesiasticas personas sublimare & ab incursu & invasione quorumlibet defensare intendentes. Addit, *id fieri debere tanta cum obligatione, ut Papa Imperatores, Ecclesiam non defendentes, excommunicare possit, per tradita ab Hieron. de Cavallos* Specul. Comm. Opin. Tom. 4. quæst. 897. num. 304. *Card. Tusch.* pract. conclus. tom. 4. concl. 335. n. 10. *Imò & deponere, ut voluit Restaur. Castald.* de Imperat. *quæst.* 8. Guido Pancirol. *cons.* 119. *num.* 32. Petr. *de fidei commiss. quæst.* 12. *num.* 282. Johan. de Montaigne *tract. de Parlament. num.* 16. quod *tamen alios Electoribus, penes quos electio Imperatoris est, rectius tribuere, asserit.* Notat, *ipsos Imperatores illo titulo, quo* Advocati, Defensores, Patroni Ecclesiæ *dicuntur, gavisos fuisse.* Justinianum *in l.* 1. *C. de offic. præf. prætor. Afric.* servum Ecclesiæ se vocare, *& Novell.* 3. *in fin.* non minorem sibi horum, quæ sanctissimis Ecclesiis prosunt, quam animæ suæ sibi curam esse profiteri Carolum M. *in rescript. de non adorand. imagin. contra Synod. Patr. Græciæ in Concil. Francofurt. An.* 791. *dato & à Goldasto Const. Imper. Tom.* 2. *relato,* sic rescribere. *Quoniam Ecclesiæ in sinu regni gubernacula Deo tribuente suscepimus, necesse est, ut in eius defensione ob exaltationem eius, Christo auxiliante, toto annisu certemus, ut ab eo boni servi & fideles censeri valeamus.* Albertum I. Rudolphi I. filium testari *in diplom. quod Baron. Tom. X. Annal. A.* 996. *habet:* Imperatores *assumi, ut S. Romanæ Ecclesiæ Advocati, Catholicæ fidei ac ejusdem Ecclesiæ sint præcipui defensores.* & Fridericum I. *in Epist. A. Chr.* 1159. *ad Anti Papam & Cardinales, qua eosdem ad Concil. Papiense invitat, asseverare; Cum omnibus Ecclesiis in Imperio Rom. debeat patrocinari, sacrosanctæ R. Ecclesiæ tanto propensius se debere providere, quantò ipsius curam & defensionem à divina providentia sibi specialius commissam esse crederet.* Sigismundi Imp. ad Carolum Franciæ Regem A. 1413. *in epistola ad Concilium Constantiense invitante, hæc esse verba: Maximo desiderio jam dudum tenebamur, ut diebus nostris videre possemus unicam Christi sponsam Catholicam Ecclesiam feliciter reformatam. Postea verò cum ad imperialia gubernacula fuissemus assumti, id, quod erat nobis in desiderio, transivit in præceptum, cum teneamur sanctam matrem Ecclesiam per imperiale officium tueri, cuius*

Iuramentum Imp. nō amplius obligat Pontifici, quā obligabat, cū nondum jurare nos fuerat.

etiam Canones sanctorum Patrum nos appellant Advocatum & Defensorem &c. In hoc igitur antiquo erga Ecclesiam affectu Imperatores perstiterunt etiam, cum jurato confirmare cœpissent obligationem suam ad officium Advocatiæ. Atqui olim & antiquissimis temporibus ita patrocinium præstiterunt Rom. Ecclesiæ, ut jus reformandi, animadvertendiq; in hæreticos sibi reservaverint, neq; ad solum nutum Pontificis Rom. omnia executi fuerint, neque unquam constanter permiserint, modum & limites defensionis sibi ab ipsis Pontificibus præscribi. Quam in rem multa applicari possint ex disputatione, quam proponit Dn. Magerus *c. 9. de Advoc. à num. 145. an sc. juramentum, quod Papæ præstat Imperator, sit fidelitatis & homagij, an verò tantum protectionis & defensionis?* ubi *num.* 230. concludit: *quamvis non ignoret, plerosque Theologos & multos etiam Canonistas in ea esse opinione, quod juramentum per Imperatores & reges summo Pontifici exhiberi solitum sit propriè dictum fidelitatis, sibi tamen in hac controversia Antonij de Rosollis* tractat. de potest. Imperat. & Papæ, part. 1. c. fin. per tot. *ob Dei tantum reverentiam & naturali jure, ut Ecclesiam, Pontificem & Clerum tueatur, ad juramentum reverentia & natura, non fidelitatis, Cæsarem adstringi, statuentis, placere sententiam, tum quod nec extorqueri tale juramentum possit, tum quod præstitum, fidelitatis dici haud debeat, per rationes d. l. ab ipso adductas: vel etiam Lupoldi de Bebenburg* de Jure, regni cap. 9. *juramentum hoc fidelitatis, h.e. fidelis tantum defensionis Ecclesiæ per Imperatorem, ut Advocatum faciendæ judicantis, opinionem se amplecti, quam interpretationem post Cujacium* 2. F. 7. & *Rittershusium* 1. part. feud. 10. quæst. 11. *D. Hopinck.* dissert. de jure protect. conclus. 10. in schol. sub l. B. *pariter sequitur.* Hujus opinionis fundamentum sumit ex ipsa formula juramenti, quæ est: *Ego N. Rex Romanorum, adjuvante Domino futurus Imperator, promitto, spondeo & polliceor atque juro Deo ac B. Petro, me de cætero Protectorem atque Defensorem fore Summi Pontificis & S. Rom. Ecclesiæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus ejus, custodiendo & conservando possessiones tenores & Jura ac Jus, quantum divino fultus adjutorio potero, secundum scire & posse meum, recta & pura fide; sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.* Quod si principalis hujus juramenti scopus & intentio jurantis, quam verba declarant, attendatur, manifestum est, Reges Romanos seu Imperatores juxta subiectum verborum tenorem, principaliter jurejurando promittere, sese defensores & Protectores fore Summi Pontificis atque jura Ecclesiæ Romanæ pro viribus conservaturos, & sic evidenter patet, articulos in dicto juramento contentos ad defensionem Ecclesiæ & ad conservandum Summum Pontificem pertinere. Juris autem indubitati est, quodlibet juramentum regulari secundum naturam rei, super qua juratur. *c. pervenit de jurejur. Andr. Gail.* 2. *observ.* 22. *num.* 20. *Modestin. Pistor.* 1. *Consil.* 2. *num.* 7. *Mynsing. dec.* 11, *resp.* 3. *num.* 75. & juramentum restringi ad consensum jurantis, & recipere tacitam conditionem intrinsecæ voluntatis, quam habet negotium principale, super quo juratum est, *per not. Bartol. in l. Titio Seio. §. Imperator. π. de legat.* 1. *Tiraquell. de constit. possess. p.* 2. *limit.* 7. *num.* 37. *Schrader. de feud. p.* 10. *sect.* 3. *num.* 47, *Mynsing. d. resp.* 3. *num.* 75. Juramentumque contractui appositum

positum recipere omnes conditiones, exceptiones, subauditiones, & limitationes, quas recipit ipse contractus, super quo interponitur, tenent *Dd.* communiter. *Vincent. Honded.* 1. *Consil.* 43. *num.* 4. *Wesenbecc. Cons.* 52. *num.* 82. *Curtius Sen. Consil.* 3. *num.* 2. *Anton. de Butr. c. Quinta vallis, de* Jurejur. *Paulus Castrens. Consil.* 122. *num.* 4. *vol.* 2. *Bartol. l. si quis pro eo, num.* 15. *π. de fideiuss. & seq.* Unde nihil addere actui, super quo juratur, nec obligationem augere, vel extendere jurisjurandi præstationem, uno ore testantur Marta de Jurisd. *p.* 4. *Cent.* 1. *cas.* 16. *n.* 10. Paris. *cons.* 12. *num.* 76. Tiraquellus *in l. Si unquam, præfat. num.* 175. *C. de revoc. donat.* Zasius *ad l.* 1. *num.* 23. *π. de condict. caus. dat. caus. non sec.* Cacheran. *decis.* 92. *num.* 6. Baldus *l. si procurator. col.* 3. *π. de condictione indebit.* Et juramentum habere consensum pro materia fundamentali & secundum eum regulari, *per l. fin. qui satisdare cogantur, & C. fin. l. de non numerata pecunia, tradit* Theod. Reinking. *de Reg. secul. & Ecclesiast. lib.* 1. *class.* 2. *c.* 4. *n.* 8. *& seqq.* Ex quo etiam manifestum est, jusjurandum defensionis promissorium, non nisi intensivè operari, ita ut vinculum obligationis in re, cui accedit, intendat solummodo, non verò extensivè, ut ad non cogitata vel ad non expressa extendatur, per doctrinam Zasii *ad rubr. π. de Jurejur.* At verò ex ipsa formula & rei evidentia manifestum est, juramenta Imperatorum Summo Pontifici præstari solitorum, non ad eum finem interponi, ut fiant vasalli Papales, sed Protectores duntaxat & Patroni R. Ecclesiæ & ejusdem Antistites. Cum præsertim jure naturali Imperator adstrictus sit Ecclesiam, Pontificem & Clerum tueri. Si igitur hoc ipsum in juramentum deducatur, eo modo, quo inest, deductum censeri debet. l. 3. de leg. 1. l. Cornelius 2. l. si quis Sempronium, de hæredib. instituend. & sic dici debet non fidelitatis, sed naturæ & reverentiæ juramentum. *Mager. l. c.* Ita etiam Imperatoris hoc juramentum de defendendo Rom. Pontifice & Ecclesia in omnibus necessitatibus & utilitatibus eius, de custodiendis & conservandis possessionibus, honoribus, juribus & jure, non tollit alios actus, ad quos se extendit Imperatoria Maiestas, neque ita absolutè accipi potest, ut Imperatorem & Ordines inhabiles reddat & incapaces ad transigendum certis casibus & agendum, quatenus id id salus publica requirit. Sequitur pro

Conclusione II.

II. *Iuramentum advocatiæ, quo Rom. Ecclesiæ & Pontifici defensio possessionum, honorum, juriumque conservatio promittitur, non obligare ad impossibilia.* Nam communiter tradunt ita Dd. quod juramentum non obstringat ad impossibilia. Sylv. Prier. *Summ. v. Iuramentum IV. quæst.* 18. Quæritur, *utrum obliget juramentum, si superveniat impossibilitas? Et dico, quod non. Nam de impossibilitate dicitur; impossibilium nulla est obligatio. π.* de Regulis Jur. reg. 144. *Ratio, quia Deus respicit animum, non manum.* 14. quæst. 5. si invenisti. & facit l. fin. *π.* qui satis dare cogantur. *Vnde dicit Innocent.* in cap. venerabilem de elect. *quod urgente necessitate potest quis propria autoritate frangere juramentum &c.* Phil. Decius *in Comm. ad*

Iuramentum Imp. non obligat ad impossibilia.

R. Iur. pag. 351. adeo dicit hoc procedere, *impoßibilium nullam esse obligationem, ut etiam naturalis obligatio non oriatur.* Extat etiam regula *Extra in 6.* Nemo potest ad impossibile obligari. Ubi glossa *ad impoßibile juris, facti, & naturæ* eam refert. ita etiam sentit Mart. Bonacina *Oper. Moral. Theol. T.2. f.*314. *n.*1. & 2. & Anton. Goffar *in Comp. V. Juramentum, n.* 5. Sanchez *Th. Moral. T.* 1. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 11. Prolixè hanc materiam persequitur Dn. Magerus *lib. cit. c.* 11. *num.* 780. & *seqq.* ubi deducit, *Advocatos, Defensores & Protectores propter impoßibilitatem vel difficultatem excusari à pœna omissæ defensionis. Probat autem illud per ea, quæ habentur cap. Brevi scitcitatus* 17. *& ibidem traduntur per Abbat. num.* 4. *de jurejurand. quod nempe sub juramento se obligans ad* Ecclesiæ *defensionem, si ob magnam ei subvenire nequeat difficultatem, perjurij reatum non incurrat, eò, quod talis omissæ defensionis difficultas, ad hoc ut conventa non adimplens excusetur, impoßibilitati æquiparetur, argumento l.*137. *ibique Bartoli & Dd. de V. O. Bero. Consil.* 88. *vol.* 1. *Num.* 780. fulcit id *per text. in cap. unic.* 2. *Feud.* 28. *per verba ibi posita,* pro posse meo, prout potero, sicut potero. & *l.*14. §. *Patroni.* 1. *ibi,* quod si possibile. *Menoch. arb. jud. quæst. cap.*49 4. Concordat Constit. Imperial. An. 1564. Wormat. promulgat. §. Auff den fall. ubi præses provinciæ excusatur, si majorem vim sustinere & declinare non valeat, siquidem omnis defensio valeat de modo licito & pro virili juxta posse. Bald. *l.*39. §. 5. *π. de Procurat.* Ex quibus colligunt Dd. satis auxilij præstitisse protectorem, qui, ut afflictis adjumento esset, fecit, quicquid potuit. Menochius 5. *præsumt.* 28. *num.* 10. Et post Cynum notat Baldus *in l. non solum.* §. *si Status. circa fin. π. de procur.* dicens: *Si promitto te defendere de jure & de facto, quod hoc intelligatur de modo licito & de posse, non de vi maiore.* Bartol. autem *ad l.* 1. §. *occisorum. v. hoc ideo, π. ad Senatusconsult. Syllan. num.* 2. infert, *quando ex statuto villæ vel castra tenentur capere malefactores, quod hoc intelligendum sit,* si possint, subdens ibidem, *si aliquis in villam veniat cum tanta gente, ut ei tota villa non poßit resistere, non teneri. arg. l. addictos. C. de appellat.* Idem expresse ponit Baldus *l. si ideo, in fin. Cod. de his, quibus ut indig. ibidemque* Angelus Corneus, & alij. Ex quorum notatis clarè ad propositum concludit Albert. Brunn. *cons.* 86. *num.*6. *l.* 1. quod confœderati, qui tenentur ad mutuam defensionem, obligentur solum pro illorum possibilitate, h. e. quod partibus suis satisfaciant, si faciant, quod possunt pro adjuvando offenso. Idem expresse dixit prius Martin. Laud. *in tract. de confœd. & convent. Princip. quæst.* 4. Nulli enim debet impossibile injungi, pro quo plura allegat Baldus *d. l. si ideo, in fin.* & nemo videtur se ad impossibile obligasse, quia nec ita se obligare posset. Accedit textus *cap. felicis, prope fin. ibi,* si potestas ei *affuerit, extra de pæn. in* 6. per quem ibi Archidiacon. Johan. Andr. Petrus de Anchoran. *col. penult. in* 20. *not.* & Philipp. Franc. *in* §. *final. not.* 5. *num.* 4. asserunt, *quod licet civitas poßit incidere in delictum, committendo vel omittendo, puta non puniendo delinquentes, ut in casu illius capituli, tamen si offendentes tam sint potentes, vel tanta adhærentium multitudo, ut civitas illos comprehendere & punire non valeat, quod excusatur propter impotentiam, seu summam difficultatem.* His inserit D. Magerus, quæ ad nostrum propositum

positum omninò quadrant, *num.785.* ita enim ait: *Cùm superiori seculo Ferdinandus I. Imperator Ecclesiam & fidem Catholicam conservare, & schismaticos omnes extirpare summo Pontifici iuratò promisisset, id autem ex sensu & opinione Papæ non præstitisset, Assecla quidam Pontificis, quod dignitate Cæsarea iuxta l. quoties. Cod. de dignit. l.12. seipsum spoliaverit, temerè concludere præsumsissent, D. Cancellarius Sigism. Seldius* in seinem Rathschlag von der Keyser vnd Päpste Gewalt p.83. *apposite his regessit, Imperatorem per verba in iuramento adiecta* pro posse *merito esse excusandum, cùm regulariter etiam in omnibus promissionibus conditio* si potero *subesse intelligatur.* Ita Magerus. Et ita sanè se res habuit. Impossibile fuit Pontificis cupiditati ab Imperatoribus satisfieri, ut triginta annorum experientia & ultra usque ad sanctionem pacis religiosæ docet. Emergit hinc pro

Conclusione III.

III. *Iuramentum advocatiæ ecclesiasticæ, de defensione Romanæ Ecclesiæ & Papæ, & conservatione bonorum juriúmque eius, non obligare in casu necessitatis.* Hoc enim casu nullum juramentum obligat, quod est de rebus lege morali & divinâ non prohibitis. Ita supra audivimus Innocentium Pontificem loquentem apud Sylvestrum, quod urgente necessitate possit quis propriâ autoritate frangere juramentum, si non possit haberi superior, à quo absolutio petatur. Et referente eodem Sylvestro, *de necessitate & magna difficultate* dicunt Dd. *in cap. querelam, de jurejurand. & in cap. brevi, eodem tit. quod excusat à periculo.* Ita etiam tradit Emanuel Saa *Aphorism. confess. V. iuram. num.25.* Pertinet huc, quod dicitur, *necessitas non habet legem, sed ipsa legem facit, cap. remissionem 1. quæst.1. de consecr. distinct.1. in cap. sicut in cap quanto, de consecr. in cap.2. de observ. jejun. in cap. si quis propter necessitatem, de fur. in l. qui potuerunt 1. de man. test. cum simil.* ita latè Rom. tradit *in l. si verò. §. de Vno, in fallent.54 sol. matr. ubi 38. mediis hoc probat.* Et Abbas *in l.1. in fin. de offic. consul. & in l.2. in princip. Cod. de patr. qui fil. distr.* & Lucas de Penna *in l. Curiales de decurion l.10. & not. gloss. per illum tent. in l.1. π. de offic. Cons. glossa in authent. in his qui oblig. §. fin. in vers. necessitatis.* Et quod non est licitum lege, necessitas facit licitum *cap. quod non est. de reg. jur. facit textus in cap. licet, de fer. in l.1. §.1. de officio eius. & in l. Divus Pius, de petenda hæred. cum similib.* ut Andreas Siculus tradit *in tr. de pignor.* & Felinus *cap. cùm accessissent. vers. tertio restringunt. de constit. & in cap.1. de despons. impub. & adde text. in l. Cæsar. de publ.* & Felin. *in cap. significavit. de Iudæis in fin.* Citat & sequitur Phil. Decius, illud procedere *durante necessitate, aliàs secus, per l.1. de offic. eius. Nam quod pro necessitate statutum fuit, cessante necessitate tolli. 1.* quæst.1. pro necessitate. *& quod statuitur prætextu necessitatis, debere tolerari, quatenus durat necessitas,* ut notat Bartolus §. nunciatio, de oper. nov. illud tum locum habet, cum statuto sublato ex statuentium consensu non emersura est denuò necessitas & in priores difficul- *Imperatoris juramentũ non obligat in casu necessitatis.*

tates relapsura respublica. Hoc enim casu tutius est ei, quod casu necessitatis constitutum est, inhærere. Notandum hinc pro

Conclusione IV.

Imperatoris juramentũ non obligat ad actum nihil profuturum.

IV. *Iuramentum advocatiæ & protectionis ecclesiasticæ tum etiam non obligare, cùm ex indubitatis indiciis & circumstantiis certò constat, defensionem suscipiendam nihil profuturam.* Secus se res habet, *quando* incertum est, & adhuc ab eventu dubio dependet, num protectorum auxilium clientibus profuturum sit, nec ne. Tum enim defensio sub eo nudo prætextu, quod facilè contingere possit, ut frustra suscepta sit, omittenda non est. Quia semper potius proficuum fore, quàm nociturum præsumitur, & sanciunt quoque jura, de futuris semper meliora speranda esse. *l. inter stipulantem. §. sacram. π. de verb. oblig.* Alciatus *de præsumt. reg. 2. præsumt. 27. num. 3.* Surdus *tract. de aliment. tit. 7. quæst. 9. num. 14.* Et si tum demum protectores fungi suo officio deberent, quando certò constat, auxilium ipsorum clientibus profuturum, certè raro vel nunquam ad ferendas suppetias obstringerentur. Quia futurarum rerum certitudo raro evidens est, imò exitus sive eventus futuri semper incerti & dubii sunt, *juxta l. quod debetur, π. peculio.* Jason. *l. Stichum. num. 2. π. de legato 1.* Hinc de futurorum certitudine statuere ex præsenti, imprudentis dicitur *arg. cap. gravi. 11 π. quæst. 3.* Anchoran. *consf. 64.* Alexand. *consil. 39. col. 2. vol. 5.* Dec. *consf. 124. num. 9.* Surd. *de alim. tit. 8. privil. 1. num. 7.* Ita Magerus *cap. 11. num. 518. & seqq.* Nihilominus tamen definit, *ubi cordata, prudenti & accurata omnium circumstantiarum ponderatione apparet, Advocatum Protectorémque quemvis, etiam Ecclesiasticum, certò frustra futurum, si prosequi protectionis suæ obligationem velit, ibi salvâ conscientiâ eandem protectionem omitti posse.* Nititur ea ratione, quod nemo cogatur facere supervacaneum, quodque factum nihil relevat. *l. non cogendum 45. §. final. π. de procurat. l. hæc autem satisdatio 4. in princ. & ibi glossa π. si cui plus quam. l. adprobat 21. C. de probat. cap. per tunc. extr. de Simonia. cap. cùm contingat, & ibi glossa. verb. nihilominus, extr. de offic. delegat.* Kohl. *de servit. feudal. part. 1. num. 145.* Schrader. *part. 6. cap. 6. num. 35.* Et ita de jure respondisse ait Bartolum, Matth. de Afflict. Jacobinum de S. Georgio, Laurentium Sylvanum, Rosenthal, & alios, *l. cit. num. 516.* Rursus autem ex actis integri seculi manifestum & indubitatum est, frustranea & supervacanea fuisse omnia molimina, quæ prætensionum Pontificiarum & defensionis Ecclesiasticæ intuitu agitata fuerunt. Imò ubi procedere omnia ex voto visa sunt, in horrendum sanguinis humani profluvium & merum excidium patriæ & Ecclesiæ terminata esse. Non autem potest defensio Ecclesiæ appellari, ubi solitudo efficitur. Sit jam exinde pro

Conclusione V.

Iuramentum Impe-

V. *Iuramentum advocatiæ Ecclesiæ & Romani Pontificis, eiusque bonorum & jurium defendendorum, non etiam obligare ad eversionem propriam.* Imperator Romanus

manus non censendus est obligatus esse ad Romani Pontificis & Ecclesiæ defensionem, si hoc conjunctum sit cum dissipatione Imperii Romani, cui immediatè obligatus est, cum jactura regnorum & dominiorum propriorum. Sic & Ecclesiam in Romano Imperio non ita ad nutum Romani Pontificis componere tenetur, ut ipsum isto conatu imperium eviscerct & laceret. Sic enim ipsa Ecclesia certò casura esset, utpote quæ in imperio est. Ecclesia enim est in Politia, no Politia in Ecclesia. Favor autem imperii vel reipublicæ prævalet favori ecclesiæ in libertate & bonis temporalibus, *juxta l. jubemus* 10. ubi Gilken. & Dd. *C. de SS. Ecclesiis.* Nicol. Everhardus *in topic. loc. à verisimili num.* 17. *vers. non etiam tertium.* Et Imperatorem ad protectionem Romani Pontificis non magis arctabit suũ juramentum, quem in communi Protectores & Advocati obligati sunt. At Protectores ad clientum defensionem non teneri cum jactura fortunarum & bonorum propriorum, latè rursus defendit D. Magerus *l. cit. num.* 539. *usque ad num.* 582. *l. quia nemo tenetur suas & clientum fortunas saluti propriæ præferre.* arg. cap. si non licet. caus. 23. quæst. 1. ubi Baldus & Dd. II. *Quia non præsumitur, aliquem in protectionis susceptione fuisse sese eousque obligaturum, si id ab eo postulatum fuisset. Constat autem generali obligatione seu promissione non venire, quæ verisimile est in specie quem non esse promissurum, si ille specialiter fuisset interrogatus.* cap. in general. de R. Jur. in 6. III. *Quia summa esset in isto contractu protectionis & advocatiæ erecta inæqualitas, si Protector sua destruere teneretur, ut clientem in tuto collocet. Ita autem contractus in dubio sunt interpretandi ut sit æqualis contrahentium conditio.* l. si id quod. §. ult. ff. de rescind. vendit. l. penult. in fin, C. commun. divid. Riminald. §. 1. n. 159. Inst. quib. alien. lic. Cravetta consil. 70. num. 1. consil. 14. num. 7. Menoch. consil. 35. num. 11. IV. *Quia Protectores non sunt magis obstricti suis Clientibus, quàm vasalli suis dominis. Et tamen hi non tenentur, quæ sua sunt, pessundare, & in extrema conjicere excidia pro salute dominorum suorum.* Sic glossa in cap. quibus mod. feud. amittatur: quam communiter ibi sequuntur Feudistæ. Belvis. vers. numquid domini, Isernia num. 4. Baldus n. 8. Laudens. num. 7. Alvarott. n. 6. Præposit. n. 5. Schenck. num, 16. & seqq. Sic & glossa in cap. §. fin. verb. potuerit. de alien. feud. Patern, & ibi etiam Feudistæ, Surdus tract. de aliment. tit. 7. quæst. 31. num. 1. Rulandus à Valle consil. num. 36. tom. 3. Zasius in epit. feud. part. 7. num. 37. & part. 10. num. 18. Guil. Hannet. lib. 3. de jure feud. cap. 9. Duaren. in comment. cap. 14. num. 9. Rosenthal. cap. 10. conclus. 16. num. 20. lit. o. V. *Quia non tanto vinculo Clienti suo Advocatus & Protector est obligatus, quanto libertus patrono suo, cùm libertas sit res inæstimabilis. At libertus non tenetur omnia sua in certissimum periculum deducere, seque etiam ultimis necessitatibus involvere, ut patronum servet.* ut est in text. in l. hoc demùm. ff. de oper. libert. Padilla in l. præses. num. 7. Cod. de serv. & aqua: *neque alimenta patrono suo vitam suam aliter sustentare non valenti suppeditare teneatur, cùm non habet, nisi quod propriæ sustentationi necessarium est.* l. si quis à libert. §. penult. ff. de libert. agnoscend. Natta consil. 380. num. 6. Surdus de aliment. tit. 7. quæst. 28. num. 4. satietas. l. dolo, num. 2. Cod. de liber. caus.

Patern. obligat. eversi... propriam.

VI. *Quia*

VI. *Quia nulli quis magis fidelis esse tenetur, quàm sibi, cùm prima & ordinata charitas incipiat à seipso.* cap. si non licet. caus. 23. quæst. 5. l. servus, ubi Baldus & Dd. C. de serv. Clarus §. Feudum. quæst. 21. in fin. *plusque se quis amat in ungue pedis, quàm in vertice capitis alterum.* ut ait Baldus consil. 312. lib. 4. *Vnde pertritum, interulam magis stringere, quam tunicam.* Imola in l. hæredes mei 57. §. final. ff. ad Trebell. Rationes hæ omnes opponi possunt postulatis contra pacem religionis stabilitam & stabiliendam porrò. Imperator, quia Romani Pontificis & Rom. Ecclesiæ protector est, non tenetur suas & Ordinum Imperii fortunas, terras, subditos, libertatem postponere honoribus, juribus & dignitatibus Ecclesiæ Romanæ, denique ruere, ut in Italiâ stet Pontifex, domi omnia perdere, ut in Italia Pontifex lucretur, & nunc his, nunc aliis factionibus sese misceat. Est hæc antiqua ars Romanorum Pontificum, quod Imperatores in bella conjecerunt & implicârunt, ut ipsi interim tantò liberius ampliare potestatem suam queant. Non præsumitur, Imperatores & Ordines tantam defensionem Romanæ sedi promissuros fuisse, si id ab illis fuisset postulatum. Esset verò summa inter protectorem Imperatorem & protegendos Rom. Pontifices inæqualitas, si protector funditus imperium suum teneretur perdere, ut Romanorum Pontificum patrimonium floreat. Licet verò, quod Canonistæ & Theologi P. plurimi adserunt, Imperator esset vasallus Romani Pontificis, quem tamen non esse, D. Magerus gravissimis fundamentis probat, *alleg. cap. 9. à num. 143. & seqq.* tamen non esset obligatus, Romanum Pontificem cum enormissima sui læsione tueri. Sic & sanè non ita se habet erga Romanum Pontificem servum servorum, ut Libertus erga Patronum & Dominum. Quomodo ergò adigetur, ut neglectis pacis deliberatissimæ vinculis & ruptis transactionum legibus bellum pro Romani Pontificis imperio stabiliendo prosequatur, & sic imperium in præsentissimum conjiciat imperium. Die löbliche Teutsche Nation in endlichen vorstehenden untergang zu stürtzen / nicht aber dafür zu bewahren / uti verba pacis R. §. In solcher intendunt. Juramentum itaque Imperatoris, & si quod simile illi etiam Ordines ligat, non est interpretandum contra charitatem primam & ordinatam, contra Imperii Romani dignitatem & maiestatem, & ut cum Imola loquamur, contra interulam pro tunica. Notamus adhæc porrò pro

Conclusione VI.

Iuramentum Imperatoris R. non est impeditivũ maioris boni.

VI. *Iuramentum Advocatiæ Ecclesiasticæ seu defensionis Romani Pontificis & Ecclesiæ non ita obligare, ut ista obligatio sit impeditiva maioris boni, aut accelerativa maioris mali.* Ea enim est in universum juramentorum natura. Thomas Sanchez *Theol. Moral. lib. 3. cap. 9. num. 11. Sicut votum de re impediente maius bonum non obligat, ita nec juramentum de his.* Martinus Bonacina *Theol. Moral. Tom. 2. fol. 325. num. 3.* & ex eo Anton. Goffar. *Compend. V. juramentum. num 21.* consentit, & Emanuel Saa *l. c. V. Iuramentum, num. 10.* Est enim juramentum ad conservationem bo-

nem boni, & aversionem mali ex actu religionis ordinatum, non semper attenditur, ut conservetur maius bonum, avertatur maius malum. Itaque ubi ad minus bonum obstringit, quo pertinaciter apprehenso maius bonum impeditur, aut maius malum ingruit, religionis vinculum solvitur, quod non arctat contra maius bonum, neque accelerat maius malum. Variè disputant interpretes *ad cap. 3. ad Roman. vers.* 8. ubi nonnulli doctrinæ Apostolicæ calumniatores intulerunt, facienda esse mala, ut eveniant bona. Ben. Pererius ad Rom. 3. *disp.* 4. *num.* 23. recitat ex illa sententia, *non esse facienda mala, ut eveniant bona*, tria, ut ait, plusquam theologica Caietani documenta, inter quæ tertium est, non esse doctrinæ Paulinæ contraria ea, quæ traduntur in decretis distinct. 13. ex decreto Concilii Toletani IIX. & ex sententia B. Gregorii *in lib. XXXII. Moral. cap.* 27. Gregorium *in eo loco conditionaliter loqui, conditione pendente, non ex parte rerum, sed interdum contingente ex parte hominis, & dicere, si omninò nullus sine peccato evadendi aditus patet &c. quæ perplexitas non est ex parte rerum, sed interdum contingere potest ex parte hominis, non videntis aditum evadendi absque peccato. Et tunc Gregorius consulit secundum indulgentiam, eligere minus malum, utens autoritate Pauli de uxore propter fornicationem vitandam. Concilium verò Toletanum non docere eligere minus peccatum, sed facere solutionem minoris obligationis, quam constat fieri sine peccato, ut patet in exemplo, quod ibi ponitur, de solutione iuramenti & noxiæ promissionis: potius enim rescindendum esse iuramentum, quàm implendum promissum perniciosum.* Addit Pererius. *Hæc Caietanus verè, doctèq; ac planè theologicè. Verùm non fuerit alienum, verba ipsius Concilii Toletani, quæ indicavit Caietanus, hic adscribere.* Sunt autem *huiusmodi.* Ubi periculi necessitas compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligari. Quid autem ex his levius, quidve sit gravius, pietatis acumine investigemus. Etenim cùm peierare compellimur, Creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodò maculamus. Cùm verò noxia promissa complemus, & Dei jussa superbè contemnimus, & proximis impiâ crudelitate nocemus, & nos ipsos crudeliori gladio trucidamus. *Sic ibi. Verba porrò S. Gregorij, quæ tantùm Caietanus attigit, sic habent.* Si omninò nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur: quia & qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur. Hinc & Paulus, cùm quosdam in Ecclesia incontinentes conspiceret, concessit minima, ut maiora declinarent, dicens: Unusquisque uxorẽ suam habeat, propter fornicationem. Et quia tunc solũ conjuges sine culpa in admixtione sunt, cùm non pro èxplenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur, ut hoc etiam, quod concesserat, sine culpa, quamvis minima, inesse monstraret, ideò adjunxit: *Hoc dico secundũ indulgentiam, non secundum imperium.* Non enim sine vitio est, quod ignoscitur, & non præcipitur. Peccatum profectò vidit, sed, quia possit indulgere, prævidit. Ergo cum in duobus constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. *Rectissimè etiam Glossa ad Concilium Toletanum loquitur, cùm ait:* Dicendum, quod nullus potest

esse perplexus inter duo mala, quia secundum hoc sequeretur, quod aliquis ex necessitate teneretur facere malum. Sed dicit Canon, quod Deus nunquam redderet interitum, nisi spontaneum reperiretur homo habere delictum: *ut 23. quæst. 4. Nabuchodonosor, vers. vasis iræ*: Præterea si ex necessitate teneremur aliquid mali facere, lex, quæ illud prohibet, esset impossibilis, cùm tamen omnis lex debeat esse possibilis. *distinct. 4. cap. erit. Perplexio ergo, quantum ad rem, nihil est, sed quantum ad animum, & ad stultam opinionem alicuius perplexio aliqua est.* Addit autem, *cùm de duobus malis Concilium Toletanum loquitur, intellige, quantum ad fatuam illius opinionem, qui se credit perplexum, & sic intelligas omnia verba hic posita: non enim utrumq; illorum malum est, licet ille opinetur, utrumque esse malum. Ita ad v. necessitas addit. 1. casus, refertur ad opinionem stultam. Sic ad v. minori: secundum quod ipse opinatur, cùm alterum illorum non obligat ipsum, & ad v. peierare, secundum quod talis opinatur: non enim peierat, licet non servet tale iuramentum, ut 22. quæst. 4. Si aliquid. Sententia itaque Concilij hæc est, iuxta Dd. Iuramentum licitum & de re licita, superveniente maiore malo, si observetur, aut recedente maiore bono sua natura à resolvi, si prudenter æstimetur, atque non ultra obligare.* Quamvis igitur Imperatorem Romanum iuramentum de defendendo Pontifice & Ecclesia Romana, conservandisque eius honoribus & iuribus per se obligaret, cum tamen incipit *maius bonum* imperii impedire, & *maius malum* accelerare, si illi inhærere vellet Imperator, hoc ipso omnia eius vincula colliduntur & dissolvuntur. Quod autem Imperator & Ordines Romani Imperii revera attenderent *maius bonum*, quod impedituri, & *maius malum*, quod Germaniæ acceleraturi essent, si obligationem suam ad rigorosam iurium Ecclesiasticorum & Pontificiorum defensionem extenderent, ex formalibus Imperatoris & Ordinum Imperii supra demonstratum est. Habetque hîc locum, quod bene scripsit in sublimiori providentia Thomas Aquinas *in summa angel. 2. 2. art. 2. resp. ad 2.* quem laudat Tannerus *Theol. Scholast. Tom. 1. disp. 3. quæst. 1. dub. 2. num. 12.* Verba sunt: *Provisor particulare excludit defectum ab eo, quod eius curæ subditur, quantum potest: sed provisor universalis permittit aliquem defectum, in aliquo particulari accidere*, ne impediatur bonum totius. *Unde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem, sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, in qua cum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi. Nam corruptio unius est generatio alterius, per quam species conservatur.* Applicat hæc generalia Thomas ad Deum ipsum, & ait: *Cum Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo.* Licet itaq; Imperator sub vinculo iuramenti sui admiserit aliquid, quod partibus aliquibus eius integri corporis, cui iuramento obstrictus est, detrimentosum videtur, & ad imminuenda iura bonaque vergens, id tamen tanquam provisor universalis salvâ dignitate suâ admittere potest, ne impediatur bonum totius. Sit nunc pro

Conclu-

Conclusione VII.

VII. *Iuramentum advocatia Ecclesiastica defensionem Romani Pontificis & Ecclesia Romana concernens cum honoribus & iuribus eius, non obligare etiam contra legem civilem.* Hæc est natura juramentorum in universum. *Iuramentum*, inquit Mart. Bonacina *Theol. moral. Tom. 2. fol. 315. num. 1. & f. 94.* & Anton. Goffar. *V. Iuramentum num. 6. factum de re prohibita per legem civilem, qua primario & immediatè dirigitur in bonum publicum, non obligat. Quando leges civiles,* inquit Jodocus Lorichius Theol. Friburg. *V. iuramentum num. 11. thes. Cathol. pag. 1254. & statuta in se continent præcepta ordinata ad conservationem naturalis iustitia & honestatis vel utilitatis communis reipublica, iuramentum contra illa factum est illicitum, ideóq; non obligat nec debet servari, sed rescindi. Iuramentum promissorium obligatorium non est,* inquit Angelus de Clavasio *in summa V. Iuramentum 5. quando est contra bonum publicum, iuramentum non valet,* inquit Astexanus *in summa l. 1. t. 18. art. 8. si fiat in detrimentum vel diminutionem regni. Quandoque lex,* inquit Panormitanus *in cap. cùm contingat, extr. de iureiurando, num. 6. aliquid prohibet propter bonos mores conservandos, & iuramentum in contrarium non valet, ut in regula, non est obligatorium.* Vide reg. Jur. in 6. *Ratio, quod talis lex est fundata super æquitate naturali, qua est indispensabilis & incommutabilis &c. quandoque lex fundatur super bono publico principaliter, & idem dicendum est, quod supra; quia pactis & iuramentis privatorum ius publicum remitti non potest. Ratio naturalis, quia quis non potest ei renuntiare, quod pro se non est introductum.* Vincentius Filiuccius *Theolog. moral. tract. 25. quæst. 6.* disputat de hac materia, *An juramentum prohibitum lege humanâ obliget?* Tradit autem *num. 197.* regulas, ex quibus cognosci potest, utrum obliget? Prima est: *Quando juramentum est verificandum per actum prohibitum per leges civiles, tum juramentum non obligat: quando verò actus necessarius ad verificandum juramentum non est contrarius legibus, tunc obligat.* Secunda est, *cum leges civiles sunt juris publici, tunc juramentum contra eas non obligat.* Sylvester Prierias *in summa V. juramentum 4. quæst. 16.* inquit: *Aut lex positiva seu statutum aliquod prohibet propter bonos mores naturales conservandos, & tum non valet juramentum, ut in reg. non est obligatorium, de reg. jur. l. 6. sicut juramentum mulieris, qua vivente viro dedit fidem adultero de contrahendo post mortem viri; quia sic lex est indispensabilis & invariabilis: secus in bonis moribus civilibus, quia juramentum valet contra eos. Aut lex seu statutum fundatur super bono publico principaliter, & sic non tenet iuramentum, quia pactis vel iuramentis privatorum ius publicum remitti non potest. Aut lex seu statutum non fundatur in bonis moribus naturalibus, nec super bono publico principaliter, sed in odium aliquorum, & sic tenet iuramentum, quando potest sine dispendio salutis impleri, licet non sine dispendio rerum corporalium. Idem dicendum est, quando lex est fundata principaliter super favore privato, licet consequenter & secundario super publica utilitate, quia iuramentum ligat. & hoc, quando non continet aliquam turpitudinem con-*

Iuramentum Imperatoru non obligat contra leges civiles.

nem contra bonos mores naturales, nec ex parte iurantis, nec ex parte materiæ, super qua iuramentum præstatur, nec contra bonum publicum principaliter. Et ratio, quare teneat iuramentum in istis duobus casibus, est, quia iurando non peccavit: quia talis lex est potius privilegiativa, quam præceptiva, ideoq; eius contrarium non est in dispendium salutis æternæ, sed solum rerum temporalium, aut si peccat transgrediendo, tamen potest servari sine peccato, ideóque tenet iuramentum. Secus autem quando esset contra bonos mores naturales, vel ius publicum principaliter, quia sine peccato servari non potest. Thomas Sanchez *Theol. Moralis lib. 3. cap. 9. num. 34. pag. 574.* Quoties *lex civilis ordinatur immediatè ad bonum commune tuendum, obligat ad culpam, & ideò iuramentum de actu illo ita probibito non obligat tanquam rei malæ. Probatur, quia pacisci in præiudicium rei communis, est renuntiare iuri alieno & in præiudicium illius agere. At nemo potest iuri alieno, sed soli proprio renuntiare.* l. jurisgentium. §. si paciscor. ff. de pactis. *Secundo* ex cap. si diligenti de foro competent. *ubi deciditur, irritum esse pactum iuratum, quo fori privilegio Clericus renuntiat, eò quod id concessum sit in totius status clericalis favorem. Tandem quia ius Canonicum disponit, iuramentum in præiudicium tertii non obligare; ergo à fortiori, quando vergit in præjudicium boni communis, contra legem civilem disponentem aliquid in eius favorem.* Atque ita docent Abbas *cap. cum contingat n. 5. de iureiur.* & ibi Anton. *num. 8.* Baldus *num. 5.* Alciatus *num. 89.* Angelus *l. si quis pro eo. in princip. num. 3.* & ibi Paulus *num. 4. & 5. ff. de fideiuss.* idem Paulus *repetit. auth. Sacramenta puberum. num. 18. & 23. Cod. si adversus vendit. & in lectura eiusdem auth. num. 8. & 9.* & ibi Igneus *in repet. num. 46.* Cumanus *d. l. si quis pro eo. in princip. num. 10.* Minchasa *de successionum creatione lib. 3. §. 28. num. 21. vers. denique quod actus.* Card. Tuschus *in suis pract. conclus. Tom. 4. V° iuramentum. conclus. 100. num. 16. iunct. num. 20. & conclus. 115. num. 56.* Rebellius *de iustit. part. 1. l. 5. quæst. 7. sect. 3. num. 15. & num. ult.* Suarez *de iuram. libr. 2. cap. 26. num. 4. & seqq.* Atque bene addit Paulus *repetit. eiusdem authent. num. 25.* hanc regulam esse veram, *qualitercunque lex loquatur, sive prohibendo, sive non assistendo, sive dirigendo prohibitionem in personam, sive in rem. Quia semper militant rationes adductæ.* Si itaque juramentum factum contra bonum publicum eatenus non obligat, etiam Imperatoris & Ordinum juramentum, quo se Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ obstringunt, ita interpretari necessum est, & eatenus illud obligare dicendum, quatenus si susciperetur illa defensio, non læderet bonum publicum & leges de illo disponentes. Atqui bonum publicum requisivit pacis religiosæ sanctionem & legem istam fundamentalem efflagitavit. Ita sanè Imperator & Ordines loquuntur in ipsis verbis legis de pace mutuis obligationibus constitutæ. Et omninò de illis præsumendum est, quod exigentiam boni publici & quæ ad illius stabilimentum pertinent, optimè intellexerint. Longè sanè melius, quam aliquis in angulo literio, qui suavia somnia de aureo seculo habet. Unde, quia transactio de pace & lex ad eius conditionem solennem facta, ad utilitatem & dignitatem reipubli-

cæ sp-

ex spectant, se successoresque suos Imperator & Ordines obligare voluerunt. Reichs Absch. de An. 1555. §. Solches und jedes. ibi. Für uns und unser Nachkommen steth / fest und unverbrüchlich. Quæ enim ad dignitatem & utilitatem Reipubl. contrahuntur, morte contrahentium non extinguuntur, sed in seram etiam redundant posteritatem. *Carol. Ruin.* consil. 46. num. 13. vol. 1. *Heg.* illa quæst. q. 19. num. 10. *Gothofr. Anton.* de Feud. 7. th. 1. lit. e. in not. tum quia dignitas non moritur, sed semper durat, *Nov.* 18. *cap. illud quoque*, 2. Buxtorff. *ad aur. conclus.* 37. *lit.* C. *in not.* nec contractus eius gratia celebratus extinguitur. Tiraquell. *de jur. primog. quæst.* 31. *num.* 19. *& seqq.* Arnis. *de jur. Maiest. l.* 1. *c.* 7. *n.* 13. tum quia in his causis concernentibus publicam utilitatem & dignitatem, non tam Princeps, quam imperium per principem contrahere censetur. Treutler. *p. r. disp.* 6. *thes.* 7. Syring. *P. R. conclus.* 19. tum quia quæ publicæ utilitatis & dignitatis nomine contracta sunt, non tàm in personam, quàm in rem contracta sunt. Baldus *in cap. ult. aut fin. de sent. & re judic. & cons* 159. *l.* 3. Reinkink. *de Reg. secul. l.* 1. *class.* 3. *c.* 10. *num.* 24. *& seqq.* Esto insuper pro

Conclusione IIX.

IIX. *Obiectum juramenti de Advocatia Ecclesiastica & defensione possessionum juriumque Pontificis Romani & Rom. Ecclesiæ adhuc obscurum esse & controversum, adeoq; se Imperatorem immiscere in illam defensionem sic stantibus rebus vix posse.* Nam possessiones & jura, quæ R. Papa & Ecclesia prætendunt & usurpant, à Jurisconsultis magni nominis disputata sunt jam olim. Unde etiam persuaserunt Imperatoribus, ne sese illo juramento unquam Pontifici Romano obstringerent. Non jam ab ovo ista deducere animus est. Adscribemus tantum locum Nicol. Everhardi à Middelburgo, magni Senatus Belgici apud Mechliniam Præsidis, quem habet *in Top. Leg. Loc. à Verisimili, num.* 14. *& seqq.* In dubio, *inquit*, bonus judex habebit arbitrari, an ambæ præsumtiones sint pares, vel an altera sit potentior, & quæ. Per hoc Præpositus *in cap. Constantinus* 96. solvit multa argumenta Laurentij Vallensis, impugnantis donationem Constantini, tanquam fictam & & ementitam, fundata in verisimili. Sed quis justius induerit arma, Laurentius an Præpositus, suo tempore Cardinalis Alexandrinus, ex hinc inde per eos adductis facile videre poteris. Et ultra glossas Juris Civilis & Canonici, passusque communes, in quibus tractatur hæc materia donationis, ex qua Papa imperium in plures vendicat, videre poteris per Platinam *in vit. Sylvestri & vita Hadriani* I. per Sabellicum in Rapsodiis, per Volaterranum in Chronicis. Et Baldum *in l. penult. penult. columm. in vers.* Item non sic. *C. de exec. rei jud.* & per eundem Baldum in prælud. Feudor. in prima divisione, ubi dicit, quod nisi hæc donatio processisset à fide Catholica, sicut processit, non potuisset Imperator caput Imperij Romani ex mero jure imperialis officij à cæteris membris mutilare: quia capitis truncatio non est pars quota, sed tota. Et dicere, quod Imperator seipsum mutilet, h. e. membra imperij à se amputet, esset species fatuitatis. Imò facere aliquem

Iuramentum Imperatoris, nō procedit in objecto obscuro.

illi parem vel superiorem, qui possit facere rebellare Imperium, est impossibile: quia lex regia contradicit, secundum eum. Et idem scribit Signorolus de Homodeis *in consilio suo XXVI.* Idem etiam videtur de mente Alberici de Rosate *in l. bene a Zenone in 10. colum. C. de quadriennij praescript.* ubi inter alia dicit: se audivisse à magnis viris tunc auditam fuisse vocem dicentem, hodie seminatum est venenum aspidū in Ecclesia Dei, & hoc reperiri in antiquis authenticis scripturis. Et quendam literatum virum tempore Bonifacij VIII. prophetasse in suis sermonibus: Per eosdem passus & gradus, per quos Ecclesia ascendit in temporalibus, per eosdem descensuram ad extremam paupertatem Sylvestri. Imò plus dixit Pius in dialogo, ut refert Felinus suo tempore auditor rotæ, in cap. solite, de major. & obedien. videlicet, se mirari, miseros legistas disputare de validitudine eius, quod nunquam fuit. Et ultra alios exactissimè de hac donatione disserit Antonius de Rosellis in libello suo, de potestate Imperatoris & Papæ: sed de isto non videtur hodie quovis modo dubitandum: quia Papæ & successoribus suis provisum est in hac parte, *c. fundamenta. de electio. l. 6. & Clem. unica, de jurejuran.* quibus textibus & decisioni Ecclesiæ standum est, secundam Panor. *in c. per venerabilem, qui filij sunt legiti.* Et dicere contrarium, esset percutere caput ad montē Murellum, ut dicit *Bal. in t. qui feudū dare possunt, in VI. col.* Posset tamen revocari hæc donatio per aliquem Imperatorem probum & potentem, *ut* dicit Jo. Petr. de Ferrariis *in practica sua in forma responsionis rei conventi, in verbo praescriptionis, col. VIII.* cum non conveniant Psalterium & cythara, nec datum sit à Christo, nec à B. Petro, quod Pontifices possidere debeant talia, sed quod est Cæsaris, reddatur Cæsari: & quod est Dei, Deo. Et maximè propter scandala, dissensiones & bella, quæ ex hac evenerunt, & ventura sunt, nisi Deus provideat: quia Ecclesia & Italia non quiescet, quamdiu Ecclesia possederit civitates & castra, sicut nec hactenus quievit, secundum eum. Porrò de hac donatione nihil olim habebatur in antiquis decretis, ut in hac re gravis est autor Antoninus, suo tempore Archiepiscopus Florentinus, nunc etiam inter sanctos relatus, in suis Chronicis parte prima, ante finem. Et Jo. de Imo. *rubrica. ff. de verbo obligat. in II. colum.* Nunc autem de ea habetur *in d. c. Constantinus*, quod licet sit palea, & pro palea illic inferatur, multum tamen grani attulit Ecclesiæ. Ex quo in immensum creverunt eius opes. Et profectò gratulandum est felicitati Ecclesiæ, si modo in hoc sita est felicitas, quæ cultrix & altrix justitiæ non patitur contra justitiam aliquid fieri in se vel in alterum, ut inquit textus elegans in §. inde potest præsumi in titul. de alienatione feudi, in usibus feudo. Et quæ est ultimum & supremum remedium oppressorum, ut dicit ibi Bald. Nil mirum ergo, si permittente vel disponente Deo, dicta donatio facta sit, per quam quotidie subveniri possit oppressis. Nec videtur posse subsistere de jure, quod de revocatione dictum est, tum quia perfecta donatio inter vivos, revocari non potest juribus vulgaribus: tum etiam, quia privilegium per laicum concessum non subdito vel Ecclesiæ, est irrevocabile: ut habet Theorica Inno. *in c. novit. de judiciis.* approbat itidem per Panor. & alios, & per eundem Panor. in cap. inter alia,

in IX.

in IX. col. de immunitate Eccles. Et idem in præstatione favorabili Ecclesiæ, ut habet Theorica Bartoli *in l. privilegia. C. de sacros. Eccles.* ab omnibus penè & legistis & canonistis approbata, & multò minus poterit revocari, si d. donatio Constantini dicatur fuisse remuneratoria, ut firmat text. in d. c. fundamenta, & sustinet Præpositus *in d. c. Constantinus.* Et Bart. *in Aut. hen. quomodo oportet Episc. & Cler. in princ. colla. 1.* quia donatio remuneratoria non potest revocari, etiam propter ingratitudinem supervenientem seu subsequentem, ut est text. juncta sua singulari gl. *in l. Si pater §. 1. ff. de donatio.* Et ponit pro constanti Ludovicus de Roma in suis singularibus, singulari CCCCC XIX. & doct. sæpè alibi. Et faciunt ea, quæ habentur & notantur *in l. Aquilius Regulus eod. cod. tit. de donatio.* Hinc Bald. *in c. intellecto de jurejur.* de hac donatione loquens, dicit, esse somnia, quicquid dicitur contra statum universalis Ecclesiæ, à qua dependet imperium & universalis orbis, secundum eum. Et paucis interpositis dicit, patere validitatem eius ex eo, quod Ecclesia utitur in parte illa donatione: ipse tamen idem Bald. in prima constitutione digestorum videtur velle, quod dicta donatio sit revocabilis, cum post longam disputationem, quam facit de validitate dictæ donationis, finaliter dicit, quod quicquid sit, ex quo Imperator non revocat, valet saltem ex lege Augustinus, allegans ad hoc *l. apud. §. primo. ff. de manumissio.* Quam opinione si quis tenere voluerit, poterit respondere ad allegata supra in contrarium. Et primò ad id, quod dicitur, perfecta donatio inter vivos revocari non potest; ut illud procedat, quando donans habuit plenissimam facultatem donandi, nedum in præjudicium suum, sed etiam in præjudicium successoris sui, qualis non est Imperator, qui assumitur per electionem, *c. venerabilem, de electio. & c. ad Apostolicæ in fin. de re judicata lib. 6.* & nihil facere potest, quod tendat in grave præjudicium Imperij & successorum, sicut nec Papa, ut dicam infra in loco à plenitudine potestatis, ubi recurret. Non obstat etiam secundum, quod dicitur, privilegium concessum Ecclesiæ vel non subdito non posse revocari: quia licet Innocent. suo tempore Papa, & sic testis suspectus, hoc dicat, & plures Canonistæ, Abbates & Cardinales, nonnullique legistæ Laici in temporali Jurisdictione Papæ vel patrimonio Petri, ut vocant, legentes hoc sequantur, & contradicere non audeant: id tamen non procedit, quando per privilegium conceditur jurisdictio. Ita singulariter in his terminis dicit Franciscus de Aretio in d. c. novit, & eum sequitur ibidem Felin. Et ante eos hoc voluit Bald. *in l. qui se patris. C. unde liberi,* & sentit Dominicus de Sancto Geminiano *in c. 1. in IV. colum. de constitut. lib. VI.* & consonant notata per Bald. *in d. c. intellecto.* & notata per eundem *in extravaganti de pace constantiæ*, in verbo *successorum nostrorum*, & notata per Jasonem *in præludiis feudor. in prima divisione.* Et notata per Felin. *in cap. 1. de probatio.* & notata per eundem *in c. ad audientiam, de præscript.* Et idem in his terris nulla circuitione usus vult Anton. de Rosellis loco prædicto *in colum. LXI. & seq.* quod ut sentit scribit Albericus de Rosate *in d. l bene a Zenone. in III. col.* Idem illud dictum Innoc. non procedit, quando privilegiũ ex post facto enormiter læderet

conce-

concedentem præter eius intentionem, quia tunc tollitur ipso jure, aut saltem potest revocari. c. suggestum de decimis, secundum Aretinum & Felin. *i. d. c. novit.* & Bald. *in d. l. qui se patris.* Non obstat etiam tertium de remuneratione, quia fundamentum dictæ allegationis à Laurentio Vallensi & aliis negatur: & dato quod de hoc constaret, tamen dicta allegatio est dubia, quando per privilegium datur jurisdictio remunerationis gratia: ut dicunt Aretin. & Felin. *in d. c. novit.* nec ex hoc concludi, valere donationem tam immensam in enorme præjudicium Imperij & successorum, cum nec donatio remuneratoria immensa, per Ecclesiam alicui facta, valeat. *l. jubemus nulli: in princip.* C. *de Sacrosanctis Ecclesiis*: ergò idem dicendum videtur in donatione immensa facta per Imperatorem, cum Ecclesia & Imperium æquiparentur. *l. prima. C. de Sacros. Eccles.* Imò favor Imperij vel Reipublicæ præfertur favori Ecclesiæ, *Aut. sed & permutare & ibi Salicet. notat, C. illo eodem tit.* Cui consonat illud Valerij de pietate erga patriam. Eversa domo interdum Reipubl. status manere potest. Urbis autem ruina omnes penates secundum se trahat necesse est. Poterit ergo, ni fallor, revocari dicta donatio per successorem. Nec videtur consultum electo in Romanorum Regem, præstare juramentum in forma d. Clem. unica, secundum Antonium de Rosellis, loco prædicto, quem omninò vide. Nec obstabit successori revocare volenti juramentum prædecessoris & pro se & pro successoribus præstitum: quia illud ex parte jurantis est personale, & non ligat successorem etiam hæredem, ut singulariter decidit Panorm. & ante eum Hostiens. & communiter Doctor. in capitulo veritatis, de jurejur. & Joh. Andreas in capitulo finali, de Sepultur. & Bartol. in Authentica, quod obtinet, C. de probatio. & Anton. Rosellis loco prædicto, & Doctores *sæpe alibi.* hæc Everhardus. Quia itaq; in Imperio Romano inter gravissimus maximique nominis JCtos jura, possessiones & prætensiones S. Romanæ Ecclesiæ tot difficultatibus implicantur, omninò sentiendum est, si vel maximè ex Imperatoribus aliqui apud Pontificem deposuissent illud juramentum de defensione eius, illud eatenus tantum esse validum & obligatorium, quatenus illæ prætensiones ad liquidum sunt deductæ & certæ, & quatenus illæ in imperio Romano conceduntur. Dum igitur Imperator atque Ordines Imperij Romani pacem religionis sanxerunt, & de bonis Ecclesiasticis conscientiarumque libertate disposuerunt, prout præsens necessitas postulabat, præsumendum est, illos inter certa jura & possessiones extra controversiā positas tum non retulisse Pontificum in omnia bona Ecclesiastica supremam administratoriam potestatem, itemque in conscientiarum sancienda libertate immediatam & primariam autoritatem, & quæ sunt similia alia: atque ita non credidisse, juramentum, quo Romano Pontifici obnoxij erant, sese in illorum quoque actuum ligationem extendere. Pertinet huc, quod definit P. Laymannus *Theol. Moral. lib. 4. tract. 3. cap. 9. num. 2.* Juramentum *præstitum circa materiam juris, interpretandum esse secundum limites juris, neque ulterius extendendum. Ita docet glossa* in cap. 1. de Jurejur. in 6. verbo declaramus. Innocentius *in cap. per tuas, de arbitris.* Abbas *in cap. tua nos. num. 4. de Eccle-*

de Ecclesia ædificand. Sylvester *V.* Juramentum, *3. quæst.* Suarez *l. 2. c. 33. fin.* Sensus est: *si quis alioquin jure obligatus sit ad aliquid faciendum vel omittendum, tunc juramentum accedens non ad aliud se extendit, sed tantum ad ea, quæ sub obligatione juris continentur: ut proinde intentio jurantis esse censeatur, se nihil illicitum sive jure inconcessum attentaturum.* Sic itaque Imperatoris & Ordinum, si quod Pontifici præstitum est, juramentum interpretari fas est; nimirum, ut non excedat limites juris, quod habet Pontifex, neque ultra extendatur, quam indubitata Pontificis possessio permittit. Addamus pro

Conclusione IX.

Iuramentum Imperatoris non contrarietur priori juramento.

IX. *Iuramentum illud protectionis & defensionis Romani Pontificis, si ab Imperatore omninò in illis terminis, quibus & in Pontificali & Ceremoniali Romano, & in Clementina continetur, quemadmodum etiam illud proponit Eusebius, præstaretur, ita tamen interpretandum esse, ne priori juramento contrarietur, sed illius tanquam potioris vigorem retineat. Nullas vires,* inquit Thomas Sanchez *Theol. Moral. lib. 3. c. 17. num. 8. obtinet juramentum contra priorem promissionem, sive juratam, sive simplicem. Vt si promisi, me alicui venditurum equum, & postea jurejurando promitto alteri, hoc juramentum nullius est momenti, nec obligat. Quia hoc posterius juramentum esset contra bonos mores, & in alterius præjudicium, cujus per priorem promissionem acquisitum erat. Ita & dicit* Martinus Bonacina *Theol. Moral. Tom. 2. fol. 316. num. 1. & ex eo* Anton. Goffar *Comp. V.* Juramentum, *num. 7. Promissio aut juramentum factum contra prius juramentum, aut contra votum, aut contra priorem promissionem validam non obligat: quia secundum juramentum, vel secunda promissio est de re, quæ sine peccato servari non potest.* Ita etiam Azorius *lib. 11. Institut. Moral. c. 6. quæst. 1. & 2.* Atqui prius juramentum, quo se Sacro Rom. Imperio & Ordinibus obstringit electus Imperator, uti nunc est in Capitulationibus, disertè Imperatorem obligat & libertatem Religionis in imperio conservandam. Vide Capitul. Maximiliani II. gloriosiss. memoriæ Imperatoris, art. 16. Wir wollen auch in dieser vnserer Zusag der gülden Bull/ deß Reichs Ordnung/ den angeregten Frieden in Religion- vnd Profansachen/ auch den Landfrieden sampt Handhabung desselben/ sampt andern Gesetzen/ jetzo gemacht/ oder künfftiglich durch vns mit jhrer der Churfürsten vnd Fürsten/ auch anderer Stände deß Reichs rath/ möchten auffgerichtet werden/ zuwider kein Mandat oder anders etwan beschwerliches außgehen lassen/ oder zugeschehen gestatten/ in einige weiß oder weg/ dergleichen auch für vns selbst wider solche gülden Bull/ vnd deß Reichs Freyheit/ den Frieden in Religion- vnd Profansachen/ vnd Landfrieden sampt Handhabung desselben/ von einiger Obrigkeit nichts erlangen. In eandem sententiam concepta est etiam Capitulatio Rudolphi II. felicissimi Cæsaris, §. 2. Wir sollen vnd wollen auch sonderlich. & §. Wir wollen auch in dieser vnserer. Matthiæ Imp. Capitulatio habet eadem formalia. Sic & Ferdinandi II. §. 2. & 38. & Ferdinandi III. §. 12. &

40. Et ex ista jurata Capitulatione R. Imperator consequitur omne jus, Maiestatemque, quam in Imperio habet. Neque huic per ullam promissionem contraveniri potest. Non sanè per eam, quæ interponitur in Italica coronatione, quæ prorsus non necessaria habetur, & pompa magis, quam re, continetur, nec quicquam autoritatis vel potestatis Imperatori confert, quippe quam ex sola Principum electione habet. Nic. Betf. *de pact. familiar. illustr. pag.* 225. Lupoldus de Bebenperg *de jurib. reg. & Imp. Rom. cap.* 5. Hieronym. Balbus *de Coronat. p.* 35. Ben. Carpzov. *Leg. Reg. Germ. c.* 3 *sect.* 9. *num.* 14. *Cum per Electionem Principum,* inquit Fridericus I. Imp. *apud Radevic. l.* 1. *c.* 10. *a solo Deo regnum & imperium nostrum sit, cumq; Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit, Deum timete, Regem honorificate, quicunq; nos imperialem coronam a Dn. Papa pro beneficio suscepisse dixerit, institutioni & doctrinæ Petri contrarius est, & mendacij reus erit.* Cui consonum est rescriptum Ordinum imperij apud Goldastum *Tom.* 1. *Constit. Imper. p.* 316. quod sic habet: *Præmissa diligenti deliberatione & discussione ac Consilio multorum Principum, Comitum, Baronum, & Nobilium & concorditer declaratum & sententialiter definitum est, quod vacante imperio is, qui eligitur concorditer, vel a maiore parte Principum electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus est habendus, & quod nominatione, approbatione, confirmatione, consensu vel autoritate Sedis Apostolicæ super administratione bonorum & jurium imperij non indiget, sive titulo Regis assumendo, quodque jura & bona imperij gubernare & administrare poterit, de jure & consuetudine nulla Sedis Apostolicæ super hoc licentia habita vel contenta.* Conf. Cranzium *Metropol. Saxon. IX,* 15. *& seqq.* Adeò parum aut nihil tribuerunt Rom. Imperatores illi Italicæ coronationi & obligationi, ut Rudolphus I. coronationem illam respuerit *Alemannorum Reges,* inquiens, *Italia consumsit. Non ibo Romam. Rex sum, Imperator sum. Non minus pro utilitate Reipubl. me facturum confido, quam si Romæ fuissem coronatus.* Goldast. *Tom.* 1. *Constit. p.* 311. Cuspinian. *in vita Rudolphi I.* Et Maximilianus I. cum in Comitiis Constantiensibus, A. 1507. rescivisset consilium Regis Galliarum, quod vellet Rothomagensem in Sede Pontificia collocare, & ab illo imperij coronam accipere, oratione gravi ad VIIviros & Principes habita dixit: *omnibus constare, supervacaneam esse coronam Romanam.* Ego, inquit: *Cæsareæ coronæ capiendæ prætextu (quæ pompa magis quam re, ut vobis notum est, continetur, Cæsarea namque dignitas & autoritas prorsus ex voluntate Vestra pendet) sed revera, ut hæc Gallorum nefanda consilia constringam, & quando alia ratione nos ab illorum insolentia tutos reddere non possumus, eos Mediolani imperio pellam, in Italiam exercitum traducere statuo,* Refert Francisc. Guicciardin. *Hist. VII. p.* 667. Vide plura apud Sigism. Selden *in alleg. Consil.* Von Ihr Kayserl. Mayt. Wahl vnd Hoheit. Conf. Amplis. Dn. D. Carpzovium *de O. R. G. c.* 11. *s.* 10. Unde durum & solenni usurpationi Imperatorum vehementer adversarium est verbum, quod dicit Jodoc. Lorich. Pr. Frib. *thes. Cath. V. Imperator, num.* 6. cum ait: *Electus in Imperatorem nomen Imperatoris non meretur ante coronationem, nec alia, quæ ad imperialem culmen dignitatemq; singularem, quæ ex coronatione Summi Pontificis gloriose refulgeant,*

pertinere

pertinere judicantur. Finio judicij Marsilij de Padua, Ludovici IV. Imperatoris Consil. verbis, quæ habet in defensorio Pacis *part. 2. c. 25. p. 370. Quoniam*, inquit, *Romanus Episcopus neminem Electum Rom. Regem si non voluerit approbabit, aut confirmabit, cum se omnibus superiorem asserat, & in hoc nulli subesse collegio, vel singulari personæ; volet autem neminem semper, eo quod ab electo Rege certa pacta & juramenta, priusqam approbet, exigere vult, & inter cætera juramentum, quo Roman. Imperator asserat se illi Episcopo fidelitate seu temporali sive coactiva jurisdictione subiectum, & quarundam provinciarum occupationes illicitas & iniustas conservari vult sibi per dictum electum, idque promitti & ipsius electi juramenti firmari; Quæ siquidem illicita pacta & juramenta nec salva conscientia Regiæ Maiestatis, & licito juramento præstito in sui creatione, ad libertates imperij conservandas possibilia, neque facta teneri, nullus unquam electus nisi muliere mollior, & manifestè talia jurando vel promittendo perjurus, Romano vel alteri cuiquam præstabit Pontifici, propter quod electorum Regum nullus unquam in Regem Romanorum creabitur, aut vocem imperij merebitur, si ab Episcopo Romano regalis seu imperialis auctoritas electorum pendeat &c.* Ulterius dicamus pro

Conclusione X.

X. *Quod juramentum advocatiæ Ecclesiasticæ à Romano Imperatore, cum istud præstat, postulat, illud fere in summa complecti ipsam capitulationem Imperatoribus in prima coronatione propositam.* Sic enim in Carolina. §. Zum Ersten: Wir haben angenommen / bewilligt vnd zugesagt / daß Wir in Zeit solcher Königlichen Würden / Ampts / vnd Regierung / die Christenheit vnd den Stul zu Rom / auch Päpstliche Heiligkeit vnd die Kirchen / als derselben Advocat, in gutem Befehl vnd Schirm haben sollen. Sic in Ferdinandina I. & cæteris omnibus conformiter. At varia circa obligationem hanc, prout in Capitulatione sacra jacet, consideranda sunt. *Primum*, quod *cum aliqua relaxatione ibi reperiatur.* Nam sic in Capitulatione Maximiliani II. §. 2. legitur: Gleichwol so viel den Articul belanget / haben vorgemelte vnsere liebe Oheimen / die Weltliche Churfürsten / sich außtrucklichen gegen vns erklärct / was daselbst von dem Stul zu Rom / auch der Päpstlichen Heiligkeit für meldung geschicht / daß jhr Liebden darein nicht wollen bewilligen / noch vns damit verbunden haben. In Rudolphina, Matthiana, Ferdinandina II. eadem verba leguntur. In Ferdinandina III. nihil immutatū est, nisi quod duorum Electorum, Saxonis & Brandenburgici, duntaxat fiat mentio. Ubi observandum, quod ea, quæ relaxata sunt & remissa Imperatori in Capitulatione, etiam à Principibus & Ordinibus suffragantibus remissa & relaxata esse censenda sint. Etsi enim potestas eligendi Imperatorem penes solos Electores resideat, attamen hi, quicquid agunt, id nomine reliquorum Principum totiusque populi agere videntur, ut ait Nicol. Cusanus Cardinal. *Concord. Cathol. lib. III, 4.* Proinde electio & Capitulatio habenda, ac si à tota Universitate populi ac Principum,

Imperatoris juramentū ex sensu Capitulationis accipiendum.

In qua est 1. cum relaxatione.

cipum,

cipum, à quibus potestas in ipsos fuit collata, facta esset. Lupold. de Babenberg *de jure Regni & Imper. Romani, c. 6.* Nec illud prætermittendum, relaxationem illam influere in ipsius juramenti vincula, adeóque non opus esse aliqua potestate ulteriori, quæ à juraméto jam præstito liberet. Aliàs, ut juramenti relaxatio sit valida, desideratur justa causa; quia vinculum juramenti non obligat ex jure humano, sed jure naturali & divino, in quo nemo dispensare potest absque causa. Ita Sotus *de jur. lib. 8. q. 1. a. 9. solut. ad 3. vers. Est autem.* Gregor. de Valentia *2. 2. q. 7. disp. 6. punct. 4. vers. Posito igitur.* Sanchez *Theol. Moral. III, 19, §. 4.* Sed & id adnotandum, illam relaxationem aliquid operari. Nam eiusmodi novationes in Capitulatione tanti momenti frustra adiectas esse, putandum non est. Cum in universum conditiones, limitationes & remissiones contractui adiectæ non adiectæ sint, ut nihil operentur, sed potius ut contractui momentum addant aut terminum, ut docet Baldus *in rubr. C. de contrah. emt. 9. q. in c. Si Papa, circa med. de privileg. num. 6. l. si quando. π. de legato 1.* Barbat. *consil. 18. clementiss. Deus. col. 6. circa fin.* Mascard. *de probat. vol. 1 concl. 301. n. 1. p. 185.* Et quicquid reperitur in instrumento scriptum, quod factum partium respicit, de voluntate & mandato partium præsumitur appositum. Glossa, *quam ibi* Baldus & alij *notabilem dicunt. l. sciendum. π. de verb. oblig.* Baldus *l. 1. in fin. Cod. de Privileg. dotium.* Verba enim in instrumento posita partium esse, dicit Baldus *in l. Errore. C. de Test. & in l. 3. n. 6. C. de Vindicat.* Alcat. *tract. de præsumt. reg. 3. præsumt. 13. n. 3.* Imola *in l. filio præterito. col. 8. vers. per prædicta. π. de iniust. rupt. & irrit. fact. test.* Alexand. *consil. 5. num. 1. 2.* *Vide quæ diximus disp. 2. de A. C. c. 2. §. 50.* *Secundum,* quod *cum aliqua animadversione & censura Pontificia potestatis ibi reperiatur.* Sic enim in Caroli V. Capitulatione num. 16. habetur. Und als ober und wider Concordata Principum, auch auffgerichte Verträge zwischen der Kirchen / Päpstlicher Heiligkeit und dem Stul zu Rom und Teutscher Nation / mit unsäglichen Gratien / Rescripten / Annaten der Stifft / so fort täglich mit manigfaltigung und erhöhung der Officien / im Römischen Hof / auch reservation und dispensation, und in andere weg zu abbruch der Stifft / Geistlichkeit und anderer gegebenen Freyheiten / darzu zu nachtheil Juris Patronatus, und der Lehensherren stethig und ohn underlaß gehandelt / derhalben auch unleidlicher und verbottener Gesellschafften / und Contract oder Bündnuß (als wir bericht) fürgenommen und auffgerichtet worden / das sollen und wollen wir mit der Churfürsten / Fürsten / und anderer Stände Rhat / bey unserm Heiligen Vatter dem Papst und Stul zu Rom / unsers besten Vermögens abwenden und fürkommen / auch drob und daran seyn / daß die vorgemelten concordata Principum und auffgerichte Verträge / auch Privilegia und Freiheiten gehalten / gehandhabt / denen festiglich gelebt / und nachkommen werde. Idem reperitur in Capitulatione Ferdinandi I. §. Und als uber. additur autem: Jedoch wann Beschwerungen darinnen befunden und Mißbräuch entstanden / daß dieselbe Verträge / deßhalb gehabter Handlung zu Augspurg der minder zahl dreyssigsten Jahr gehaltenen Reichstags / abgeschafft / und hinfüro dergleichen ohne Verwilligung

2. cum censura Pontificia potestatis.

der

der Churfürsten nicht zugelassen werden. In Capitulatione D. Maximiliani II. ista cautela omissa est. Attamen in Capitulatione Rudolphi II. solenniter & iisdem quidem verbis repetita est. Quam & habet Capitulatio D. Matthiæ. In Capitulatione D. Ferdinandi II. nihil fere mutatum, nisi quod pro unsäglich / unfürmlich positum. Ita etiam habet §. 18. Capitulationis Augustissimi Ferdinandi III. Est verò illa animadversio & censura ex allegatis Concordatis Principum enata vehementer præjudicialis & dominatus Pontificij taxativa, adeò ut hactenus R. Imperator ad eius defensionē se non obligare potuerit, cum illi dicam scripserit. Inprimis autem illud animadvertendum, illas querelas de Pontificiæ curiæ abusibus, quæ An. Chr. 1519. in Capitulatione Carolina motæ sunt, in ultima Ferdinandæa post centum viginti & quod excurrit annos adhuc vigere; unde fortassis conjicere licet, Imperatorem atq; Ordines imperij per illam repetitionem suam libertatem tueri, seque contra absolutæ potestatis arrogationem munire voluisse.

Tertiò quod *jurata in Capitulatione Cæsarea advocatia Ecclesiastica coniungatur cum cum libertate conscientiarum, & autonomia religionis in sanctione pacis comprehensa.* Nam in Capitulatione Ferdinandi I. Imperatoris immmediatè connectuntur, Daß seine Kön. Majestät in Zeit seiner Würde / Ampt und Regierung die Christenheit und den Stul zu Rom / auch Päpstliche Heiligkeit und die Christliche Kirchen / als derselben Advocat / in gutem Schutz und Schirm haben / sollen und wollen / und daß Kön. Mayt. sollen und wollen sonderlich die vorgemachte guldene Bull / in Religion- und Profansachen / auch den Landfrieden sampt der Handhabung dessen / so auff jüngst zu Augspurg im 1555ten Jahr gehaltenen Reichstag / durch uns / an statt der Röm. Kayserl. Mayt. unsers lieben Brudern und Herrn / auch für uns selbst und gemeine Stände auffgericht / angenommen / verabschiedet und verbessert worden / steth und fest halten / handhaben / und darwider niemand beschwären / oder durch andere beschwären lassen / und die andern deß H. Reichs Ordnungen und Gesätzen / so viel die dem obgemelten angenommenen Reichs-Abschied im 55ten Jahr auffgerichtet / nicht zuwider / confirmiren und erneweren &c. Eadem repetuntur §. penult. In Capitul. Maximiliani II. habetur primum §. 1. alterum §. 16. In Capitul. Rudolphi II. §. 1. & 2. immediatè conjunguntur. Posterius autem repetitur etiam §. 32. In Capitul. Matthiæ conjunguntur §. 1. 2. 3. Repetitur autem posterius §. 37. In Capitul. Ferdinandi II. rursus conjunguntur §. 1. & 11. Posterius repetitur §. 38. Sic & hic exhibetur in Ferdinandi III. Capitul. §. 1. & 2. & 40. Non est autem credendum, Autores Capitulationis Cæsareæ & ipsum jurantem Cæsarem putasse, ista duo, juramento uni innexa, esse incompossibilia & se mutuò destruere. Si enim ita esset, tot annorum decursu ab Imperij Proceribus id animadversum, imò ab Imperatoribus ipsis deprehensum esset. Dicit Mart. Bonacina *Theol. Moral. T. 2. fol. 316. n. 1. juramentum factum contra prius juramentum validum non esse, quia secundum juramentum vel secunda promissio est de re, quæ sine peccato servari non potest.* Ita & Ant. Goffar *Comp. V. Iuramentum n. 7.* Sed hic sub uno & eodem juramento tum advocatia R. Ecclesiæ

3. advocatia & autonomia conjunctione.

& sedis Romanæ, tum & permissio libertatis religionis & administrationis bonorum Ecclesiasticorum promittitur. Intrinsecè itaque in uno eodemque juramento in posteriori articulo obligaretur Augustus Imperator ad rem priori adversantem, & per consequens sine peccato nequaquam in effectum deducendam. Hoc autem de illo fundamentali juramento præsumi non debet, multò minus pronunciari. Unde clarè intelligitur, non adversari illos capitulationis sacrosanctæ articulos sibi mutuò, velut incompossibiles, sed potius amicè conspirare: Nimirum eatenus sedis Romanæ ac Pontificis defensionem promitti articulo priori, quatenus posteriori articulo salvo & incolumi fieri potest; hoc est quatenus id salus reipublicæ & Christianitatis incolumitas, & rei in defensionem deductæ justitia flagitat. *In juramentis enim interpretandis semper favor est pro juramento, tanquam pro actu sanctissimo, privilegiato, & omni exceptione maximo: semperq; studendũ potius, ut valeat, quàm ut non valeat, propter periculum profanationis nominis divini*, quâ de re latissimè Canonistæ. *Hinc nec juramenti interpretatio absolutè est penes jurantem.* Nec enim dicere potest quis, se jurasse permissioné autonomiæ in bonis religiosis eventualiter, sc. nisi deprehendatur, hanc promissioné religionis adversari obligationi ad advocatiam Ecclesiasticam & defensionem sedis Pontificiæ. Licet enim *aliàs debeamus verba interpretari secundũ mentem & intentionem proferentis, ut habet cap. intelligentia, & cap. Præterea. de verbor. signific.* tamen hoc *fallit in juramento, quod non est interpretandum secundum intentionem jurantis, sed prout ille intelligere debet, qui jurari procuravit*, ut habet *cap. Quacunque arte* 22. *quæst.* 1. Confer Everhard. *Loc. à vi & efficac. juram. num.* 82. *& seqq.* Revera itaque quicquid sit de intentione jurantis, posterior articulus dat interpretationem & restrictionem priori, utut ille generaliter conceptus sit. Vide Everhard. *Top. L. à ratione legis, & d. num.* 4. *& seqq.* De votis, quæ cum materia juramentorum multa habent communia, tradit Th. Sanchez *Op. Moral. de præcept. Decalog. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 21. *Si sciens quis duo vota incompossibilia esse, simul ea emittat, & pro eodem tempore obligando se ad illa, votum est nullius momenti. Quia est rei impossibilis. Si autem voluit tantum ad alterutrum se obligare, ad id, quod intendit, est obligandus. Si de intentione dubitetur, non est præsumendum, eum voluisse quid inane & ridiculum in re tam gravi ac ardua facere, ut est votum. Atque si id intendisset, facile eius intentionis esset conscius. Et ita censerem, cum voluisse se obligare, eo modo, quo posset, & quo ex natura rei obligant duo vota, simul explenda & incompossibilia. Atque ita censerem, eum teneri ad maius votum: quod si constet, utrumque esse omninò æquale, aut res omninò sit anceps, utrum illorum maius sit, dari voventi electionem: quia in priori eventu prævalet votum rei Deo gratioris, quod minori voto suapte natura est præponendum, quando utrumque est incompossibile. In posteriori autem non est maior ratio de uno, quàm de altero: cùm utrumque simul emissum sit, & constet utrumque esse æquale, aut dubitetur, utrum sit maius. Si autem excessus sit exiguus inter unum votum, & aliud, erit sola venialis culpa, minus votum eligere. Idem censerem*

ferem, si ignorans ea vota esse incompossibilia, ea simul emitteret. Teneretur enim ad dignius, etsi utrumque sit æque dignum aut si id sit dubium, dabitur electio. Et si modicus sit excessus, erit veniale eligere minus: quia eadem prorsus militat ratio. Hæc Sanchez. Hoc consilium in juramento præsenti sectari, nefas. Etiamsi enim aliquis in eam delaberetur opinionem, alterutrum articulum alteri esse incompossibilem, non tamen ipsi hic relinqueretur optio. Neque enim in re hoc juramento comprehensâ liberam habet dispositionem, sicut is, qui voto se obstrinxit, antequam se obstringeret, libertatem habuit sese hac vel illa re abdicandi. Juramentū enim hoc de legibus fundamentalibus aut conventionibus ad dignitatem tranquillitatemque imperii pertinentibus est. Ad has, qui se obstrinxit, non potest leges sibi invicem opponere, & ex ista oppositione ad optionem procedere, cui legi parere velit, vel non. Posito enim, quod scrupulosam circa istas habeat conscientiam, aut dubiam, qua hæsitet, utrum omnibus satisfacere possit, non tamen contra legum, ad quas se obstrinxit, sententiam agere potest, quia ita agere, cum manifesto peccato conjunctū esset. Sed salva res est. Constans Imperatorum & Ordinum manet sententia, illa uno juramento in capitulatione Cæsarea comprehensa capita, non pugnare secum invicem, sed potius ita unum esse observandum, ut alteri nequicquam detrahatur. Quia itaque juramentum de advocatia Ecclesiastica, quatenus in Capitulationibus Augustissimorum Imperatorum extat, partim cum aliqua relaxatione insertum est, partim cum aliqua animadversione Pontificiæ sedis, partim recepit expresse copulam cum obligatione ad autonomiam, non est existimandum, sequens juramentum, quod in coronatione Romana Imperatori defertur, plus operaturum, aut obstricturum ad plura sedi Pontificiæ præstanda.

Addimus, quæ ad Imperatoris eminentiam pertinent, in processu coronationis occurrentia, quem nobis describit Pontificale Romanum. *Fol. 57.* ita precatur Presbyter Cardinalis. *Deus Omnipotens, cuius est omnis potestas & dignitas, Te supplici oratione atque humillimâ prece deposcimus, ut huic famulo tuo prosperum Imperatoriæ Maiestatis concedas effectum, ut in tua protectione constituto* ad regendum Ecclesiam tuam sanctam *nihil ei præsentia officiant, futura nihil obsistant, &c.* Fol. 58. Pontifex dicit pro Imperatore hanc orationem: *Deus regnorum omnium & Christiani maxime protector Imperij, da servo tuo, Imperatori* nostro, *triumphum virtutis tuæ scienter recolere, ut qui tua constitutione sit Princeps, tuo semper munere sit potens.* Rursus. *Deus, qui ad prædicandum æterni regni Evangelium Romanum Imperium præparasti, prætende famulo tuo* Imperatori nostro *arma cælestia, ut pax ecclesiæ nulla turbetur tempestate bellorum &c. Fol 59. fac. b.* Pontifex ita orat: *Respice, quæsumus, omnipotens Deus, serenis obtutibus hunc gloriosum famulum tuum, ut sicut benedixisti Abraham, Isaac & Iacob, sic illi largiaris benedictionem spiritualis gratiæ, eumque plenitudine tuæ potentiæ irrigare atque perfundere digneris &c.* Ibidem *colum. 2.* hæc est oratio: *Benedic, quæsumus, Domine, hunc* Principem nostrum, *quem ad salutem populi nobis à te credimus esse concessum: fac adhuc esse multiplicem salubri*

Preces Papæ in coronatione jus Imperatori in Ecclesiam tribuunt.

corpo-

corporis robore vigentem, ad senectutem optatam pervenire felicem. Sit nobis fiducia obtinere gratiam populo, quam Aaron tabernaculo, Elisæus in fluvio, Ezechias in lecto, Zacharias vetulus impetravit in templo. Sit illi regendi autoritas, qualem Iosua suscepit in castris, & David sumsit in præliis, Petrus accepit in clave, Paulus est usus in dogmate, *& ita* Pastoris officium perficiat in Christi ovile, *sicut Isaac perfecit in fruge, &* Iacob *est dilatatus in grege &c.* In omnibus hisce precibus pro Imperatore coronato nulla dependentia potestatis Cæsareæ à Papa fundatur. Imò potius Papa Imperatorem pro suo Imperatore & Principe agnoscit. Ipsi precatur potestatem & autoritatem clavium Petri &c. quæ aliàs disquirenda veniunt. Sit denique pro

Conclusione XI.

Iuramentum Imp. interpretandum ita, ut salvis verbis minus obliget.

XI. *Iuramentum advocatiæ* Ecclesiasticæ, *de defensione Romani Pontificis & Ecclesiæ Romanæ, quod & in jure Pontificio & in Pontificali Romano extat, ita interpretandum esse, ut quantum fieri possit servatâ verborum proprietate minus obliget jurantem.* Sic in universum juramentorum interpretatio facienda esse dicitur. Mart. Bonacina *Theolog. Moral. Tom.2. fol.*328. & ex eo Anton. Goffar *Compend. V. Iuramentum. num.* 25. Juramentum *in dubio ita explicandum est, ut quantum fieri possit minus obliget, servatâ verborum proprietate.* Sic Thom. Sanchez *Op. Mor l.3.c.17. §.9. Iuramentum generaliter præstitum restringendum est, ut quantum fieri potest, minus obliget.* Quæ verba & habet Abbas Panormitanus *cap. Cùm Clerici. in fin. de V. S.* Idem Sanchez *de Matrim. Tom.1. disput. 9. num.*11. ait: *Ubi tractatur de obligatione contrahendâ, stricta interpretatio facienda est.* & cap 1. de jurejur. in 6. Integrum capitulum adscribere, velut ad superiora etiam illustranda non parum præstiturum, non pigebit. *Contigit in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine observari, quod nec ipsarum Prælati (cumprimum ad Ecclesias ipsas accedunt) admittuntur, nec Canonici, (cum de recipiendis ibidem novis Canonicis agitur) aliter recipiantur in ipsis, nisi jurent statuta & consuetudines ipsarum Ecclesiarum, scripta & non scripta inviolabiliter observare. Inter Laicos etiam in multis civitatibus, castris & terris in suis potestatibus rectoribus vel officialibus assumendis consuetudine morbus irrepsit, quod potestates, rectores & officiales huiusmodi ad potestarias, rectorias & officia eadem (nisi prius servaturos se statuta ipsorum locorum clausa juraverint) nullatenus admittantur. Quia verò in statutis & consuetudinib. supradictis interdum aliqua reperiuntur illicita seu impossibilia, vel obviantia Ecclesiasticæ libertati, ne sub tali generalitate jurandi, sic jurantibus peccandi occasio præbeatur, cùm juramentum non fuerit, ut esset iniquitatis vinculum institutum: Hac generali constitutione, animarum periculis obsistere cupientes, præcipimus, à quibuscunq; scientibus contineri, in prædictis consuetudinibus & statutis illicita & impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia juramenta huiusmodi aliquatenus non præstari. Et talia juramenta eâ intentione facienda vel facta, ut etiam illicita vel impossibilia, vel Ecclesiasticæ libertati obviantia observentur (cùm etiam sub tali intentione*

tentione præstari non possint absque divinæ maiestatis offensa) decernimus in eiusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati Ecclesiasticæ obviantibus, non servanda: quin potius pro animarum salute, si sub forma prædicta vel simili aliquo ignoranter prædicta illicita, seu impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia jurare contigerit, ad observanda duntaxat licita, possibilia, & non obviantia libertati Ecclesiasticæ, jurantium referri debet intentio. Declaramus quoque juramenta sub huiusmodi generalitate qualitercunque vel sub quacunque verborum forma præstita vel præstanda, ad licita possibilia & libertati Ecclesiasticæ non obviantia tantum extendi: ipsosq; jurantes ad alia per præstationem juramenti huiusmodi non teneri. Sic Nicolaus III. in Decretalibus rescribit. Confer Dn. Magerum *de Advocat. cap. 13. num. 16. & seqq.* Quando itaque Imperator Romanus jurasset Deo & Petro, se de cætero protectorem atque defensorem fore summi Pontificis & S. Romanæ Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus & utilitatibus eius, custodiendo & conservando possessiones eius, honores & jura ac jus, quantum divino fultus adjutorio poterit, secundum scire & posse suum, recta & purâ fide, tunc ista obligatio non est latissimè interpretanda, sed strictè. Neque enim verborum proprietas necessariò latitudinem istam requirit. Nam protectio & defensio summi Pontificis & Romanæ Ecclesiæ referri potest ad personam Romani Episcopi & Diœcesin, quæ Romanæ Ecclesiæ competit. Romana enim Ecclesia non notat in hoc juramento universalem Ecclesiam. Liquet hoc ex testamento Carolino, quod ex Goldasto depromit JCtus Magerus *lib. 1. cap. 5. num. 117.* Verba ita habent: *Super omnia jubemus, ut ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiæ S. Petri &c. simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo, & B. M. Pipino Rege & à nobis postea suscepta est, ut eam cum Dei adjutorio ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulaverit, habere faciant. Similiter & de cæteris Ecclesiis, quæ sub illorum fuerint potestate, præcipimus, ut justitiam suam & honorem habeant & pastores atq; rectores venerabilium locorum habeant potestatem rerum, quæ ad ipsa pia loca pertinent, in quocunq; de his tribus regnis illarum Ecclesiarum possessiones fuerint.* Hic sanè Ecclesia S. Petri & cæteræ Ecclesiæ disertè distinguuntur. Sic & se habet diploma Alberti I. Rudolphi I. filii, quo gloriatur Cardinalis Baronius *Tom. X. Annal. anno Christi 996. num.* 48. ubi ait Imperator: *Piâ devotione & sincero corde profiteor, quod Romanorum Reges in Imperatores postmodum promovendi per sedem eandem ad hoc potissimè & specialiter assumantur, ut sint sanctæ Romanæ Ecclesiæ Advocati, Catholicæ fidei ac eiusdem Ecclesiæ præcipui defensores &c.* Nota; S. Rom. Ecclesiam & Catholicæ fidei Ecclesiam distinguit Imperator. Similiter Fridericus I. *in Epist. anno Christi 1159. ad Antipapam & Cardinales Romanos*, quam habet JCtus Magerus *l. cit. num. 153.* Quoniam *divinâ præordinante clementiâ Romani Imperii gubernacula suscepimus, oportet, ut in omnibus viis nostris ipsius legem custodiamus, cuius munere, cuius voluntate dignitatis nostræ apicem adepti sumus. In hoc igitur sacratissimo proposito constituti, cum omnibus Ecclesiis in Imperio nostro debeamus patrocinari, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tantò propensiùs debemus providere, quantò ipsius cura &*

Rom. Ecclesia in juramento Imp. non notat universalem Ecclesiam.

defensio à divina providentia creditur nobis esse commissa specialius &c. Hîc rursus Ecclesiæ passim in imperio extantes à SS. Romana Ecclesia discernuntur. Plura eiusmodi cumularemus, si id necessitas postularet. Patet autem satis ex his, S. Pontificis & Romanæ Ecclesiæ defensione non contineri omnes orbis Romani Ecclesias, in quas dominatum prætendit Pontifex Romanus. Huc etiam pertinent possessiones, honores, jura ac jus, quæ non sunt capienda in amplitudine & universalitate arrogata, sed juxta materiam subjectam, scilicet quæ in Romana Ecclesia habet. Nam quæ de jure maternitatis in omnes orbis Ecclesias, de præsidentiæ & primatus juribus & similibus prærogativis disputant Bellarminus & alii, partim non ita se habent, quemadmodum allegantur, partim non id operantur, ad quod allegantur, ut etiam alii ex ista parte agnoscunt. Sed de his alibi.

Iuramentum Episcoporum eisdē modis explicandum.

Quæ de juramento Pontificis diximus, etiam de JURAMENTO EPISCOPORUM Romani Imperii dicenda sunt. Omnia enim in eo juramento promissa ad posse respiciunt. Jurant scilicet, se jura & autoritatem Romanæ Ecclesiæ & Pontificis conservare, defendere, promovere velle: neque futuros in consilio, seu facto, seu tractatu, in quibus contra Pontificem vel Ecclesiam Romanam aliqua sinistra seu præjudicialia machinentur. Hæreticos, schismaticos & rebelles pro posse persecuturos & impugnaturos: possessiones ad mensam suam pertinentes, nullo modo alienaturos &c. Hic sanè promissæ hæreticorum & similium impugnationi & persecutioni annexū POSSE, non ad illam promissionem tantùm restringendum est, sed ad omnia promissionis juratæ membra extendendum. Sic enim in Imperatorio juramento est conditio universis eius capitibus adjicienda. Unde jurant defensionem, conservationem, promotionemque Romanæ Ecclesiæ & Pontificis *pro posse*. Jurant, se nihil bonis Ecclesiasticis detrahi passuros pro posse. Jurant se non passuros, ut consilia, facta, tractatúsque contra Pontificem Romanamque Ecclesiam agitentur, pro posse. Jurant, se non interfuturos eiusmodi tractatibus, si possint salvis aliis obligationibus non interesse. Excipitur etiam casus necessitatis, qui tantus esse potest, ut aliquid contra Romanam Ecclesiam & Pontificem permittendum sit, aliquid etiam diversum sentientibus permittendum: aliqua jactura bonorum temporalium patienda. Excipitur casus nullitatis, si frustra & sine effectu, vel defensio suscipiatur, vel separatio à Comitiis & tractatibus fiat. Excipitur casus periclitationis propriæ, qua aliquid est parti alteri etiam contra superioris prætensionem permittendum, aut status proprii subversio expectanda. Excipitur casus impeditionis maioris boni & accelerationis maioris mali, si obligationi superiori factæ inhæreretur. Excipitur casus obsistentis legis publicæ & fundamentalis, cui obligatio alicui extra rempublicam facta contravenire non potest. Taceo, quod adhuc etiam apud quamplurimos Episcopos obscura & dubia fuerit illa prætensa amplitudo potestatis & jurium Pontificis Romani in Ecclesias & earum bona universa: quodq; juramentum & vinculū Episcoporum quo Imperio Romano tenentur, velut eius membra & ordines, nullo modo possit

everti

everti per quodcunque aliud subsequens, quod hoc ipso, quo illi contrariari deprehenditur, annullatur & evilescit.

Observandum inprimis, quod de validitate huius juramenti Episcopalis Pontifici R. præstiti adhuc seria disputatio institui possit. Neq; enim antiquioribus temporibus Imperii Romani, vel confirmatio Episcoporum, vel etiam jurata obligatio nis ab iisdem poscendæ jus ad Pontificem Rom. pertinebat, sed more novissimo illud introductum est. Fatetur id post alios Jodocus Lorichius *thes. Cath. V. Episcopus. num. 6. & allegat cap. Quanquam. Extra in 6. ut & sess. 24. cap. 1. de Reform.* Et patet hoc ex ipso Pontificali R. *f. 27. fac. b.* ubi hæc verba sunt: *Quoniam Ecclesiarum Cathedralium sive Metropolitanarum ac Patriarchalium provisiones, seu electionum ad illas confirmationes ad sedem Apostolicam* hodie *pleno jure pertinent, & ab eadem Ecclesiis pastore viduatis, vel de novo providetur, vel electiones ab illis, quibus ex privilegio licet, canonicè celebratæ confirmantur, ideò scrutinium, quod serotinum appellatur, & pridianam illam examinationem*, quæ in antiquis Pontificalib. libris habetur, *hîc prætermittendam esse censuimus.* Juramentum autem antiquum habetur *f. 41. fac. b.* estq; hoc: *Ego N. talis Ecclesiæ vocatus Episcopus, promitto in conspectu omnipotentis Dei, atq; totius Ecclesiæ, quod ab hac hora in antea fidelis & obediens ero perpetuo more prædecessorum meorum Beato N. sanctæque Ecclesiæ tali* (nominando Ecclesiam metropolitanam) *& vobis Domino meo I. Dei gratiâ eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopo, vestrisque successoribus canonicè intrantibus, prout est à sanctis Patribus institutum, & Ecclesiastica ac Romanorum Pontificum commendat autoritas. Non ero in consilio & consensu, vel in facto, ut vitam perdatis, aut membrum, aut capiamini malâ captione. Consilium, quod mihi per vos, aut per literas, vel per nuncium credituri estis, ad damnum vestrum me sciente nulli pandam. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonicâ præpeditione. Vos quoque & nuncios vestros & Ecclesiæ talis, quos certos esse cognovero, in eundo, stando, & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo; possessiones verò ad mensam mei Episcopatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo contra jus aut consuetudinem Ecclesiæ meæ alienabo, Vobis vel vestris successoribus inconsultis. Sic me Deus adiuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Novissimo more juramentum literis, quas vocant, Apostolicis inseritur, & in consecratione inaugurando prælegitur.

Iuramentum Episcopale noviter introductum

Sanè illæ separatæ conventiones inter Episcopos & Papam, neque Imperio, eiusq; priscis juribus & libertatibus, præjudicare debent, neq; ipsorũ Episcoporum dignitati. Episcopi omnes, inquit Johannes Filesacus Theolog. Parisiens. *de sacra Episcop. autoritate, §. 1. pag. 699.* olim *Papæ* dicebantur, quod ex D. D. Hieronymo, Augustino, Prudentio, Sidonio & aliis nimis notum. Circa tempora Gregorii Pontificis Romani, Episcopi adhuc salutabantur iis titulis, & nuncupabantur *Papa, Apostolici Patres, Apostolicâ sede dignissimi*, ut apparet ex epistolis variorum ad Ruricium Episcopum Lemovicensem, & epistola ipsius Ruricii, quæ est 8. *libr. 2. epistolar. ad Ævium, & epist. 15. ad Æonium, epist. 17. ad Sedatum, & epistola 32. & seq.* Idem in epistolis diversorum Pontificum ad D. Desiderium Cadurcensem

Conventiones Papæ & Episcoporum non debent præjudicare jurib. imperii & antiquitati.

censem Episcopum datis, ubi Desiderius, *Papa Apostolicâ sede colendus, dignissimus, Apostolicus Præsul, Apostolicus Pater, Apostolicus Papa, Ecclesiæ aut Christi speculator vocatur.* Clodoveus I. Rex Francorum, epistola, quæ Concilii I. Aurelian. extat initio, ad Episcopos Galliæ scripta, eos *Apostolicâ sede Papas dignissimos* pronuntiat, initio & fine epistolæ. Concilium Turonense II. *cap. 21. & 22.* D. Avitum Episcopum *Viennensem Papam* vocat. Martinus Braccarensis Episcopus, qui Martini Papæ nomine citatur à Gratiano, præfatione in librum Capitulorum ex Græcorum Synodis, Nitigesium Episcopum Lucensem *Apostolicæ sedis honore suspiciendum* appellat. Adriano P. R. in epitome Canonum ad Carolum M. Concilii Carthaginensis præfatione Aurelius *Carthaginensis Papa* vocatur, *Papa* itidem nuncupatur Patriarcha Alexandrinus Concilio VI. Constantinopolitano. Itidem apud Odoramum Monachum Senonensem in Chronico Ansegisus Senonum Archiepiscopus *totius Galliæ & Germaniæ Papa secundus* pronunciatur sub Carolo Calvo. Nec illud prætermittendum in iis, quæ nunc prolata sunt, *sedem Apostolicam* vocari omnem sedem Episcopalem, quod ex eo profectum esse constat, quoniam Episcopi Apostolorum successores esse dicantur. Concilio Telensi cap. 1. *sedes Apostolica* nuncupatur sedes primatis & Metropolitani. Hinc etiam factum, ut Episcopalis dignitas *Apostolatus* vocetur, ut apparet multis & variis epistolis ad Episcopos scriptis, inter quas eminet Epistola Braulionis ad Isidorum Hispalensem Episcopum, & Ruricii Episcopi Lemovicensis ad Ævium, quæ est 8. lib. 1. ep. Græcis, *inquit idem Filesacus fol.* 101. Papæ nomen minus honorificum. Chorepiscopus *Protopapa* nominatur Balsamoni in Can. 59. Apost. & Can. 8. Concilii Antiocheni. Ita in Canonibus Nicænis Arabicis, qui feruntur, Archipresbytero nomen *Protopapæ* vel *Archipapæ* tribuitur can. 57. & 71. SUMMUS PONTIFEX olim vocabatur quilibet Episcopus. Miltiades Pontifex Romanus *Epist. 1. apud Burchardum C. 61 l. 4. & Ivonem part. 1. C. 255.* loquens de sacramento confirmationis, ait, *unum esse, quod à maioribus fiat*, id est, à summis Pontificibus, *quod à minoribus proficisci non potest.* Minores autem innuit *Chorepiscopos*, à quibus sacramentum illud conferri nequit. Ut & postea contendit Damasus P. R. *epist. 45. quæ est de Chorepiscopis*: cuius epistolæ varia loca citantur in capitularibus, & ubi summorum Pontificum nomen etiam Episcopis tribuitur. Locum hunc integrum descripsisse videtur D. Leo I. P. R. *epist. 86. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ.* Hormisda P. R. *epist. ad D. Remigium Remensem Episcopum.* Concil. Agathens. C. 35. Concil Parisiens. *sub Ludovico I. lib. 1. c. 3.* ex Fulgentio; tum Aquisgranense II. sub eodem Ludovico *in præfatione* eo sensu dixit, *neminem in Ecclesia Pontifice potentiorem.* Hincmarus id firmat *epist. 4. cap. 4.* dum Christum duos ordines in Sacerdotibus constituisse asserit, unum *summorum Pontificum*, alterum *Presbyterorum*. Eò respexit Theodulphus Aurelianensis Episcopus *epistola ad presbyteros seu Parochos Aurelianenses*, cùm ait: *Episcopos tenere gradum summi Pontificis Aaron.* Non aliter *summi Antistites* nominantur passim & Concil. I. Aurelian. C. 1. & aliis, nec non *summi Sacerdotes*, Tertulliano *lib. de Bapt.* Damaso *ep. 4.* Innocentio I.

non

rum uno loco in Epistolis. Concilio Taurinat. *c.* 1. *&c.* Episcopalis dignitas appellatur *eminentissima dignitatis apex & culmen Pontificale.* Concil. Toletan. IIX. *c.* 4. *c.* 7. *&c.* ubi varia.

Ernestina contra Episcopos porismata injuriosa confutantur.

Quæ annectit Eusebius, *quod Episcopi consentiendo in pacem religionis, vel aliam similem, ad contraria se obligent, qualia sunt, hæresi & hæreticis libertatem perpetuam & inconditionatam concedere; jura Ecclesiæ & Religionis in bonis Ecclesiasticis & secularibus, quæ hæreticis conceduntur, suffragio suo suspendere, imò abolere: præterea (quod iis Episcopis peculiare est, quorum diœcesis partem aut aliqua bona Ecclesiastica ibi sita hæretici occuparunt) jurisdictionem Episcopalem jure divino sibi competentem erga errantes oves & jus erepta repetendi in perpetuum abdicare; denique si unà cum Cæsare obligare ad hæresis introductionem, & Catholicorum expulsionem, vel seductionem adiuvandam. Quod multò atrocius est, si Episcopi cogitent, se etiam diœcesanorum & ovium à Deo commissarum depravationem promovendam, easque à se abigendas obligari, si contingat Principem secularem, in cuius ditionem diœcesis porrigitur, à fide deficere & per regulam alti scil. meri imperij, Confess. Augustanam subditis invitis introducere.* Hæc inquam Eusebiana annexa, nullius sunt momenti, ut ex superioribus ostendi potest. Jus religionis constituendæ & libertas ipsa ab usu vel abusu secernitur meritò. Illa & illud in pactum formaliter deductum est. Ubi usus vel abusus illius libertatis & juris sit, ad forum divinum remittitur, ab humano, ob evidentissimas causas, arcetur, relicta interim facultate utendi armis spiritualibus contra abusus illius juris & errores quoscunque liberâ. Suspensio, quam Episcopi suo suffragio ex inevitabili necessitate comprobarunt, actus exterioris fori solùm concernit, qui utplurimum controversi sunt & ita comparati, ut, illum cum Episcopali officio jure divino connexi sint, planè in controversia sit positum. Propterea jurisdictio Episcopalis jure divino competens nulla ratione coërcetur illis tractationibus. Ovibus errantibus fas est etiam in istius transactionis terminis, consulere, & fugitivas repetere. Ad hæc Cæsar non obligavit se ad hæresis introductionem & Catholicorum expulsionem ista obligatione, cum vel Lutheranis, vel Pontificiis libertatem religionis sartam tectam conservare promisit. Quicquid sit de hæresi, vel Catholicismo, ubi illa resideat, vel ille, ista transactione non est judicatum. Libertas conscientiis promissa est. Hanc qui usurpat ad eam religionem introducendum, quæ hæreseos nota judicio adversario denigrata est, sub tutela Imperij usurpat, quæ concernit libertatem, non autem religionis qualitatem. Totum enim illud, quod contra qualitatem religionis, quam hæreticam antea proclamarunt plurimi, decretũ est, quatenus ad forum exterius spectat, remissum est. Quod verò Episcopis tanquam atrocissimum cogitandum proponitur, merum glancoma est. Nullo modo obligantur ad promovendam depravationem ovium à Deo sibi commissarum, aut ad eas à se abigendas: si contingat Principem secularem, in cuius ditionem diœcesis porrigitur, à fide Pontificia deficere, & per regulam alti seu meri Imperij Confessionem August. subditis invitis introducere. Quicquid enim sit de depravatione, non obligantur ad pro-

movendum apud oves suas amplexum religionis Aug. Confessionis. Obligantur ad libertatem conscientiarum relinquendam. Non autem tenentur, ut conscientias in oppositam sibi sententiam promoveant. Tenentur oves, si nolint amplecti suam vocem, majoris mali causa impunitas relinquere, neque concitatis adversus ipsas variis suppliciorum tormentis vellicare. Ut à se abigant, non adiguntur. Princeps secularis, cum quoad publicum exercitium omnia ad Augustanæ Confessionis leges adornat, non eripit Episcopo suas oves. Pax religionis permittit illis, si velint, sequi pastorem suum. Altum seu merum imperium vim conscientiis nullam facit, nec dividit vincula, quibus oves suis pastoribus connexæ sunt. Quod enim in remedium tranquillandi conscientias sancitum est, illud ad earundem inquietationem & vulnerationem torqueri non debet. De cessione *bonorum Ecclesiasticorum*, res supra determinata est. Non alienantur ab Ecclesiasticis usibus, sed ab aliquorum Ecclesiasticorum. Ceduntur administrationi eorum, quorum conscientia apud Deum rationem redditura est. Ceduntur autem, ne cædes immanissimæ tot innocentium hominum & excidia patriæ multiplicia porrò cernantur.

Illud verò inter Eusebianas temeritates inprimis notandum venit, antequam hinc abeamus, quod non solum congressum transactionis Passaviensis causa institutum, in quo tamen præter Regem Ferdinandum I. Archiepiscopi Electores tres, itemque Salisburgensis, & Episcopi Eychstadiensis, Passaviensis, Wurtzburgensis, tum & Illustrissimi Imperij R. Principes alij partim ipsi, partim legatos convenerunt, sed & Augustissima Comitia Imperialia Augustana per velut *tractatum & consilium machinationibus contra Pontificem & Ecclesiam Rom. destinatum* traducat, *cui salva conscientia & juratoriis obligationibus neque Imperator, neque Ecclesiastici vel Electores vel Principes cæteri interesse potuerint*. Non sanè Comitia Imperialia ista tam ignominioso titulo erant notanda. Aderant, quotquot è Pontificiis aderant Principibus tùm Ecclesiasticis, tùm secularibus, ut libertatem suæ religionis & Ecclesiæ tuerentur, in quantum sub extremis istis necessitatibus poterant. Neque hic abesse licuit, ubi tum salus publica id requirebat, tum etiam officij ratio, qua vel ordines & membra Imperij Comitiis interesse tenentur. Aderant non occultè & inscio Pontifice, sed palam & præsentiæ famâ in omnes Imperij R. partes diffusâ. Non itaque, ut machinatores contra Pontificem. Aderant non machinandi & præjudicandi animo, sed jus suum extremis viribus & conatu maximo propugnaturi.

QUÆST.

QUÆSTIO VII.

Ad Rationem VI.

An pax religionis sit frustratoria ipsoque bello periculosior?

Ea est Ernesti quiritatio. Sic enim discurrit. *Pax eiusmodi est frustratoria, quia ex neutra parte obligationem inducit; defectu tùm materiæ, tùm potestatis obligandi. Defectus materiæ apparet ex cooperatione cum hæresi, injuria creatoris & veræ religionis, violatione denique officij, quæ in eiusmodi pace contineri demonstravimus rat. 1. 2. 3. 5. cum enim hæc secundum se sint illicita, nemo ad ea validè obligari potest.* Defectum potestatis *explicavimus rat. 4. Esse eandem* bello periculosiorem *persuadet hæreticorum* perfidia, *à qua pacem præ se ferente maius periculum Catholicis inermibus imminere, quam ab eadem à parte belligerante armatis, sapientes non negabunt.* Argumenta perfidiæ hæc enumerat I. Experientiam, *quia ab initio hæresis in Germaniam introductæ Protestantes nulla unquam pacta, nec pacem quidem religionis constanter & integrè servarunt. Detinent contra illam partim ante, partim post, occupatos XX. ferè Episcopatus cum innumeris Monasteriis: neque de illis restituendis cogitant. Recens in gratiam recepti fidem heri datam, hodie violant. Ante pacem religionis non adeò multa occuparunt, post cordatiores facti tantum rapuerunt, ut nunc duas ferè tertias partes imperij Germanici obtineant.* II. hæresis naturam. *Quia cum hæresis sit dissensionis mater, ea vigente in re religionis pax stabilis sperari non potest, nec credibile est, hæreticos qui fidem Deo debitam irritam fecerunt, eam hominibus præstituros.* III. hæreticorum sensus. *Quia detestantur religionem Catholicam, uti falsam, Deo & saluti animarum adversam, eaque opinione ad eam opprimendam continuò incitantur. Hinc Oratori Cæsareo opponere non dubitarunt,* non posse se absque læsione conscientiæ religiosos vel Catholicorum instituta tolerare, *ut refert Hortled. lib. 7. c. 4. num. 23.* His disputatis producit excusationem quandam prudentiæ carnis, hanc hæreticorum, quos vocant, perfidiam in patrocinium eiusmodi pacis & excusandas excusationes in peccatis detorquentis, quæ dicit: *Cæsarem & Status Catholicos sic paciscentes in praxi excusari posse, quod sciant hæreticos Pacem mox violaturos, ideoque nec ipsis conditiones illicitas servandas esse, nec animum eas servandi habere debere.* Vocat eam *mysterium non minus pseudotheologicum, quam pseudopoliticum* & tribus rationibus refellit: I. quia *pactum ex se illicitum non ideò extra culpam est, quia paciscens novit effectum per accidens non secuturum. Homicidij reus est, qui promittit alteri cædem innocentis, etsi provideat, se propter abitum illius, vel diligentem custodiam id effectui dare non posse. Etsi ergò constet, conditiones illicitas ob alterius partis perfidiam non fore servandas, non ideò extra culpam sunt paciscentes. Trahit enim pactum malitiam ex obiecto per se malo, eaque quoad substantiam completur in*

volun-

voluntate & actu paciscendi. II. quia *Cæsar & Status Catholici seriò paciscuntur cum hæreticis. Primum enim non mentiuntur. Habent ergò in animo, quod promittunt. Deinde confirmant, quod promittunt sub imperialis, regiæ & principalis dignitatis attestatione & in verbo veritatis ac fidelitatis. Tertiò religiosè pacem eiusque conditiones implere solent, cum promittunt. Denique etiam Protestantibus fidem frangentibus, ipsi eam constanter observant. Paciscuntur ergò seriò, sive cum intentione implendi, non solum ex natura pacti secundum se, verum etiam contra illius naturam, cum hæreticis fidem frangentibus fidem servant, quam nec dare potuerunt, nec si dare potuissent, ad alterius partis perfidiam ea tenerentur.* III. Denique *si semel conceditur, posse pactum ex se illicitum excusari, cum paciscentes sciunt, ob perfidiam alterius partis id non fore observandum, licebit quamtumvis impias conditiones pacis causa sancire cum quibusvis hostibus, quos constet ob notoriam perfidiam mox fore fœdifragos, fas erit Turcis aut Ethnicis, si pacem non aliter admittant, spondere, nos Mahometum vel Idola culturos & Alcoranum observaturos, modo constet, pace mox ab illis violanda, conditiones has non fore implendas.* Hinc nascitur

Dubitatio I.

An non in Pontificiorum scriptis pacifragij & bellorum sint semina?

Respond. 1. non esse mirandum, Ernestum tanta temeritate in Illustrissimos & Serenissimos Imperij Romani Principes & Proceres Augustanæ Confessioni addictos debacchari, cum in priori argumentatione nec Imperatorem aliter tractaverit, nec Episcopos & Archiepiscopos. Omnes Protestantes Imperij Romani Status perfidiæ arguit. Quis mirabitur hanc audaciam, qui meminerit, Archiepiscopos & Episcopos Imperij Rom. omnes violati juramenti reos dici. Parum profectò æqui esse & aures accommodare Eusebio Episcopi poterunt contra Protestantes Principes calumnianti, quem contra se tam iniquum & atrocem calumniatorem ipsi experti sunt. Nemini parcit ille Spiritus, de cuius insolentia tot jam querelæ lucem publicam adspiciunt. 2. Ernestum didicisse utriusque calumniæ, tàm eius, quam stringit contra Ecclesiasticos, quam eius, qua in Seculares & Protestantes Principes invehitur, aculeatam virulentiam ex tractatu de Autonomia, quæ sub nomine Fr. Burchardi prodiit. Ita enim ille part. 3. c. 32. pag. 432. disputat: Dieweil sich die Geistlichen der rechten Regul vnd Richtschnur / welche die alten Gottseligen Christen in dergleichen vngestümmen entstandenen Ketzereyen löblich vnd nutzlich gebraucht / nicht gemäß gehalten / sondern die Welt vnd den Teuffel (weil sie sich gekrümmet / vnd das Maul scheutzlich auffgeschrizet) mehr als Gott geförchtet / derselben das placebit gesungen / vnd da sie am aller mehsten vnd hefftigsten dem Wolff abwehren / vnd ihre Seele für ihre Schäfflin vnd den Catholischen Glauben setzen sollen / sich das Vngewitter

Ernestus apud Burchardum calumniandi contra A. C. cacoëthes attraxit.

schrecken

schrecken vnd dahin treiben lassen/daß sie der schnöden Welt zugefallen/ vnd jhnen selbst zu schaden (als wie vor Augen erscheinet) einen Anstand vnd (wolt Gott rechten) Frieden gemacht/ den widrig Catholischen mit jhren Gestifften vnnd Einkommen/deßgleichen die Freyheit in Glaubenssachen zu thun vnd zu ordnen/ was sie nur gelüstet/ vergönnet/ die Geistliche Jurisdiction vnd Hirtenstab/ wie auch den Kayserlichen Scepter (der jhnen von Gott/zur Straff dergleichen Ketzerischen Vnzifers/ vnd Vertheidigung seiner Kirchen/ so theür befohlen vnd vertrawt worden) auß den Händen reissen lassen/ vnd also ein vermeint zeitlichen vngewissen Frieden vmb den gewissen vnd ewigen/ vnd also die Huld Gottes vmb Menschliche Freundschafft (immemores huius Jacobi: an nescis, quod amicitia huius seculi sit inimicitia cum Deo) vertauschet; so ist es eben gangen/ wie es mit allen dergleichen Rathschlägen/ die man von der Sünden anfahet/ vnd den Befehl Gottes nicht vor Augen hat/ zugehen pflegt/nämlich daß man gleichwol die Einigkeit deß Glaubens/die Stifft vnd Klöster/sampt jhren Einkommen/ die Geistlich Jurisdiction vnd Hirtengewalt/ die Majestät vnd Authorität deß Reichs/ guten theils begeben vnd verlohren/ aber den gesuchten Frieden/ Vertrawlichkeit vnd Freundschafft/ dahin man fürnemblich gesehen/ dennoch nicht gefunden noch erlanget &c. Nec mitius in Protestantes & Augustanam Confessionem perorat, & nil, nisi quod ad extremam infamiam cumulandam conducit, per plurima capita agit. Nam parte 2. longo apparatu contendit, autonomiam esse à Diabolo, cap. 23. esse contra voluntatem Dei & tollere fidem, charitatem & spem, cap. 24. contra legem naturæ, Mosis & Evangelij esse, cap. 25. esse contra naturam, substantiam & proprietatem veræ religionis, cap. 26. tollere veritatem & certitudinem fidei, cap. 27. tollere certitudinem veræ Ecclesiæ, veri Ministerij, veri cultus divini, cap. 28. premere autoritatem & potestatem Ecclesiæ, cap. 29. evertere omnem obedientiam & disciplinam Christianismi, cap. 30. dividere unitatem Ecclesiæ Dei, cap. 31. aperire januam hæresibus, sternere viam ad Atheismum & Antichristianismum, cap. 32. repugnare verbo Dei, cap. 33. contrariari formæ primitivæ Ecclesiæ, cap. 34. damnari testimoniis SS. Patrum, cap. 35. nunquam in Ecclesia concessam fuisse, cap. 36. Christianos Cæsares & Magistratus eam non concessisse, cap. 37. excitare iram Dei & temporalia æternaque mala accelerare, cap. 38. Hæc capita ita deducit Burchardus, ut ubique gravissimis accusationibus oneret Augustanam Conf. & Proceres pro ea stantes & protestantes. Inter cætera eminet illud emblema, quod extat pag. 246. Das Evangelium, putà novum prætensum, ist irr vnd dummb/ wo ich hin kummb/ ist alles krumb/ vnd niemand frumm/ in einer summ/ man fallet vmb/ vom Papstumb/ zum Lutherthumb/ in Irrthumb vnd Ketzerthumb/ summa summarum, Es muß widerumb/ vom Lutherthumb/ zum Papstumb/ oder deß Teufels/per Deum sanctum. Eodem Spiritu Ernestus agitatur, quo Burchardus, & qui huic succinit Petr. Paul. Windeck. *in prognostico futuri Status Ecclesiæ*. Cæterum eius Spiritus audaciam sprevit Senatus Imperij Romani augustissimus, & nihilominus sanctis obligatio- *Et Windeccium.*

P

ligationibus Pacis religionis custodiam invicem sibi polliciti sunt eius Proceres sub sacratissimo Imperatore capite. III. dedisse nihilominus illam de pacis religionis validitate & qualitatibus reliquis disputandi licentiam sollicitudinum, suspicionum, nonnunquam etiam motuum apud aliquos causam. Ecce quanta confidentia scribit Windeck. *tract. seu deliberatione de haresibus extirpandis* p. 326. *Caterum, inquit, ne ob religionis dissidia animis exacerbatis pax Germania turbaretur, & Respubl. lenta discordiarum tabe interiret, aliam viam ceu mediam demonstrarunt viri quidam prudentes: nempe Ecclesiasticos utrobique proventus cuiq; suos annuos esse permittendos, non habita ratione diversa religionis: neminem alterius ditionis ad ipsorum religionem oportere pellici, multò minus hoc nomine defendi; sed tamen licere, ut recipiant, si quis velit ultro ad ipsos transire: hac tamen cautione, ut si forte Episcopi, aut alij Pralati quidam à Catholica fide descriscerent, abdicata dignitate & censibus veteri Statu relictis, Catholicis alios sua professionis in eorum locum surrogare liceret. Item qui ob religionem domicilium mutare cogitarent, ut iis aquo pretio bonis divenditis liberum esset migrare, quò vellent, & qui in servitute essent, tolerabili lytro manumitterentur. Hac lex in Conventu quodam Passaviensi, assentientibus plerisque Imperij Ordinibus, sancita esse dicitur, qua tantisper servanda esset, donec per Concilij Canones tum nondum promulgatos, quid in controversiis fidei sequendum, quidve fugiendum esset, omnibus liquidò constaret. Ex hisce recitatis Comitiorum decretis, non admodum stupido Lectori facilè liquet, ea liberam religionem nemini indulgere, sed Protestantibus tantum moratorium*, dilationem & tolerantiam *concessisse, quoad de plena cognitione causa ambabus partibus liqueret, qua judicium penes Concilium esse voluerunt, cui cum stipulata fide adversarii obsequentiam promiserint, at nunc eam contumaci rebellione servare nolint, quicquid turbarum ex libertate credendi, quam usurpatione non jure obtinent, enascitur, totum ipsis imputari debet.* Ita Windeck. Quanta sive ignorantia sive malitia omittit COMITIA AUGUSTANA, An. 1555. in quibus & plura capita pacis dictæ consignata sunt, & pleraque aliter concepta, & disertè cautum §. Und nach dem; *Si partium dissidentium conciliatio via generalis Concilii, vel nationalis congregationis, vel colloquii, vel compositionis imperialis obtineri nequeat, nihilominus pacem hanc in omnibus punctis & articulis usque ad plenam in rebus fidei & religionis conventionem & consensionem validam subsistere & inconcussam manere debere.* Hoc dum dissimulat Windek, & de transactione Passaviensi ceu negotio obscuro sermocinatur, & hæc quidem non in angulo solum mussitat, verum ad Sereniss. Maximilianum Austriacum, Ord. Teut. Supremum Mag. perscribit, non exiguam sanè variarum suspicionum sementem fecit. Sic & alij de pacificationis negotio ex argutiis scholæ ita philosophati sunt, ut totam dissolvisse sibi visi fuerint. An hoc ad fidem pertineat, quam Romano Imperio debemus omnes, an verò perfidiæ species sit, judicet æquus lector.

Conf. dubit. 2. sub finem.

Dubi-

Dubitatio II.

An in Protestantium publicis actionibus perfidiam doceat experientia?

Quod ad objectam Principum Procerumque A. C. perfidiam attinet, eam neque *experientia*, neque *hæresis*, neque *sententia eorum* confirmat.

Experientia perfidiam in Protestantibus non probat, quia egerunt non circa trãsacta, sed 1. circa controversa.

Non *experientia*. Nam quæ adducit Ernestus *partim controversa* videri possunt; *partim gravamina*. Ob neutra perfidiæ maculam aspergere possunt æqui rerumpublicarum judices, neque hucusque asperserunt. Ad CONTROVERSA refero, quod de Episcopatibus & Archiepiscopatibus allatum est. Tangitur enim ibi controversia de reservato Ecclesiastico. Extat quidem de eo clara dispositio in pace religionis §. 18. quam P. Denaisius *de Iur. Cameral. V. Pax Religionis.* paucis ita complectitur. *Ecclesiasticis à religione veteri recedentibus, quid de beneficiis fieri placeret, cum inter utriusque religionis Proceres non conveniret, Ferdinando Regi vi Cæsarea commissionis hunc in modum statuere visum est: Ecclesiastici à prisca religione recedentes, à beneficiis quoque eorumque fructibus, honore & existimatione illæsa, simul abscedunto, atque aliis ex veteri forma sufficiendis locum danto.* Eam nulla contraria consuetudine abrogatam esse, contenditur ex una parte, 1. quia licet ex more Comitiorum ita sit introductum, ut omnium ordinum consensu edicta firmanda sint, non tamen eousque id extendi debet, quasi Imperator vi Majestatis & supremæ jurisdictionis, tanquam arbiter, Statibus extremè dissidentibus, suam liti ferventi autoritatem interponere nequeat. Si enim ita esset, nihil supra ordines cæteros ille emineret. II. quia Protestantes Regi Ferd. decisionem in eo negotio permiserunt, & sua subscriptione firmarunt. Ex altera prætenditur, has rationes non militare; non enim 1. sequi; Imperator quandoque velut arbiter ex plenitudine potestatis in dissensu partium suam autoritatem potest interponere. Ergo etiam in hoc casu. Nam in aliis casib. Imperatorem agere ut Imperatorem, ubi ceu supremus judex lites ortas sæpè ex vi suæ jurisdictionis, etiam dissentiente altera parte, dirimere potest. In hoc casu considerandam esse transactionem, in qua ipse etiam Imperator ex una parte transigentibus interfuerit. Itaque nihil transactioni inserere potuisse, invita altera transigentium parte. 2. non satis clarum esse, protestantes huius puncti maximè controversi decisionem Regi commisisse. Imò potius decisionem factam esse in Krafft Röm. Kays. Maj. gegebener Vollmacht vnd Heimstellung. Cæsarem igitur, non autem Protestantes Proceres in arbitrium Regis Ferdinandi resignasse hujus negotij expeditionem. Velle quidem Burchardum part. 1. pag. 15. etiam ex parte Protestantium aliquam resignationem in arbitrium Regis factam esse, ex libello supplici, 20. Sept. A. 1555. ante promulgatam Pacem ab Electoribus & Principibus exhibito Regi Ferdinando; ideoque ad marginem scribere, Confessionisten stellen den Geistlichen

Reservatũ Ecclesiasticum expenditur.

Vorbehalt der Kön. Maj. heimb. & post libellum inferre, Auff diese der Confessionisten Heimbstellung &c. Sed longè aliud loqui verba libelli, quæ ita habent: Da aber E. Röm. Maj. je auff obbemelter jhrer resolution beruhen/diese andere Ihr Chur- vnd F. Gn. hochbewegende vnd dringende Vrsachen sich darvon nicht abwenden lassen wollen/ sondern diesen Articul/ wie er von E. Kön. Maj. gesetzt/an statt auff Heimbstellung/auff habenden Gewalt/auch Vollkommenheit der Kays. Maj. vnsers Allergnädigsten Herren/vnd also von wegen jhres obligenden Ampts vnd für sich selbst zu verordnen/ endlich entschlossen: So wissen Ihre Chur- vnd F. Gn. E. K. Maj. vber beschehene vnderthänige Bitt/ vnd fürwendung hierinn kein form vnd maß zusetzen. Et post. Aber darneben wollen Ihr Chur- vnd F. G. sich jhres Gewissens halben diß erkläret haben/ daß sie für sich in solchen Articul nicht willigen könten &c. Manere itaque reservatum Ecclesiasticorum tanquam articulum nulla transactione, nullo consensu Confessionistarum compositum, sed potius & hac & pluribus aliis protestationibus impugnatum, quod & P. Mindanus *lib. 1. de process. c. 29. sect. 3. in fin.* observavit. Impugnationis illius causas esse, I. *quia* ignominiosum esset Statibus imperij Ecclesiasticis, si mutata religione & acceptata Augustana Confessione exciderent beneficiis & dignitatibus. II. *quia* hoc edicto via aliis ad Aug. Confessionis amplexum præcluderetur. III. *quia* hoc ad infamiam Aug. Confessionis & illi adhærentium pertineret, quasi quæ incapaces redderet dignitatum Ecclesiasticarum. IV. *quia* sic liberæ in Concilio voces impedirentur, si quis pro Aug. Confessione locutus dignitatis subiret periculum &c. Et his quidem protestationibus atque impugnationibus nunquam renuntiasse Protestantes; quin potius in possessione sua perstitisse, & quod in transactionem deducere voluerunt, usque ad ultimam controversarum rerum decisionem in viridi retinuisse observantia: neque igitur amplius obligare potuisse recessum illum Conciliorum An. 1555. Protestantes Principes & Proceres, circa reservatum Ecclesiasticum, quam quatenus in transactionem venit, & quousque altera transigentium pars non contradixit, aut protestata fuit. Hinc & in Comitiis Ratisbonensibus An. 1556. 22. Decembr. suum illud contra reservatum Ecclesiasticum postulatum repetierunt, vide Burchard. Auton. part. 1. fol. 19. quod & ulterius deducit eorundem ad Cæsareum responsum replica, de 17. Febr. 1557. itemque triplica de 12. Mart. 1517. denique repetitio facta in Comitiis Augustanis An. 1559. ut jam, quæ in Ratisbonensibus cæterisque Comitiis acta sunt, taceamus. Jam ad quod quis nunquam fidem suam obstrinxit, præsertim si transigendi potestatem habeat, imò à quo quis per expressam protestationem fidem suam liberam & indevinctam conservavit, in eo perfidiæ crimen non potest incurrere, si contra illud agat. At ad dispositionem circa reservatum Ecclesiasticum Protestantes nunquam fidem suam obstrinxerunt, qui in transactionis potestate & autoritate cum Pontificiis constiterunt, imò ab eadem per expressam protestationem fidem suam liberam & indevinctam conservarunt. Ergo perfidiæ crimen incurrere non possunt, si contra illam dispositionem de reservato Ecclesiastico

siastico

ſiaſtico egerunt, & hactenus conſcientiam ab illo ſcelere benè defenſam retinuerunt. Id Pontificij tanto facilius ſibi perſuadebunt, ſi conſideraverint, quantum proteſtationi Card. Otthonis Epiſcopi Auguſtani hucuſque tribuerint, qui unus contra totum Senatum imperij, qui ad tranſactionis Paſſavienſis conſummationem & ulteriorem tranſactionem congregatus Auguſtæ fuit, inſurrexit, & ſuam diœceſin ab omnibus obligationibus capitum in Comitiis expeditorum planè liberam eſſe voluit. Ponamus, deceptos fuiſſe in illa opinione ſua *circa reſervatum Eccleſiaſticum*. Non tamen propterea perfidiæ crimen admiſerunt. Præſertim quia hic nihil ex deſtinata animi malitia egerunt, ſed rationibus atque modis in Imperio Romano receptis jus ſuum proſecuti ſunt. Quod ad GRAVAMINA & querelas attinet, certum eſt, Pontificios quam plurima cumulare, quibus ſe oneratos eſſe ſubinde conqueruntur. Sed & illud negari non poteſt, ſummas difficultates & moleſtias ſibi ex adverſo impoſitas à Proteſtantibus exponi. Et provocatur utrinque ad experientiam. Quid hic pronunciandum? Clamandum ne illicò, *perfidia! perfidia!* Atqui non eò proruent ſapientes è Pontificiis, qui Reipublicæ præſunt. Neque Proteſtantes fœdiſſimi ſceleris reos arguent Pontificios. Potius res in controverſiam deductæ Senatui Imperij ſubjiciendæ, & prudentibus remediis erroribus, ſi qui utrinque inciderunt, occurrendum. Nulla ſanè tanta experientia eſſe privato debet, quæ ad iſtam animet vocem, ut Imperij Proceres magno numero in eodem capite conſentientes, neque publicam fugientes lucem, perfidiæ accuſet.

2. Circa Gravamina.

Dubitatio III.

An Proteſtantium doctrina ſit ad rumpendam pacem inclinans?

Non *hæreſis*, quam vocat Erneſtus, hoc eſt, ea religio, quæ ratione præcipuorum capitum in Auguſtana Confeſſione ex poſita eſt. Ea enim neque diſſenſionis partus & mater eſt, neque contrarios affectus inducit, animaſque exacerbat. Neque enim ipſa doctrina, quam ſub nomine hæreſeos traducunt, ad perfidiam deducit, neque ipſa ſeparatio & ſeceſſio ab illa Eccleſia, quæ hanc doctrinam damnat. Non illa; neque enim unicum caput doctrinæ Auguſtanæ Confeſſionis oſtendi poteſt, quod ad perfidiam, aut rupturam pacis religioſæ inducere poſſet. Non hæc. Si enim ipſa ſeparatio & ſeceſſio ab illa Eccleſia, quæ doctrinam à Confeſſione Auguſtana propoſitam damnat, ad perfidiam aut rupturam pacis religioſæ induceret, pariter & illa ſeparatio & ſeceſſio perfidiæ fuiſſet genetrix, qua Chriſtiani ſeſe ſepararunt à Judaica Eccleſia & ſeceſſionem fecerunt. Sed & illa perfidiæ genetrix dicenda fuiſſet, qua ſeſe Chriſtiani à Gentilibus ſepararunt. Ea quidem Gentilium fuit calumnia, quam retuderunt jam olim Arnobius *diſſert. contra gentes lib. 1. & 3.* Origenes *in Matth. 24. tract. 28.* Tertullianus

Hæreſis, ut vocatur doctrina A. C. perfidiæ autor non eſt.

*Apolog. cap.*40. Augustinus *Tom.*1. *serm.*59. *Tom. IIX. in Psalm.* 80. *de Civ. Dei lib.*2. *cap.*2. & 3. Cyprianus *ad Demetrian.* Confer Elmenhorstium *in not. ad Arnob. p.*2. Divino tamen jussu illa facienda fuit. Ludovicus ab Alcasar *in cap.*18. *Apocalypſ. verſ.*4. huc accommodat illa verba: Exite ab illa populus meus &c. *Quod*, inquit, *Deus suis familiaribus edicit*: Exite de illa populus meus, *in eo se accommodat ad allegoriam, quam in Roma Ethnica eversione per cœlestem vindictam gravissimam figuratâ usurpabit. Quamobrem sicut Deus suos interdum amicos admonuit, ut ex hac vel illa urbe egrediantur, quando illam statuit evertere, ut in Sodomæ exustione & in Hierosolymæ vastitate accidit. Sic etiam Romam quatenus idololatricam devastaturus, suos præmonet fideles, ut ex Ethnicorum commercio & societate evadant, non quidem corporea sibi fuga consulendo, seipsos manifestè prodendo, & Christi religionem propalam profitendo. Hoc enim perinde est, quasi gentilium partibus derelictis, ad contrariam factionem transmigrare. Illos igitur admonet, ne se amplius occultent: esse enim valdè periculosum, suam adhuc celare fidem, quando Dei instinctus & maior ipsius gloria publicam exigunt professionem &c.* hæc Alcasar. Quæ rectè ad Romam Antichristianam referri, docent Franc. Ribera *Comm. h.l.* Blasius Viegas *in Comment. ſ.*4. *pag.* 791. Neque ergo perfidiæ se contaminabunt fœditate, qui à Roma Antichristiana se separabunt.

Petrarcha de Roma.

FRANCISCUS PETRARCHA Florentinus, Archidiaconus Parmensis, & Canonicus Patavinus inter epistolas sine titulo XII. amico cuidam suo & optimo cuique suadet secessionem & separationem ab Avinione sede Papali tum temporis in Galliis, & inter cætera *pag.* 629. hæc verba habet. *Quid viro optimo cum pessimis locus? quid tibi cum Babylone? Fortissimos Romanorum legimus vitare solitos Campaniæ Baias, apricum & salubrem locum, ubi ut exiguum honestatis, sic saltem voluptatis & lætitiæ multum erat, adeò rebus omnibus neglectis, uni studio virtutis intenti erant. Si hoc ita est, quis non Rhodanum vitet? Quis oro non fugiet Babylonem, & vitiorum simul omnium, & laboris ac totius miseriæ mœstam domum? De quo quidem aliquid nosse debes. Visa loquor, non audita, fato meo pessimo, in eas terras puer evectus, cui usque ad hanc ætatem indignari equidem, sed fortuna compedibus nescio quibus vincto magna illius partes ætatis in gemitibus abierunt. Novi expertus, ut nulla ibi pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reverentia, nullus timor, nihil sancti, nihil æqui, nihil pensi, nihil denique vel humani. Amor, pudor, decor, candor inde exulant. De veritate quidem sileo, nam quis usquam vero locus, ubi omnia mendaciis plena sunt, aër, terra, domus, turres, vici, atria, plateæ, porticus, vestibula, aulæ, talami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diversoria ædium, penetralia templorum, judicum subsellia, Pontificum sedes? Ad postremum, ora hominum, nutus, gestus, voces, frontes, animi? Quid ais? an mentior, an verò de mendaciis verum loquor? Si illic fuisti, & nullo tui maiori negotio distractus, in nefariam illam scelerum scenam acumen ingenii atque oculos intendisti, alium judicem non optabo: quam scilicet omnia ibi virtute veroque sint vacua, plena criminibus, plena fallaciis, plena fucis, plena blanditiis, plena pessimis artibus, ambitionis, avaritiæ, superbiæ, livoris. vidisti fictè & inaniter*

fieri

fieri omnia, non tantum hominibus, sed Deo: notasti subdolos risus, flebilia corda, serena supercilia, nubilas mentes, molles manus, actus asperrimos, angelicas voces, dæmoniacas intentiones, suaves cantus, ferrea pectora, & verba prædulcia, pulmone amaro & sicco ore cadentia, summisque labiis vix expressa, in quibus planè Davidicum illud impletur, Molliti sunt sermones eorum super oleum & ipsi sunt jacula. Neque verò impunitum est apud eos modò, sed gloriosum etiam est mentiri, ceu maioris sit ingenii, qui fefellit, maioris status, quem increpare audeat nemo. Et recitato memorando abominabilique exemplo, subjicit. *Oro, obsecro, obtestor, adjuro te per temetipsum, si tibi charus es, si solitam animæ curam geris, ne quando tibi posthac in cor veniat illuc ire, unde nemo unquam exemplo melior, pessimi autem innumerabiles rediêre. Adde quod nemo unquam inde non mœstus exivit, nisi fortè latus, quod evaserat, & infaustum limen fusco calle repererat &c.* Hæc Petrarcha; qui dum separationem illam suadet, nullo modo ad perfidiam aut perfidiæ matrem deducit. Non deesse principia ad perfidiam disponentia in scriptoribus nonnullis Pontificiis, alibi demonstratum est. Dominicus Bannes *in 2. 2. q. 12. art. 2. Post latam*, inquit, *sententiam declarativam de crimine hæresis injustè Princeps principatum, aut regnum habet, & exercet jurisdictionem in subditos, tenenturque subditi se eximere ab eius obœdientia, & bellum gerere contra illum, si vires suppetunt. Ex hac conclusione sequitur primò, excusandos esse Anglicanos & Saxonicos fideles, qui se non eximunt à potestate superiorum, nec bellum contra illos gerunt, quoniam communiter non habent facultatem ad hæc bella contra Principes & imminent illis pericula gravia.* Tannerus *Tom. III. Theolog. Scholast. disput. 1. quæst. 8. dub. 6. num. 121.* hanc sententiam etiam tribuit Alphonso de Castro *de justa punit. hæretic. lib. 2. cap. 6.* Cardinali Caietano *in 2. 2. quæst. 12. art. 3.* Gregor. de Valent. *Tom. 3. quæst. 12. punct. 2.* Victor. *relect. de Indis sect. 1. n. 14.* Aragonio *2. 2. q. 12. a. 2.* Azor. *Inst. moral. T. 1. l. 8. c. 13. q. 8.* & vocat communem, conaturque rationibus probare.

Notum etiam est fundamentum GUIL. ROSSÆI, quo omnem Protestantibus datam fidem elidit, *lib. de iusta Reipublica Christianæ in Reges impios & hæreticos autoritate*, quem A. 1592. Antuerpiæ edidit. Est autem hoc: *Protestantium hæresin Paganismo esse deteriorem.* Rationes has habet. 1. *Quia* Pagani prædicabant, se accepisse suas religiones à Diis immortalibus, Lutherus fatetur suam doctrinam venisse à Diabolo. 2. *Quia* Pagani, ut & Turcæ habent in suis religionibus aliquam professionem castitatis: Hæretici docent neminem posse castè vivere, & professionem castitatis non ferunt. 3. *Quia* Protestantes multò magis de sua religione inter se dissentiunt, quam Gentiles de Ethnica. 4. *Quia* crediderunt religioni sacrificium connexum esse, Hæretici nullum habent. 5. *Pagani* orarunt pro defunctis, quod Protestantes respuunt. 6. *Pagani* crediderunt animas immortales & earum mala opera post excessum è corporibus suppliciis castigari: Protestantes utrumque non credunt. 7. *Quia* Protestantes multò superbiùs contemnunt primarios in religione Antistites, & Ecclesiam primitivam, quàm Pagani. 8. *Quia* Protestantes infinitè impudentius in decretis suis tuendis mentiuntur

Rossæi in A. C. calumnia.

tiuntur

tiuntur, quàm Pagani. 9. *Quia* Synagoga Protestantium quoad regimen Ecclesiasticum turpius est ordinata, quàm Paganorum. 10. *Quia* Protestantes de operibus bonis, item de Deo malorum operum vel bonorum remuneratore nequius, & sceleratiùs docent, quàm pagani. 11. *Quia* Protestantium doctrina de sola fide directè negat judicium extremum & Christum judicem redarguit injustitiæ, estque magis blasphema, quàm Alcoranus Mahometi. Hæc disputat Rossæus cap. 4. latissimè, & tandem pag. 264. concludit: *Quæ cum sint adeò & hominum moribus damnosa, & humanæ dignitati atque indoli adversa, & virtuti infesta, & religioni sive Christianæ sive etiam Paganæ, quæ naturalia quædam habet Dei ritè colendi principia, maximè contraria, & denique in Christi ipsius summique Dei maiestatem nimium injuriosa & blasphema, ut Paganos & multè honestius vixisse, & multò castius prædicasse, & infinitè religiosius Deum coluisse, manifestis exemplis & documentis pateat,* positum *sit ergo &* fixum, *veterem Paganismum novo hoc Evangelismo multò esse diviniorem, & veterem Paganum esse novo Evangelico Protestanti præferendum, & si quando de Magistratu Pagano vel Evangelico à Christianis eligendo incidat contentio, longè fore rebus Christianis consultius, ut Paganus potius quàm Evangelicus assumatur, sive ut in Ecclesia populum Christianum doceat, sive ut in republica populi Christiani gubernacula suscipiat.* Hæc Rossæus, quem esse Gilb. Genebrardum tradit autor deß Calvinischen Models deß H. R. Reichs / Christianus Golliet Pontificius scriptor *cap. 10. pag. 276. apud Lundorpium in Act. pub. Tom. 2.* Nolo nunc plures alios cumulare. Non ignota sunt Principibus & Proceribus pontificiis ista contra Protestantes suorum Doctorum pronunciata. Neque tamen qui salutem publicam sartam tectam cupiunt, & Principum Christianorum concordiam seriò amant, sibi persuadere, possunt eam illis animo sedere sententiam, quæ postulatis illis conformis sit, & à qua aliquod periculum pacis publicæ corroborandæ consilia & pacta metuere necesse habeant. Quantò minus ab ea doctrina, in qua ne minimum quidem est, quod pacem lædere queat, aliqua perfidiæ parturitio timeri debet. Confer supra D. Mageri elogium *pag. 56.*

Dubitatio IV.

An sensus Protestantium rupturam pacis facta timere jubeat?

Sensus Protestantiũ de Papismo consentit Catherinus.

Non *sensus Protestantium*, quos Ernestus hæreticos vocat, argumentum metuendæ ab ipsis perfidiæ præbet. Id sanè nunquam Protestantes fatebuntur, se detestari religionem Catholicam, uti falsam & saluti animarum adversam. Discernunt omnes inter religionem Catholicam & Papismum. Illam amplexantur & tanquam sub Papismo pressam in libertatem vindicatum eunt. Hunc omninò detestantur & in se, & in pertinacibus, & iis, qui propter eius repulsam innocentes Christianos ad sanguinem usque persequuntur. Detestari profectò in papis-

in Papiſmo illis licebit id, quod ante centum annos deteſtatus eſt Ambroſius Catherinus Senenſis Dominicanus, Compſæ Epiſcopus *in præfatione ad Speculum hæreticorum, Paulo III. facta edit. Lugd. anno 1544. pag. 7.* Obſecro, *inquit*, liceat mihi, Pater ſancte, quod jam nimis patet, quod nullo poteſt velamine tegi, nullo adumbrari aut excuſari prætextu, palam de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, confiteri. A planta pedis uſque ad verticem vix ulla in eo ſanitas, ut propter nos apud perfidos Chriſti nomen blaſphemiis traducatur. *Et in ipſo Speculo pag. 68. & ſeqq.* Inficiari, *inquit*, non poſſumus, multum à vera pietate aberratum eſſe à noſtris, qui per indulgentias quæſtum improbum & deteſtabile aucupii genus, non Dei honorem, non Eccleſiæ ædificationem, non veram pœnarũ remiſſionem exercebant. Ad hæc ſimili modo excommunicationum & interdictorum & cenſurarum, ut vocant, nimia erat profectò & odioſa frequentia, quæ paſſim & indignè, ac ſæpe pro nihilo etiam nunc proferuntur. Sed non erat hæc eius mali medela, ſummovere propterea hanc ab Eccleſia poteſtatem, quæ venit à Chriſto. Admittebantur adulteria, ſcortationes, & alia carnis infanda flagitia in Dei Eccleſia, etiam ab iis, qui vel altaris ſervitio tenebantur, vel ad obſequium Chriſti perfectius ſeſe caſtraverunt ob regnum Dei. Erat & in noſtris juſta querela, quod profuſos Eccleſiarum reditus, non in pauperum refocillationem, non in ſacrarum ædium inſtaurationem, & alias pias cauſas refunderent, ſed his ad luxum, ad pompam, in paraſitos, meretrices, canes, equos & familiam numeroſam & otioſam abuterentur. Heu, quod omnium eſt fons & radix malorum, promovebantur ſive ad ſacerdotium, ſive ad Epiſcopatum, indigni, valdè illiterati, nullam de lege Chriſti ſcientiam habentes, neophyti, adoleſcentes, pueri, & plurimos, quorũ Deus potius venter eſt, Bacchus, aut Venus, quàm Deus verus ac vivus, videre licuit prius infula ſummarum dignitatum donatos, quàm primam verticis accepiſſe tonſuram, quod eſt res ſummoperè DETESTANDA ac deploranda. Viguit etiam heu nimis diu in Eccleſia, Simoniaca labes. Nam bona Spiritus quaſi ſub haſta & præcone licitatoribus videbantur expoſita, quo ſacrilegio vix ullum maius. Tractabant & noſtri Eccleſiaſtæ in ſuggeſtu Dei verbum, ut verum fateamur, non, ut decebat, purè, ſed vel curioſis quæſtionibus, vel fabulis, & iis, quæ minus ad ædificationem faciunt, admixtis contaminabant, ut de rebus fidei & Chriſtianis moribus ac præceptis vix ullum verbum. Erant & qui plus æquo libero tribuebant arbitrio in natura lapſa, quo gratiæ Chriſti, qua indigemus aſſiduè, derogabatur. Peccabatur & circa pœnitentiæ ſacramentum, ſive nequiter, ſive imperitè ab iis, quibus retinendi, remittendique peccata data erat facultas, ut vix in aliquo fructus dignos cerneres. Fateor, ſuperfluis & importunis interrogationibus laquei nonnunquam infirmis conſcientiis jaciebantur, & ſcrupuli ingerebantur anxii valdè nimis. Abierant & malo exemplo in deſuetudinem pœnitentiæ publicæ pro delictis, & quæ ſecretò imponuntur, tam ſunt remiſſæ, ut vix putes relevare tantillum. Huc autem ob duritiam noſtram proceſſum eſt. Habebat & nonnullos, qui mei loci erant, hoc

Q eſt, re-

est, regularis vitæ professores, hic pharisaicus morbus, ut externis quibusdam operibus plus satis fiderent, & ibi substantiam ponerent pietatis, ubi non erat, ignorantes maiora opera charitatis, & cum supercilio judicium aliorum sibi temerè vindicantes, atque ita suam justitiam statuentes, ut gratiæ Dei vix quicquam ferrent acceptum. Nec inficiabor, sed dolebo potius, quod multi sunt similiter ex nostris, qui cùm semel se castraverunt propter regnum Dei, ac vitam cœlibem, ac simul reliqua, quæ ad statum perfectioris justitiæ requiruntur, professi fuerint, id flagitiosissimè labefactant, quasi Deus valeat irrideri, ut non solùm detur agnosci cœlibatum fictum ac simulatum, sed manifestissimis quoque prostitutionibus fœdatum liceat intueri. Nec illud nego, Sanctorum venerationes non secundum spiritum, sed secundum carnis affectum, à plerisque solitas celebrari, in æmulatione & contentione, & comparationibus odiosis, dum quisque Sanctum suum, hoc est, cui carnalem aliquam ob causam afficeretur, plus satis effert, aut etiam aliis præfert, præsumto arroganter judicio, & interim sancta ipsa Trinitas & Dominus Jesus ipse vix in mentem veniat, ut debitè coleretur. Querebantur etiam nonnulli, quod & ipsa B. Virgo super ipsum Christum extolleretur in cultu, & tanquam omnium supremum numen suspiceretur à multis. Addebant &, quod supposititiæ Sanctorum reliquiæ pro veris in veneratione habebantur, idque turpissimi quæstus gratia. Quæ certè si vera sint, defendi jure non possunt. Quoniam non S. Patres nos docuerunt, nec Ecclesiastici Canones. Invaluerat & detestabilis mos in Ecclesia, ut missæ penè venderentur, ut numero etiam certa merces assignaretur: sic pro vivis atque defunctis applicabantur à multis, modo certè mercenario & improbabili. Patebat etiam in picturis sive in sculpturis nonnullus abusus, quod multa lascivè, plurima ineptè, nec pauca, quæ constantis veritatis non erant, sed vel pictorum veteri licentia conficta, vel ex Apocryphorum monumentis accepta. Molestum erat & illud, quod nonnihil turbarum alebatur in Ecclesia per sectas Scholasticorum, dum quidam Thomistas, alii Scotistas, quidam Occamistas, illi reales, hi nominales vocabant, & pro oraculo quisque accipiebat, quod à Magistro suo didicerat. Hoc certè gravi dignum reprehensione. Movebat & stomachum probis viris nonnulla præsumtio Magistrorum, qui Magistri nostri dicuntur, & dici gaudent, quorum jam tanta est multitudo, ut vel hoc solo gradus iste dignitatem amittat. Mitto, quod plurimi huc absque sudore & algore, & absque merito ullo adscendunt, stivâ digni potius, quàm cathedrâ. Erat etiam apud multos, sit fas vera loqui, nec sine operæ pretio, nimis interdum quorundam vetustiorum sacrosancta & irrefragabilis autoritas, ut quod semel pronuntiasset vel Augustinus, vel Hieronymus, vel Ambrosius, vel Gregorius, vel alius quilibet, sive ex Græcis, sive ex Latinis, cuius illustre nomen in Ecclesia vigeret, id continuò, quasi à Spiritu sancto profectum, acciperetur. Nec sanè advertebatur, quod hac persuasione non solùm multum accedebat incommodi, ad assequendas nonnullas veritates, verùm etiam magna præbebatur ansa ad quasdam hæreses

sustinen-

sustinendas. Pelagius enim D. Ambrosij & quorundam veterum clari nominis autorum nitebatur sententiis, ad suam hæresin comprobandam. Donatus similiter Cypriani & aliorum nobilium tractatorum autoritate defendebat suam. Græci quoque, quod Spiritus Sanctus non procedat à Filio, nec infimis autoribus sustinere conabantur. Denique potuissem & alios multos in nostris nominatim recensere, atque damnare abusus. Sed quia nemo est inter nos tam perfrictæ frontis, ut eat inficias, & jam in confesso est. quod vix est ullus, qui quærat, quæ sunt Jesu Christi, & vix quicquam de mandatis Apostolicis servetur, in ordinando præsertim pastores & Episcopos & altioris culminis viros ad regendum & pascendum idoneos, qua in re versatur tota Ecclesiæ reformatio, vel deformatio, ne videar mei seculi taxare mores, & quod in aliis reprehendo, quod oportunum non est, ipse committam, in hoc tandem quiescam. *Hæc Catherinus.* Hunc de Papismo sensum habuit suo tempore Catherinus.

Nec melius PETRARCHA *in ep. sine titulo XVI. ubi de Sede Pontificis Avinionensi, p. 143.* Omne, *inquit*, ibi bonum perditur, sed primum omnium libertas, mox ex ordine quies, gaudium, spes, fides, charitas, animæ jacturæ ingentes. Sed in regno avaritiæ nihil damno adscribitur, modo pecunia salva sit. Futuræ ibi vitæ spes inanis quædam fabula, & quæ de inferis narrantur, fabulosa omnia, & resurrectio carnis, & mundi finis, & Christus ad judicium venturus, inter nænias habentur. Veritas ibi dementia est, abstinentia verò rusticitas, pudicitia probrum ingens, denique peccandi licentia magnanimitas & libertas eximia, & quò pollutior, eò clarior vita, quò plus scelerum, eò plus gloriæ, bonum nomen cœno vilius atque ultima mercium fama est. *Et post pag. 644.* Vis pulchritudinem Dei noscere, cerne, quanta est hostium eius obscœnitas. Non sunt autem longè quærendi. Babylone habitant. Omnis vicus his vermibus scatet. Vis formam ac decus honestatis agnoscere? Contemplare, quanta est fœditas vitiorum, quorum omnium exemplar, in oculis est tibi. Quocunq; respexeris, videbis cuius odio simul Dei ac virtutis amantior fieri queas. Tu autem gaude, contrario saltem magistro virtutum: gaude, inquam, & ad aliquid utilis inventa, gloriare, bonorum hostis & malorum hospes atque asylum, pessima rerum Babylon, feris Rhodani ripis imposita, famosa dicam an infamis meretrix, fornicata cum regibus terræ. Illa equidem ipsa es, quam in spiritu sacer vidit Evangelista. Illa eadem, inquam, es, non alia, sedens super aquas multas, sive ad litora tribus cincta fluminibus, sive rerum atque divitiarum turba mortalium, quibus lasciviens atque secura insides, opum immemor æternarum, sive, ut idem, qui vidit, exposuit, Populi & gentes & linguæ aquæ sunt, super quas meretrix sedet, recognosce habitum. Mulier circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis eius. Noscisne teipsam Babylon? Nisi illud fortassis errorem facit, quod in illius fronte scri-

Petrarcha.

ptum erat, Babylon magna, tu verò Babylon parva es. Parva utique murorum ambitu, sed vitiis & ambitu animorum & infinita cupidine cumuloque malorum omnium non magna modo, sed maxima, sed immensa es. Et certè, quod sequitur, tibi uni convenit, non alij: Babylon mater fornicationum, & abominationum terræ, Mater impia partuum pessimorum, quando quicquid usquam terrarum abominabile, quicquid fornicatorium, ex te prodit, & cum semper parias, semper tumens, & talium plenus ac gravidus uterus tuus est. Si nunc quoque dissimulas, audi & reliqua. Et vidi, inquit, mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum JESU. Quid sitis? Aut aliam hoc sanguine ebriam ostende, aut omninò, si potes, hanc te ebriam nega. Vera enim Evangelistæ & Apostoli visio sit oportet, qui si te in spiritu videns miratus est admiratione magna, quanta nos admiratione perfundemur, qui apertè oculis te videmus? Ex omnibus quidem fornicationibus tuis, de quibus biberunt omnes gentes, & Reges terræ, & ex omnibus abominationibus quid expectes, nisi quod Johannes idem ait; Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum. Nota sunt, quæ sequuntur. Verè jam talis facta es. quanto enim homo perditus & desperatæ nequitiæ dæmone melior? Verè habitatio, imò regnum dæmonum facta es, qui suis artibus humana licet effigie in te regnant. Tu verò amice cum eodem Apostolo audi vocem aliam de cœlo dicentem. Exite de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis, quoniam pervenerunt peccata eius usque ad cœlum, & recordatus est Deus iniquitatum eius, quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum, quia in corde suo dicit; Sedeo Regina, vidua non sum, & luctum non videbo, imò in una die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igni comburetur, quia fortis est Deus, qui judicabit illam. Hæc & quæ Apostolicus ille locus habet, audi omnia, audi & fuge, si qua via est, nec innocentiam tuam ruinæ nocentium & Babylonicæ premant iniquitates, quarum non modus, non numerus, non mensura, non extimatio demum est. Taceo hæreditatem Simonis, & illam hæresis speciem non ultimam, Spiritus Sancti dona mercantium. Taceo mali illius avaritiam matrem, quæ Idolorum servitus ab Apostolo dicta est. Taceo utriusq; pestis artifices & concursantes Pontificum thalamis proxenetas. Taceo crudelitatem humanitatis immemorem, & sui ipsius oblitam insolentiam, atque illos vanis flatibus tensos utres. Taceo denique illa prodigia, quæ insensibilis vereque orbus terrarum orbis tandiu quasi Ætnam Enceladus, aut Typheus Inarimen pati potest, quorum omnium mœsta nimis & severa narratio est. *Hæc Petrarcha*, quæ claudit nefandarum libidinum commemoratione & detestatur. Cum verò sibi persuasum habeant Protestantes, res vix nunc meliori loco stare, ibi, ubi tamen acropolis fidei collocatur, quis succensebit, si detestentur, quanquam stylo longè mitiori, quod Catherinus suo seculo, suoque Petrarcha detestati sunt.

Fiat

Fiat, quod suasit Paulo III. Pontifici Catherinus, & acquiescent procul dubio Protestantes. Sic autem proponit remedium ad tollenda dissidia & scandala religionis accommodatissimum. *Qui de cœlo sapere videntur, unum præcipuè desiderant, tanquam faciendum, eò quod sine hoc cætera nihil promoveant, hoc verò etiam sine aliis rem ad optatum finem perducat. Id vero non aliud est, quam quod è proposito à nobis mystici serpentis typo eleganter elicitur. Nam perseverante & grassante clade illa in populum, cum rogasset Dominum Moses, non aliud ab eius clementia remedium didicit, quam ut serpentem faceret atque illis erigeret in vexillum. Considera, obsecro te, D. Paule, per mansuetudinem Christi, divinum oraculum. Non dixit, ite adversus serpentes, interficite illos, ego ero vobiscum. Nec ad incantandum eos arcana ulla monstravit: quippe qui sciret, se tales immisisse, ut per Ieremiam locutus est, qui nulla incantatione domarentur. Quid ergo dixit? En verbum divinum. Fac, inquit, serpentem ignitum & pone eum super vexillum. Non dixit, prædica serpentem tantum, sed fac serpentem. Facto enim hic opus est, non tantum doctrina. Hoc est ergo, quod tibi dicitur, qui & Moseos personam geris, cum tu sis ductor populi Dei per desertum seculi huius, & jam cernas illum serpentum ignitorum morsibus miserando exitio periclitari. Hoc inquam tibi dicitur, fac & tu contra serpentem ignitum atque erige super vexillum. Quem cum viderint abs te factum ac sic erectum, procul dubio, qui imprudenter ab eis labem contraxerint, ad eum venerabundi adspicient & sanabuntur. Scio non te latet, quisnam hic sit serpens aneus, nimirum Christus crucifixus. Tunc verò fit iste serpens, cum ab iis, qui præsunt, operibus ipsis bonis quodammodo exsculpitur & glorificatur, non verbo tantum, id enim solum potius judicium pareret. Tunc verò erigitur super vexillum, cum bona hæc opera, Deo volente, non latent, sed qui minores sunt, vident & contemplantur, & glorificant Patrem cælestem ipsum Dominum Iesum Christum, per quem omnia & propter quem omnia. Sic ille Moses jam olim hunc serpentem fabricare cœperat atque erigere, cum Christi opprobrium omnibus Ægyptiorum commodis ac thesauris anteposuit. Sic & Petrus insigniter eundem perfecit serpentem atque extulit, quando illo mortis genere ipsum glorificavit, quam longè antea præmonendo ipse præstituerat atque prædixerat, scil. ut in cruce similiter extenderet manus suas ac pedes suos, capite tamen deorsum verso, ut vero capiti gloriam suam redderet, cuius ipse vicem cum laude gesserat in terris. Sic & Paulus eiusdem serpentis fabricator egregius, non aliud quicquam operatus est & vivens & moriens, dum cuncta quæ videntur mundo pretiosa detrimentum fecit & stercora, præ Christi lucro, dum eius stigmata portans jugiter in corpore suo, refugit gloriam præter quam in cruce Domini nostri Iesu Christi, cuius virtuti etiam sanguine proprio contestatus est. Sic denique fecerunt omnes, qui sibi celebre nomen in Ecclesia comparaverunt, ita vitam ducendo, ut non facerent animam suam sibi pretiosam, sed semetipsis contemtis atque abjectis Dei & Christi gloriam dum quæsiverunt, suam simul invenerunt in ipso. Sic, ô Beatissime Pater, sic tibi faciendum esse, scriptura, quæ semper loquitur, optimo consilio adhortatur. Quo facto has inferi portas procul dubio retundi, frangi, dissipari, evanescere continuò videremus. Hoc etenim nec tu nesciens, prudentissime Pontifex, ut præ te tulisti semper, multoties pertentasti, atq; adeò*

Consilium Catherino Paulo III. datum.

NB.

adeò nunc, ut intelligo, etiam exequi curas, & nonnihil cœptum est, quod ad ipsius Ecclesiæ reformationem pertinere videtur. Quod solum viri boni juxta & pij ab ista sede vehementer efflagitant atque expectant. Hoc enim erit facere serpentem atque erigere. Ita *Catherinus* Christum serpentem æneum in vexillum erigi desiderat. Et hoc postulant Protestantes omnes.

Arma Protestantium non sunt terrena. Nec aliter Protestantes opprimere conantur errores, quos annotant in Papatu, quam iis armis, quæ verbo divino sunt explicata. Hæc commendant, quotquot unquam contra errores steterunt. De his Sebast. Barradius Jesuita Ulyssiponensis *Concord. Evang. Tom. II. lib. II. c. 10. num. 31. & seqq. Tentatus est*, inquit, *Christus, quonam modo hostem repulerit ac vicerit, diligenter animadvertere oportet. Scripturæ clypeo omnia Satanæ jacula rejecit, ut adversariorum ignea tela divini verbi fideique scuto doceret esse exstinguenda: juxta illud Pauli: In omnibus sumentes scutum fidei. in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Ignea sunt nequissimi tela, tartareo igne flagrant, tartareas flammas vomunt, tartareum ardorem visceribus inferunt: divina vero scriptura à paradiso manans fluvius est, cuius nitidissimis aquis extinguuntur. Davidicæ turris mentio fit omni armorum genere instructæ, quæ divinæ scripturæ similitudinem habet. Etenim adversus omnes hostis oppugnationes arma omnibus suppeditat. Sicut turris David, ait Salomon, collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea. Omnis armatura fortium. Collo effunduntur verba. Ecclesia ergo collum, quo sacra verba proferuntur, instar turris est, quæ verba divina veluti clypeos fortissimaque adversus omnes dæmones munimenta subministrare nunquam desinit. Quemadmodum è turre Davidis mille pendebant clypei, ita ex collo sponsæ Christi mille pendent aurea Scripturæ S. dicta, quibus gemmatis veluti torquibus exornatur.* Hæc & alia plura Barradius. His armis dimicant Protestantes pro gloria Dei & veritate cœlesti, quæ nullo modo ad destructionem pacis religiosæ contendunt.

Protestantes cum ajunt: *non posse se absque læsione conscientiæ Monachos & eorum instituta tolerare*, loquuntur de suis ditionibus & eorum defectibus. Ita enim Confœderati Schmalcaldiæ An. 1537. Matthiæ Heldo, S. C. M. Oratori, Consiliario & Vicecancellario respondent *apud Hortlederum lib. 7. c. 4. num. 23.* Vnd befrembdet vns nicht wenig / wie der Kayserl. Orator vns solcher Sachen halben / daß wir den Mönchen vnd Pfaffen / so vnsern rechten Christlichen / warhafftigen Glauben vnd Gottesdienst nicht annehmen / sondern in jhrer Hartnäckigkeit vnd Verführung bleiben / vnsere Kirchengüter / Rent vnd Gülten nicht folgen lassen wollen oder mögen / vor gewaltige Vnterzieher derselbigen mag angeben / so er doch leichtlich (da er die Schrifft vnd Vätter sehr erforschete) achten könte / daß vns daran vnglimpflich geschicht / wir auch niemands wider billichkeit deß seinen entsetzt haben. Vnd daß neben andern auß dieser Vrsach: Dann der Orator wird je nicht sagen mögen / daß die Güter / dero wir vns vnterzogen / vnd mehrer theils von vnsern Eltern vnd Vorfahren herkommen / dero Mönch Personen eigenthumb gewesen seyn / oder daß sie daran einige andere Gerechtigkeit gehabt / dann daß

sie

sie Diener vnd Ministri in vnsern Kirchen bey vns gewesen / vnd derohalben als Diener solcher Güter genossen. Dieweil wir aber durch gedrängnuß vnserer Gewissen vnd erkantnuß deß H. Gottes Worts / die Mißbräuch / darinn sie vnserer Kirchen gedienet haben / abstellen müssen / vnd sie dann vnsern warhafftigen Gottesdienst in vnsern Kirchen / so wir an statt der Mißbräuch auffgerichtet haben / nicht üben wollen / sondern sich demselbigen gantz widerwertig gehalten vnd beweiset haben / so muß der Kayserlich Orator, auch die Mönch selbst / schliessen / daß sie auch in der gestalt vnserer Kirchen Güter vnbillich geniessen vnd gebrauchen / dieweil sie in vnserm erkandten wahren Gottesdienst nicht dienen wollen. Daß aber vielleicht darfür wolle gehalten werden / ob wir gleich in vnsern Gebieten / den wahren Gottesdienst auffgericht / so solten wir doch gleichwol die Mönch vnd andere bey ihren sondern Messen vnd andern Mißbräuchen bleiben haben lassen / solches will vns nicht gebühren / noch zustehen / wir wolten vns dann jhrer Mißbräuch vnd Gottslästerung / zu beschwerung vnserer Seelen vnd Gewissen / mit theilhafftig machen. Dann ob wir wol an etzlichen Orthen in vnsern Gebieten / rechte Lehr vnd Gottesdienst führen liessen / so längneten wir dennoch gleichwol mit der That die Warheit Gottes / dadurch / daß wir solchen Grewel vnnd Mißbräuch darneben in vnseren Obrigkeiten vnd Gebieten duldeten. Dann nicht allein mit Worten / sondern auch mit widerwertiger That vnrechtes Gottesdiensts würde die Warheit vnd Christus selbst verläugnet / wie das jhre eigene Geistliche Recht sagen. Sic Protestantes: quibus nequaquam erat in animo, in alienis ditionibus mutationem aliquam machinari.

Posset autem etiam contra Pontificios sexta hæc ratio expediri in hanc sententiam. Qui alterius in pacis transactionem assumendæ partis religionem, uti falsam, Deo & saluti animarum adversam detestantur, eaq; opinione ad eam opprimendam continuò incitantur, illi de perfidiam committenda suspecti sunt. Atqui Pontificij A.C. religionem, quę est alterius in pacis transactionem assumendę partis, 1. ut falsam, Deo & saluti animarum adversam detestantur, eaq; 2. opinione ad eam opprimendam continuò incitantur. Prius exploratissimum est, & latè probare conatur Windek *in Prognost. fut. seculi per 42. capita*. Posterius nemini ignotum esse potest, qui apud eundem in deliberatione de hæresibus extirpandis partem inprimis secundam evolverit, sigillatim antidotum V. VI. VII. IIX. IX. X. XI. Licebit ne nunc bona cum Eusebij venia concludere. E. Pontificij de perfidia committenda suspecti sunt? Ita quidem cecinit, ut hac lege saltare liceret. Sed nolumus, neque per majestatem imperij fas esse judicamus, talibus conclusionibus summos Reipubl. Christianæ proceres lacessere. *Retorsio accusationis perfidiæ.*

Ipse autem Eusebius arcanum aliquod Protestantibus proponit, quod in Consilio Procerum veteri Religioni addictorum *prudentiā carnis* dicit suggerere, quasi ideo Cæsar & ordines ei addicti in hac transactione excusari possint dum paciscuntur: quia sciunt hæreticos pacem mox violaturos, quæ proinde nec Cæsarem nec consentientes obligatura sit. Aut verum est, quod dicit Eusebius, & militat *Quid de prudentia carnis in Consiliis Pontificiorum.*

tat in pacis religiosæ compositione sanctissimâ hæc prudentia carnalis, aut fingit Eusebius & falsum dicit. Si illud, Ergò ipso Eusebio asserente in effectu Cæsar & Status veteris Religionis mentiuntur & peierant. Quantum hoc lædit summam in terris majestatem! Expendite, quam sine conscientia sit, qui conscientiis vestris tot scrupulos injicit, Eusebius, ô Proceres, & animadvertite! Si fingit Eusebius prudentiam carnalem & falsum dicit, quid attinebat sacratissima consilia sordidissimis figmentis spurcare? Nonne insana temeritas est, fingere latebras suspicionum & malignitatum, ubi omnium vota sunt, ut animi simplicissima candidissimaque coalitione consuescant?

QUÆSTIO IIX.

Ad Rationem VII.

An pax religionis absque comparatione magis sit inordinata, quam mendacium, quod tamen neq; necessitatis causa licitum est?

Affirmativa placet Ernesto, qui multiplicem inordinationem in Pace religionis cumulat. I. quod *repugnat luminis naturalis ordini, quod non solum monstrat, malum non esse faciendum, sed neq; eidem cooperandum: multiplicem autem cooperationem cum hæresi malorum pessimo in tali pace contineri*, ait se rat. 1. ostendisse. II. quod *violat ordinem caritatis divinæ & religionis, non solum in utriusque injuriam hæresi cooperando, verum etiam veræ religioni falsam exæquando, in dignitate illæsæ famæ, libertate eam profitendi, defensione, perpetuitate, & denique juris publici autoritate*, quod se ostendisse ait rat. 2. III. quod *evertit ordinem charitatis proximi, non solum per hæresin cooperando perditioni animarum, sed etiam velut ex officio ad hæresin vel iniustam emigrationem, si hæretico Principi placeat, compellendo. Catholicam deinde religionem & Catholicos ex bonis & locis legitimè recuperatis expellendo*, ut ostensum ait rat. 3. IV. quod *excedit ordinem justitiæ, usurpando jurisdictionem non competentem in causis religionis, personas* Ecclesiasticas, *& bona ac jura Ecclesiarum*, ut declaratum ait rat. 4. V. quod *peccat infidelitate, contra officium & obligationem Cæsaris statuumque Catholicorum, maximè Episcoporum*, ut liquere ait rat. 5. VI. quod *veritatis ordinem perturbat. Est enim frustratoria sive fallax, adeoque grande mendacium, formale quidem apud intelligentes, materiale apud eos, qui defectum materiæ & potestatis ignorant*, ut manifestatum ait rat. 6. Hinc ita concludit: *Deus unicam levissimamque jocosi vel officiosi mendacij inordinationem publicis Ecclesiæ aut Reipubl. necessitatibus non condonat, sed neutram vult mentiendo conservari. E. multò minus alterutram vel utramque vult conservari hac inordinatissima pace, quæ ordinem naturæ, religionis, charitatis Dei & proximi, fidelitatis & ipsius denique veritatis gravissimè violat. Nec verò ratio reddi potest, cur, in summa licet necessitate, inordinatum,*

tum, adeoque peccatum sit, aliud verbis significare, aliud in mente habere, non sit autem inordinatum seu peccatum, cooperari malo contra lumen naturæ, veræ religioni falsam æquare, proximum in ruinam spiritualem impellere, usurpare potestatem non competentem, in perpetuum spondere, quæ officio repugnant, pactum deniq; frustratorium & fallax inire. Tam enim intrinsecè laborat Pax ejusmodi sextuplici hac inordinatione, quam mendacium una simplici. Aut ergò licitum est mentiri Reipubl. & religionis causa, aut illicitum est sic pacisci. Ita Ernestus disputat. Quibus omnibus jam satisfactum est per ea, quæ ad sex antecedentes rationes dicta sunt. Videamus aliquid ulterius.

Scrupulus I.

An ex indirecta & directa cooperatione cum hæresi pax religionis sit mendacio inordinatior?

Ostendimus ad primam rationem, Pacem religiosam neque *indirectè*, neque *directè* cooperari hæresi. Non *indirectè*, quia permittit perpetuam operationem contra hæresin quæ lege divina mandata est: & immediatè quidem ad jus libertatemque circa religionem constituendam tendit, tolerat autem, si quis eo jure eaque libertate abutatur ad falsi dogmatis introductionem. Hæc autem tolerantia, cooperatio indirecta propterea dici nequit, quia necessitas sustulit obligationem ad non tolerandum. Non *directè*, 1. quia hæresis ex jure divino dignitatem non lædit, sed ex consuetudine & sanctione humana, quæ emergentibus circumstantiis ea potestate suspendi potest, qua stabilita est, ut adeo etiã status dignitatis conservatio hæresi nullatenus cooperetur. 2. quia etiamsi jus reformandi, seu constituendæ religionis libertas, cum mero altoq; imperio conjungatur, non tamen id per se ordinatur ad hæresin, sed planè accidit, ut eo abutantur, qui altum habent imperium; unde rursus nulla directa cooperatio, cum hæresi sequitur. 3. quia in Camera Imperiali defensio ad libertatem & pacem potissimum spectat, propter quam etiam processus decernuntur. De religione ipsa neque in hanc, neque in alteram partem ferunt judicium. 4. quia defensio Imperatoris & ordinum pariter non tam hæresin concernit, quam libertatem eorum, qui in eadem hærere dicuntur. Quapropter hîc talis ataxia, qualis in mendacio est, nulla est. Sed fiat ulterioris dilucidationis gratia

Digressio I.

De prædeterminante concursu Dei ad actus etiam malos, & ad pacem Religionis.

Potest inprimis in hujus rationis discussione non impertinenter accommodari disputatio, quæ apud Pontificios agitatur, *de concursu & cooperatione Dei*

ad actus voluntatis malos, an nimirum Deus per illum voluntatem creatam prædeterminet ad actus malos? Affirmativa est Dominicanorum & qui illis adhærent. Contra quos ita disputat Fr. Suarez *in opuscul. lib. 2. cap. 2. p. 112.* Evidens, *inquit*, est, Deo non posse attribui prædeterminationem physicam creatæ voluntatis ad actus malos: quia Deus, cum sit summè bonus, non adhibet peculiarem curam aut speciale auxilium, ut fiant mala, sed solum propter necessarium & generale munus primæ causa offert suum universalem concursum, & libero arbitrio permittit illo uti, quia hoc etiam ad suavẽ ejus providentiam spectat: solum ergo præbet Deus ad actum peccati illum concursum, qui necessarius est ex vi subjectionis causæ secundæ ad primam: si ergo illa præmotio non est necessaria, non potest Deo attribui. Hinc fit, si Deus efficiat hanc prædeterminationem, eum esse autorem peccati. Quod ita ostendo: quia inprimis Deus est directè & per se causa illius malæ voluntatis, qua Judas v.g. voluit vendere Christum: & non solum est causa præbendo ex se generalem concursum, sed ex intentione sua prædeterminando influxum suum ad talem volitionem: imò & voluntatem Judæ ad illum actum prædeterminando: quid ergò amplius requiri potest, ut verè & propriè dicatur causa illius peccati? Si enim physicè res consideretur, ipse agit totum, quod in illo actu effici potest, & non concursu ex se indifferente, pro ut ab ipso offertur, sed ex se & ex intentione sua determinata ad talem actum. Si verò res consideretur moraliter, Deus & determinat voluntatem ad talem actum, & non ex necessitate concursus primæ causæ, ut ostensum est. E. ex solo affectu & voluntate, quod talis actus fiat. Denique ipse est prima radix & causa, quod homo hic & nunc, cum hac advertentia &c. hoc objectum velit. Sed homo non peccat, nisi hoc volendo. E. Deus est illi causa, ut peccet. Dicent fortasse, Deum non esse causam peccati, quia non peccat ita determinando humanam voluntatem: nam nec subditur legi, ut peccare possit, nec à sua recta ratione discordat, quando ut prima causa sic operatur. Sed in primis ad argumenti vim nihil refert, sive dicatur Deus peccare, sive non: nam etiam si quis diceret, *Deum esse autorem peccati non peccando, sed faciendo tantum, ut alius peccet*, in hæresin laberetur: argumentum autem factum convincit, Deum efficaciter facere, ut alius peccet, & consequenter ipsum esse autorem peccati, sive dicatur peccare, sive non. Deinde quamvis peccare, ut in rigore significat transgressionem legis, non possit attribui Deo sic operanti, quia non est subditus legi, tamen, ut peccare significare potest generatim deflectere ab eo, quod rectum est & honestum, sic revera peccaret Deus, data illa hypothesi. Sicut si per impossibile Deus mendacium diceret, planè peccaret, non contra legem, sed contra suam naturalem rectitudinem, & quia ab hoc deficere nõ potest, mentiri non potest. Et ideo non potest esse peccatum, nisi deficiendo à lege: quia is, qui legem non habet, est per se rectus, nec ab ea rectitudine deficere potest: si tamen posset, posset etiam peccare sine lege. Sic ergo in præsenti posita illa hypothesi falsa & impossibili, Deus repugnaret regulæ suæ rectitudinis & hoc sensu peccaret. Assumtum patet, quia contra rationem

Suarezii de prædeterminatione discursus.

summi

ſummi boni eſt, amare actus malos & ad illos deliciendos impellere homines, maximè cum Deus in hoc ſe non gereret præcisè, ut prima cauſa, ad cuius concurſum hoc non eſt neceſſarium, ſed ut proprius & peculiaris inſtigator ad malum. Sed ajunt (& hæc eſt frequentior ſolutio) *Deum non eſſe autorem peccati, quia determinat ad materiale, & non ad formale peccati.* Sed hæc diſtinctio non rectè accommodatur ad præſens. Quid enim eſt, Deum eſſe cauſam materialis peccati? & non formalis? Aut enim eſt, quod Deus non intendat malitiam illam, ſed bona aliqua intentione determinat hominem ad actum malum: aut eſt, quod ex vi actionis & determinationis Dei non ſequitur malitia in illo actu voluntatis humanæ? Primum horum non refert: ſecundum autem falſum eſt. & illud ſufficit, ut Deus verè ſit autor peccati hominis. Prior pars minoris probatur, nam homo ipſe, qui peccat, non intendit malitiam: imò & dæmon ipſe vix hoc modo inducit ad peccandum, quia nemo intendens ad malum operatur: ergo ut aliquis ſit autor peccati, neceſſum non eſt, quod ita intendat malitiam. Dicent fortaſſe, hominem, dum peccat, intendere aliquem pravum finem, Deum verò intendere aliquem honeſtum finem, quando hominem ad pravum actum determinat: hæc tamen evaſio vana eſt, & nullius momenti: tum quia ſi Deus immittit malam voluntatem in hominem, etiam illam pravam intentionem ſuggerit: tum etiam, quia bona intentio non excuſat pravam actionem, ſi ex objecto ſuo mala eſt: non enim ſunt facienda mala, ut ex inde eveniant bona. Denique ſi Deus facit, quicquid neceſſarium eſt ad cauſandum peccatum, quod bona intentione id faciat, non impediet, quo minus verè ſit autor peccati, ſed ſolum conferet, ut bona intentione ſit cauſa & Autor illius; ut ſi unus homo induceret alium ad mentiendum, ob tuendam vitam proximi, autor eſſet mendacij, quamvis bona intentione id faceret. Poſterior pars minoris propoſitionis probatur & declaratur, quia Deus ita determinare dicitur voluntatem hominis ad actum peccati, ut determinet illum ad operandum cum omnibus moralibus circumſtantiis, quibus poſitis impoſſibile eſt, quin actus ille ſit malus & peccatum: v. gr. determinavit voluntatem Judæ, ut cum tali notitia & cognitione Chriſti, cum tali affectu, libertate, ſeu voluntate vellet vendere Chriſtum. ſed talis actus ſic factus non poterat non habere adjunctam malitiam moralem & pravitatem peccati. Ergo voluntas divina ita determinavit humanam ad talem actum, ut ex vi talis determinationis ille actus habuerit tales circumſtantias, quibus poſitis neceſſario habuit adjunctam malitiam. Dices, *habere illam, ut eſt à voluntate humana, non ut eſt à divina.* Reſpondetur, hoc nihil aliud eſſe, quam iterum ad quæſtionem redire, an Deus ea ratione dicendus ſit peccare: de quo nunc non agimus, ſed an ſequatur, eſſe autorem peccati. Ad hoc ergo non refert, quod malitia illa ſequatur ex habitudine ad voluntatem humanam, ſed ſatis eſt, quod Deus ſit autor & *cauſa*, ut talis actus fiat cum tali habitudine ad voluntatem humanam, quàm neceſſariò conſequitur malitia illa. Tertio habemus etiam ex dictis, per talem prædeterminationem auferri ab homine uſum libertatis ſuæ in

operando talem actum. Ex quo planè consequitur, eum non peccare moraliter in eo actu & immeritò ea de causa puniri, habereque hominem, dum peccat, plusquam rationabilem excusationem, imò & querelam justam contra Deum, quod eum ad peccandum impulerit, contra illud Ecclesiastici 15. *Non dixeris, per Deum abest, quæ enim odit, ne feceris: non dicas, ille me implanavit: non enim necessarij sunt homines impij: omne execramentum erroris odit Deus, & non erit amabile timentibus eum.* In quibus verbis apertissimè videtur Sapiens prædictam sententiam damnare. Quomodo enim non meritò dicetur Deus implanare hominem, si eum physicè & efficacissimè ad actum malum, seu voluntatem malam determinat? Et confirmatur efficaciter ad hominem. nam prædicti Theologi, cum quibus disputamus, interpretantur illa testimonia scripturæ, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, &. *Deus est enim, qui operatur in vobis velle & perficere*, & similia, dicta esse ratione huius efficacis prædeterminationis: quia Deus facit hominem operari tales actus bonos: ergò ratione similis prædeterminationis meritò dicitur Deus trahere voluntatem hominis ad malum objectum, vel convertere illam ad creaturam: hoc autem & nihil aliud est hominem implanare. Neque solum ad hominem, sed simpliciter juxta verum sensum illorum testimoniorum sumi potest efficax argumentum. Nam si Deus dicitur trahere voluntates hominum, vel convertere illas ad se, solùm quia moraliter inclinat illas per sanctas inspirationes & affectiones, quomodo non multò magis trahit humanas voluntates ad malum & convertit illas ad creaturam, si efficaciter & physicè prædeterminat illas, ut ad sensibilia bona & prohibita ferantur. Atque ex his fere rationibus probata est prior illatio huius argumenti, quæ in hunc modum practicè (ut ita dicam) declaratur, ut fortius convincat. *Constituamus hominem gravi quadam tentatione libidinis vexatum, qui antequam consentiat, per judicium rationis considerat, quid turpe, quidve delectabile sit, ex vi cuius considerationis potest pro libertate consentire vel cum divina gratia dissentire: tunc ergò consideremus Deum adjungentem efficaciam suam, & eâ prævenientem consensum huius hominis, & determinantem voluntatem eius, ut consentiat & velit actum illum libidinosum, ut sibi delectabilem, ita enim affirmant prædicti autores se habere Deum circa voluntatem hominis, quia totum hoc, quod propositum est, materiale est peccati interioris. Quomodo ergo talis homo non potest justè excusari & conqueri? dicens*, Per Deum abfuit: *ipse enim potuisset meam voluntatem ad dissentiendum determinare, & noluit, non mea culpa, sed sua voluntate; nam antequam ego quicquam peccarem, ipse ita decrevit & fecit. Verè etiam dicere posset, ipse me implanavit: nam ipse voluntatem meam determinavit, & fecit me facere, & nisi ipse talem voluntatē in me inchoasset, ego non potuissem incipere: nec postquam ipse determinavit, vitare ego potui malitiam, quam cum tali actu conjunctam habui. Revera nihil occurrit, quod tali homini respondere posset.* Denique hoc declaro aliter, & expendo, ut evidentius constet. Nam in prædicto exemplo interrogo, an Deus ut prima causa æquè possit determinare voluntatem hominis ad actum hominis, qui est, nolle nunc tali delectatione frui: & ad actum, qui

qui est malus, scilicet velle hic & nunc tali delectatione frui. Nemo cordatus & prudens, qui admiserit, posse Deum hoc posterius facere, negabit, credo, posse etiam facere illud prius: nam voluntas ipsa potest illum actû efficere: Ergo & Deus æquè poterit eam ad illum efficiendum determinare. Rursus ergo interrogo, an ex vi concursus generalis primæ causæ debeatur potius huic voluntati determinatio ad actum malum, quam ad actum bonum, nec ne? Nullâ certè probabili ratione illud prius affirmari potest. Cùm enim ista voluntas æquè sit potens ad eundem actum efficiendum cum generali concursu, cur potius debetur illi concursus vel determinatio ad bonum, quàm ad malum? *Hæc Suarez*. Pergit autem post discussam objectionem aliquam, & *ait*: Quartò veritatem hanc ita declaro, quia ex opposita sententia sequitur, primam radicem & causam, in quam reducenda est prima hominis voluntas, & consensus eius in objectum prohibitum, esse efficaciam divinæ voluntatis. Consequens est planè impium. Sequela probatur: Quia proxima radix totius lapsus hominis est voluntarius eius consensus in hoc objectum cum hac scientia & cognitione. Sed Deus est prima radix huius voluntarii consensus hominis, ita ut verissimum sit dicere, ideò homo consentit, quia Deus facit illum consentire hîc & nunc in hoc objectum delectabile sic propositum, & jure ipso prohibitum. Ergo. Sed hîc etiam occurrent illa distinctione de peccato pro materiali, & pro formali, & concedent, materiale peccati reducendum esse in Deum, ut in primam radicem, negabunt tamen inde sequi, & peccatum simpliciter dictum seu pro formali in Deum esse reducendum. Sed sumamus inprimis, quod nobis conceditur, & evolvamus ac declaremus illud. Nam si rectè concipiatur, & attentâ mente ponderetur, hoc solum sufficit ad hanc sententiam improbandam. Loquamur ergo de proprio peccato, quod est in voluntate: idem enim cum proportione potest applicari ad actum exteriorem, quamvis tota ratio peccati ad interiorem revocetur. In actu ergo exteriori nihil aliud est materiale peccati, nisi interior voluntatis actus positivus, quo voluntas realiter & positivè convertitur in objectum creatum tali modo sibi propositum: hæc enim omnia realia sunt, physica & positiva: ergo Deum esse primam radicem materialis peccati in peccato Judæ vel Petri negantis Christum, nihil aliud est, quàm fuisse primam radicem illius consensus & voluntatis, quâ Petrus negare voluit Christum, ita ut verum sit dicere, quia Deus ita decrevit & efficaciter fecit, ut fieret, ideò Petrus voluit Christum negare, & Judas illum vendere. In his enim verbis solùm id, quod materiale est, comprehenditur, neque formalis malitia explicatur. Confirmatur, quia Deus dicitur ab his autoribus prima radix conversionis voluntatis in bonum honestum, quia determinat illam: Ergo ob similem determinationem concedere cogentur, Deum esse primam radicem conversionis nostræ in bonum commutabile: nam hoc totum solum dicit positivum motum & realem in tale objectum. Sed hoc ipsum, etiamsi nihil aliud addatur, est contra divinam bonitatem, & contra omnem divinam prohibitionem & legem: Ipse enim non solùm

solùm prohibet formalitatem peccati, sed prohibet ipsum actum & conversionem ad bonum commutabile, & eam punit. Et licet verum sit, *eam prohibere & punire ratione formalis*, tamen reverà illam ipse prohibet, quia revera est mala, licet denominativè à deformitate, quam secum affert: Ergo eàdem ratione non potest Deus esse proxima radix illius conversionis ad commutabile bonum ob formalem deformitatem, quam habet inseparabilem. Unde ulterius concluditur: Si Deus est prima radix illius conversionis, necessariò consequi, ut sit prima radix illius deformitatis: quia proxima & efficax causa illius deformitatis est voluntaria hominis conversio ad commutabile bonum, & prima radix huius conversionis voluntatis humanæ est divina voluntas & efficacia: Ergo de primo ad ultimum Deus est radix talis deformitatis. Quod enim est causa causæ, ut sic, id est, quod est illi causa, ut causet, est etiam causa causati à tali causa: quod est maximè verum in moralibus: nam sæpe causa, quæ est per accidens in rebus physicis, est per se in moralibus. Atque ita revera est in præsenti; nam voluntas humana neque potest contrahere deformitatem talis peccati, nisi consentiendo liberè in tale objectum utile vel delectabile sibi prohibitum, licet non amet illud qua prohibitum, sed qua delectabile vel utile est, neque etiam potest deformitatem vitare, sic amando illud, sed Deus est efficax causa, faciens, ut voluntas talem consensum præstet, imò solus ipse sua efficacia determinat illam ad talem consensum: quomodo ergo nō est efficax causa moraliter loquendo omnis deformitatis per talē consensum contractæ? Item perditio hominis formaliter est per culpam, ut culpa est, tamē prima radix & causa huius perditionis est consensus voluntarius in talem actum, vel objectum sic prohibitum sub specie aliqua boni. Ergo prima radix huius consensus humani est prima radix perditionis hominis, quæ radix est divina voluntas & efficacia. Falsum ergo est illud, *Perditio tua ex te.* Præterea dæmon tentans est in suo genere radix peccati, ut sic, seu deformitatis eius, quia proximè inducit ad materiale, id est, ad consensum voluntarium, in talem actum vel objectum: neque enim dæmon inducit ad formale peccati, ut sic, seu ad objectum prohibitum amandum, quia prohibitum est, sed ad illud tantum inducit, ad quod Deus determinat. Ergo multò magis Deus erit prima radix totius formalis, quia efficacius ad illum consensum trahit voluntatem. Quo etiam fit, ut gravius Deus tentet hominem, quàm dæmon; imò non solùm tentet, sed potius illum dejiciat & prosternat, quia cogit illū, & efficaciter trahit, ut consentiat hîc, & nunc tali modo, à quo consensu sic præstito libero & humano modo est inseparabilis malitia. *Hæc & alia plura Suarez contra Thomistas & Dominicanos disputat.* Quibus se opposuit postea DID. ALVAREZ Archiepisc. Tranensis & Salpens. *l. 3. de Auxil. Gratiæ divin. disp. 21.* & prolixè argumenta Suarezii *solvit*, quem recentius secutus est DID. NUGNO CABEZUDO *in 3. Tom. q. 62. tr. de auxil. divin. q. 1. p. 53. & seqq.* Confer & TRIGOSUM *in I. parte summæ S. Bonaventuræ quæst. 18. art. 4. dub. 3. ad 2. & 3.* CABRERAM *in 3. part. q. 18. art. 2. disp. 2. §. 12. à n. 530.* NAVARRETUM *Tom. 2. in I. Thom. controv. 25. concl. 6. & 7. & alios,* His rursus se magno apparatu oppo-

opposuit Didacus Ruizius de Montoya, ***Hispal. Ies. de Voluntate divina*** *disp. 25.* per plurimas insequentes alias, qui iisdem præjudiciis notat sententiam ***de Deo præmovente & prædeterminante voluntatem hominis ad quamvis actionem, etiam malam.*** I. Quod sit contra naturam & dignitatem causæ primæ. II. quod Deum faciat autorem peccati etiam formaliter. III. quod auferat ab homine usum libertatis in operatione talis actus. IV. quod constituat Deum implanatorem hominis. V. quod divinam voluntatem constituat radicem & causam, in quam reducenda est prava hominis voluntas & consensus eius in objectum prohibitum. VI. quod ex ea fluat, Deum longè gravius tentare hominem ad peccata, quàm dæmon. Unde sequitur, Deum non indirectè, sed directè cooperari, imò operari omne peccatum, etiam quà peccatum est. Hæc ille.

Quibus ita expositis idporrò considerandum PRIMÒ, prædeterminationem, quam Deo tribuunt, etiam respectu actuum malorum, quamq; allegati autores & universa Dominicanorum Schola statuit, in Ecclesia Pontificia ab iisdem commendari, illustrari, deprædicari, tanquam summa causa dignissimam, & unitatis primi principii conservativam. SECUNDÒ, nullâ ratione ita cooperari patronos pacis ab Eusebio impugnatæ hæresi, sicut Deus ex hypothesi prædeterminationis & præmotionis in universum peccato cooperatur, & in specie hæresi. Secundum Jesuitas enim Deus ex hypothesi prædeterminationis & præmotionis physicæ est autor hæreseos, aufert omnem libertatis usum in amplectenda aut respuenda hæresi, constituit Deum implanatorem ad hæresin, ponit divinam voluntatem radicem & causam, in quam reducenda est hæretica hominis voluntas & consensus in opinionem hæreticam, imò facit Deum longè gravius hominem impugnare & tentare in amplexanda hæresi, quam faciat Dæmon, quod horrendum est & planè abominabile. Unde jam TERTIÒ inferimus, si omninò aliqua esset cooperatio cum hæresi per pacem religionis imposita, quæ tamen nulla est; cùm tamen longè intimior & formalior per hypothesin de divina prædeterminatione & præmotione voluntatis humanæ in quavis actione Deo Opt. Max. per Dominicanos & eorum asseclas tribuatur, ut nunc indicavimus, eamque & liberè deprædicent assertores, & sub privilegio Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ publicè defendant, & nondum ex tribunali supremo elici sententia potuerit, qua improbandam esse illam opinionem censeretur & consequentiæ Jesuiticæ suffragium aliquod veritatis consequerentur, illam etiam objectam cooperationem pacis cum hæresi non esse adeò abhorrendam, ut positis circumstantiis non possit constitui. Nec refert dicere, Imperatorem & Status Imperii non debere aliquid decernere, quod ad cooperandum cum hæresi inducat, quia id ipsis interdictum est adeóque malè faciunt id constituendo; Deum autem posse decernere prædeterminationem & præmotionem voluntatis ad singulos actus malos, quia nullatenus prohibetur. Respondeo enim cum Suarezio *l. cit. num. 2[illegible] pag. 11[illegible].* Non primò quæri, an Deus malè vel bene faciat, sed an faciat aliquem labi in peccatum & hæresin ita voluntatem prædeterminando. Deinde

Deum

Deum omninò malè acturum, si id faceret: esset enim hoc revera contra ipsius rectitudinem naturalem & summam: cumque ostensum sit, talem prædeterminationem non deberi ex generali concursu causæ primæ, planè consequi, Deum, quando eam efficit, non agere munus causæ primæ, sed tentatoris seu prævaricatoris. Quapropter concludimus: *Si Deus sufficienter potest excusari, cùm dicitur prædeterminare & præmovere voluntatem hominis ad amplexum hæreseos seu præstationem hæretici assensus, quando distinguitur inter prædeterminationem ad materiale peccati & ad formale, & hæc de Deo negatur, illa Deo tribuitur, tunc etiam sufficienter poterit excusari Imperator cum Ordinibus Imperii, cùm dicuntur cooperari hæresi per fundationem autonomiæ seu pacis religionis, quando distinguitur inter materiale & formale hæreseos, materiale dicitur ipsa autonomia sive libertas atq; jus constituendi religionem, & formale, ipsa deformitas hæreseos, quæ libertati religionis inducitur.* Ratio consequentiæ est: quia ibi est prædeterminatio, hîc non. Non enim prædeterminant & prædefiniunt Imperator & Ordines aliquem ad hæresin aut erroneum dogma per constitutionem pacis religionis. Cooperatio directa, etiamsi concederetur, nequaquam tamen præmotio aut prædeterminatio esset. Insuper non tam necessariò consequitur constitutionem autonomiæ & libertatis constituendi religionem ipsa hæresis, sicut physicam prædeterminationem actus singularis, hic & nunc, sub designatis circumstantiis sequitur peccatum. Habet enim ista libertas & autonomia se ad instar concursus generalis divini dispensati, quem Deus perennare constituit, quomodolibet eo utantur homines. Præmotio & prædeterminatio autem præcisè singulos actus malos decernit & definit, & suscitat.

Digressio II.

De inevitabilitate Pacis religionis, ex Prædeterminatianorum sententia.

Suarez docet inevitabile necessitatem pacis religiosæ ex Dominicanorũ sententia fluere.

Quin imò in genere, pro pacis huius inevitabilitate, ex hac hypothesi de physica prædeterminatione & præmotione Dei respectu voluntatis humanæ ad omnes actus humanos præexcitandæ, firmissimum argumentum colligitur, quo omninò defensi erunt contra accusationem quamcunque, qui ex parte Ordinum, aut loco Capitis Imperii Romani ad eam sanciendam cooperabuntur, modò Dominicanorum sententiæ adhæreant. *Si enim à Deo in omnibus actionibus voluntatis humanæ ordine naturæ antecedit motio efficax & inevitabilis, prædeterminans eam ad hanc actionem aut illam in individuo, etiam illa antecessit & antecedet in omnibus actionibus & transactionibus, quas de pace constituenda hucusque Imperatoris & Procerum Imperii Romani, imò omnium Christianorum Regum & Potestatum sollicitudo celebravit.* Si hoc, *Ergo in potestate illorum non fuit, ut aliter sese determinarent moverentque in negotio pacificationis, quàm hucusque factum est.* Ita concludere nos, ex hypothesibus Bannis, & aliorum, supra docuit Suarez *l. c. pag. 72.* cùm

cùm ex hypothesi physicæ determinationis à Deo factæ circa exercitium actuum voluntatis *dicit*; Hi actus voluntatis procedunt à duabus causis seu voluntatibus, quarum inferior incipit moveri à superiori, quando superior vult, & non est in inferioris potestate, ut illa motio inchoëtur, sed in sola potestate superioris voluntatis, nec etiam potest inferior voluntas non sequi motionem superioris. *Ergo* nullo modo est in potestate inferioris illam actionem impedire, nec antecedenter, faciendo, ut motio Dei non ponatur, nec consequenrer, impediendo, ne habeat effectum: ergo nullo modo est tunc in potestate humanæ voluntatis, posse non agere: ergo est ibi necessitas simpliciter quoad exercitium. Nec habet hìc locum vulgata distinctio *de sensu composito & diviso*, quia cùm hæc suppositio est omninò antecedens, si ex illa sequitur necessariò actus, talis suppositio tollit libertaté. At hæc suppositio voluntatis divinæ efficacis ponitur omninò antecedenter ad voluntatem humanam, eiusq; consensum, & ex illa sequitur necessariò opus, ita ut nulla creatura possit illi resistere; ubi ergo libertas? Minor propositio patet, quoad priorem partem ex ipsa assertione contrariæ sententiæ dicentis, *Deum prævenire nostram voluntatem efficaci præmotione physicâ seu voluntatis absoluta.* Quoad posteriorem verò partem, est de fide: quia voluntati Dei nemo potest resistere; unde quod Deus absolutè vult fieri, tam necesse est fieri, ut implicet contradictionem non fieri. Maior probatur, quia non potest Deus efficaciorem vim inferre voluntati creatæ, quam per suam efficacem & absolutam voluntatem, quia non habet ipsemet Deus aliquid in seipso, quo efficacius & fortius operetur, quicquid potest operari: nam operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ita ut mensura operationis sit voluntas eius: nulla autem est voluntas Dei potentior ad operandum, quàm sit voluntas efficax & absoluta: ergo si secundum hanc movet & determinat voluntatem, non relinquitur alius modus, quo illi possit necessitatem inferre. Imò nec intelligi potest, quæ maior possit esse necessitas, quàm quod independenter à me Deus statuat, quid ego facturus sim, & per eam voluntatem me physicè prædeterminet, ita ut ego non possum aliter velle, quàm prout me Deus determinaverit. Dices, *posse Deum efficaciter velle determinare humanam voluntatem, ut velit liberè, & posse etiam efficaciter determinare, ut velit necessariò, & ita intelligi differentiam inter necessitatem & efficacem determinationem liberam.* Sed explicetur quæso, in qua re consistat hæc differentia? Nam inprimis suppono, ut voluntas humana necessariò velit ex efficacia divina, non esse necessarium, ut homo ex parte objecti apprehendat illam necessitatem, id est, ut velit necessariò operari: sed solùm ut in re ipsa necessariò exerceat illum actum, sicut è contrario ut liberè operetur, non est necesse, ut in objecto velit libertatem, seu liberè operari, sed satis est, quod in actu exercito actum liberè eliciat. Hoc ergo supposito, quando Deus necessitatem infert, nihilominus voluntas sponte fertur in objectum, ac voluntariè, cum sufficiente usu rationis & advertentia intellectus. Rursus si aufferretur talis voluntas Dei efficax, humana voluntas posset non ferri, & solum in eo casu

S necessa-

necessariò operatur, quia non potest illi motioni Dei resistere, quæ illius consensum antecedit & illum extorquet, ut sic dicam. Sed hæc omnia reperiuntur in illa prædeterminatione physica & effectiva per voluntatem efficacem antecedentem, & nihil amplius in utroque motionis genere in reipsa invehitur, aut necessarium est. Ergo illa differentia, quod Deus velit necessariò vel efficaciter, aut infallibiliter determinare physicè voluntatem hominis, est posita solùm in verbis, non autem in re. Nam alia differentia, quæ assignari potest, quod necessitas fiat per aliquod inhærens, determinatio verò per solam extrinsecam voluntatem, jam satis rejecta est. Quocirca, cùm dicitur, posse Deum velle efficaciter determinare physicè potentiam & liberè in hoc objecto, involvitur contradictio. Nam perinde est, ac si diceretur, posse velle, ut simul in eodem actu necessariò ac liberè operetur. Est autem aliud, Deum efficaciter, id est, infallibiliter movere voluntatem, & eodem modo efficaciter facere, ut velit liberè, & aliud est, physicè illa prædeterminare. Primum potest facere Deus, & facit in his, quos per gratiam movet. Secundum non potest facere Deus, nec potest stare simul cum libertate, quia in eo includuntur duæ conditiones oppositæ, scilicet posse resistere motioni, quod est ad libertatem necessarium. & non posse resistere, quod est de ratione physicæ prædeterminationis, per voluntatem Dei absolutam & efficacem. *Hæc Suarez.* Nos principalem argumentationem ita ad propositum applicamus: *Quia iste actus voluntatis pacificatoriæ procedit à duabus causis seu voluntatibus, quarum inferior, Imperator, Reges, Principes & Ordines Imperii, incipit moveri ad pacificationem à superiori, scilicet Deo, quando superior vult, & non est in inferioris, Imperatoris, Regum, Principum & Ordinum Imperii potestate, ne illa motio pacificatoria hic & nunc sub his rerum circumstantiis inchoetur, sed in sola potestate superioris voluntatis, nec etiam potest inferior voluntas Imperatoris, Regum, Principum & Ordinum Imperii non sequi motionem superioris; Ergo nullo modo est in potestate voluntatis inferioris, Imperatoris, Regum, Principum & Ordinum Imperii illam actionem prædeterminantem & præmoventem ad pacificationem sub tali rerum positu impedire, neque antecedenter, faciendo aliquid, quo posito motio Dei ad pacificationem non ponatur; nec consequenter, impediendo, ut motio Dei habeat effectum: scilicet nullo modo est nunc in potestate voluntatis Imperatoris, Regum, Principum & Ordinum Imperii posse non agere talia, qualia in pacis consultationibus aguntur, sed simpliciter est necessitas, quoad exercitium.*

Quemadmodum autem Suarez nos concludere docuit ad eversionem libertatis humanæ in pacificationis religiosæ actu, à prædeterminatione & præmotione in concursu divino physica, quam Bannes, Tagesius, Cabrera, Alvarez, Nugno & alii Dominicanæ Scholæ Deo tribuunt, [illegible] informat nos Did. Ruiz de Montoya *de volunt. Dei [illegible]* [illegible] 6.

Sic & concludere docet Did. Ruiz.

Sic enim ait: Generalis concursus primæ causæ ad actus liberos [illegible] libertatem non destruit, sed potius causat & protegit. Destruere autem eorum libertatem, si physicè prædeterminaret: contra verò causat & protegit propter [illegible] [illegible]tiam, ra-

tiam, ratione cuius patitur à creata voluntate liberè determinari ad bonum vel malum actum, & ad hanc vel illam speciem boni actus vel mali. Minor probatur, quoniam physica prædeterminatio inducit antecedentem necessitatem in sensu composito. Hæc autem funditus evertit libertatem. Hæc autem ita se habere, probat D. Ruizius *in Tomo de scientia, disputat. 33. & 34. & in hac sect. 2. num. 4 ita discurrit*: Necessitas antecedens formaliter, directè & adæquatè est forma exclusiva libertatis, eò quod cum ipsa necessariò & inseparabiliter cohæreat impossibilitas omittendi actum, quæ pugnat cum altera parte libertatis, sicut privatio cum habitu. Quapropter quemadmodum simul cum tenebris manere lucem implicat contradictionem, sive tenebræ inducantur à prima causa, sive inducantur à secunda, & quantumcunque prima causa per infinitam sapientiam atque potentiam exquirat modum inducendi tenebras, qui suavissimus sit corpori diaphano & luci, ita etiam simul cum necessitate antecedente unius partis, & antecedente impossibilitate alterius partis implicat contradictionem, manere eiusdem partis possibilitatem. Nam impossibilitas & possibilitas quasi privatio & habitus opponuntur, sive impossibilitas à prima, sive à secunda causa inducatur. Et quantumcumque prima causa per infinitam sapientiam atque potentiam exquirat modum inducendi impossibilitatem alterius partis, qui suavissimus inveniri possit & maximè conformis naturæ & libertati voluntatis, adhuc opponuntur sicut privatio & habitus. Porrò sublata unius partis potestate claudicat ex altero pede, imò tota corruit libertas, quæ formaliter consistit in potestate utriusque partis. *Ita disserit* Ruizius. Imitemur Magistrum, & sic argumentemur: *Ubi est necessitas antecedens, ibi funditus evertitur in causa secunda agendi libertas. Atqui in transactione seu pacificatione religiosa est necessitas antecedens, scilicet necessitas præmovens & prædeterminans inevitabilis. Ergo in transactione seu pacificatione religiosa funditus est eversa in causis secundis, scilicet Imperatore, Regibus, Principibus & Ordinibus, agendi libertas.* Minorem probavit Ruizius, qui & Maiori se patrocinio oblectat. Applicemus verba ad nostrum casum. *Necessitas antecedens, formaliter, directè & adæquatè est forma exclusiva libertatis in actionibus pacificatoriis; unde quicquid agitur & transigitur, agitur & transigitur necessariò non solum, cum agitur, sed etiam quia agitur, & quod agitur, quia agitur per præmotionem & prædeterminationem antecedentem inevitabilem. Quapropter quemadmodum simul cum tenebris manere lucem implicat contradictionem, sive tenebræ inducantur à prima causa, sive inducantur à causa secunda, & quantumcunq; prima causa per infinitam sapientiam atque potentiam exquirat modum inducendi tenebras, qui suavissimus sit corpori diaphano & luci, ita etiam simul cum necessitate antecedente unius partis, scilicet Dei prædeterminantis & præmoventis ad transactionem religiosam sub hoc & [illegible], & antecedente impossibilitate alterius partis, scilicet Imperatoris, Regum, Principum & Ordinum Imperii, evitare illam præmotionem & prædeterminationem non valentis, implicat contradictionem, manere eiusdem partis possibilitatem efficacem ad omittendam actionem, vel aliter aut alias.* Nam impossibilitas ad reprimendam huiusmo-

huiuſmodi actionem pacificatoriam, & poſſibilitas, quaſi privatio & habitus opponuntur, undecunque inducantur. Et quantumcunque prima cauſa per infinitam ſapientiam atque potentiam exquirat modum inducendi impoſſibilitatem unius partis, qua ea non poſſit non agere talia, qualia ad hanc compoſitionem pacis inducunt, qui ſuaviſſimus inveniri poſſit, & maximæ conformis naturæ libertatique voluntatis, adhuc tamen opponuntur, ut privatio & habitus. Suarez ſupra, cùm diſtinxit inter ſcientiam ſive apprehenſionem neceſſitatis aut libertatis in operando cùm prædeterminatione Dei, & inter neceſſitatem ſive libertatem ipſam, & dixit, ut quis neceſſario operetur, non neceſſe eſſe, ut quis ipſam neceſſitatem apprehendat, intelligat aut velit, ut quis liberè operetur, non neceſſe eſſe, ut quis ipſam libertatem ex parte objecti apprehendat, intelligat, aut velit, ſatis eſſe, ſi quis neceſſitatur ad agendum, etiamſi putet ſe liberè velle taliter operari, manifeſtè indicat, juxta *Prædeterminatianorum Pontificiorum* opinionem, agentes quoſcunque homines, adeóque etiam Imperatorem, Reges, Principes & Ordines Imperii eſſe in opinione, & ſuavi quadam imaginatione libertatis in agendo tranſigendóque, & per eam ſibi blandiri, aut in ea angi agitarique, revera autem antecedente quapiam neceſſitate ad actiones, aut tranſactiones adigi.

Applicemus quæſo exemplum, quo SUAREZ *pag.* 115. utitur, & ſubſtituamus caſum noſtrum. Conſideremus Ordines Imperii in univerſum graviſſimâ tentatione quâdam ſollicitari & invitari ad eiuſmodi pacificationem, quam Euſebius quâvis libidinis flammâ deformiorem, turpioremque quovis mendacio cenſet, qui antequam in eiuſmodi pacificationem conſentiant, per judicium rationis perpendant omnes abſurditates & turpitudines illius, quas ſcripto ſuo expoſuit Euſebius, cuius conſiderationis vi poſſint pro libertate ſua conſentire, vel cum gratia divina diſſentire, tunc ergo conſideremus Deum adjungentem efficaciam ſuam & ea prævenientem conſenſum Ordinum Imperii, Romanæ Eccleſiæ conjunctorum, illorumque voluntatem determinantem, ut conſentiant & velint actum illum pacificationis tantopere reprehenſæ, tanquam ſibi & ſtatui ſuo utilem; ita enim affirmat Prædeterminatianorum ſecta apud Pontificios, ſe habere Deum circa voluntatem hominis, quia totum hoc, quod propoſitum eſt, materiale eſt peccati interioris. Quomodo ergo Ordines Imperii non juſtè excuſabuntur, & conquerentur? dicentes, Per Deum abfuit, ipſe enim potuiſſet noſtram voluntatem ad diſſenſum determinare, & noluit, non noſtra culpa, ſed ſua voluntate; nam antequam nos quicquam paciſceremur, ipſe ita decrevit & fecit. Verè enim dicere poſſent Ordines illuſtriſſimi, ipſe nos implanavit, nam ipſe voluntatem noſtram determinavit, & fecit nos facere, & niſi ipſe talem voluntatem in nobis inchoaſſet, nos non potuiſſemus incipere: nec poſtquam ipſe nos determinavit, vitare nos potuiſſemus malitiam, quam cum tali actu conjunctam, quibuſdam ita aſſerentibus, habuimus. Revera nihil occurrit, quod Ordinibus ita quiritantibus reſponderi poſſet. Interro-

gare

gare insuper possemus cum Suarezio, an DEUS ut prima causa æquè potuisset voluntates & consultationes Ordinum determinare ad pacificationem non cooperantem cum hæresi, non inferentem Creatori & veræ religioni injuriam, non causantem tot animarum perditionem, non promanantem ex usurpatione potestatis incompetentis, non repugnantem officio & obligationi Cæsaris Statuumque Catholicorum, maximè Episcoporum, non frustratoriam & bello periculosiorem, non absque comparatione magis inordinatam mendacio, non destitutam suffragio Ecclesiæ, summorum Pontificum, S S. Patrum veterum, Cæsarum, Principum Statuumq; Catholicorum, adeóq; ad actum, qui fuisset nolle tunc proposita ex hac pacificatione, delectatione frui, ac ad actũ qui est, velle hic & nunc & taliter pacisci, ut hæresi cooperentur, creatorem veramque religionem lædant, tot animas perdant, potestate non sua utantur, juramenta violent; frustratoriè agant, plusquam mentiantur & tot autoritatibus sacratissimis reluctentur? Nemo prudens & cordatus, qui admiserit, posse Deum hoc posterius facere, negabit (credo) posse etiam facere illud prius. Nam voluntas ipsa potest illorum actum elicere. E. Deus æquè poterit illum ad eum efficiendum determinare. Rursus ergò interrogamus cum eodem Suarezio, an ex vi concursus generalis primæ causæ debeatur potius huic voluntati pacificatoriæ ordinum Imperij Romani determinatio ad actum talis pacificationis, qualis in litigio? an verò ad aliam aliquam in feliciori idea conceptam? Nulla penè probabili ratione illud prius affirmari potest, scil. quod ex concursus generalis primæ causæ virtute huic potius voluntati pacificatoriæ ordinum Imperij Romani determinatio divina debeatur ad talem actum, quam alij. Cum enim ista voluntas æquè sit potens ad utrumque actum efficiendum cum generali concursu, cur potius debebitur illi concursus, vel determinatio ad actum hunc pacificatorium, quam ad alium emendatiorem. Si itaque dicitur, voluntati Ordinum illustrissimorum imperij in eo discrimine constitutorum non magis deberi determinationem ad pacificationem perfectiorem & inculpatiorem, quam ad præsentem tot calumniis aut animadversionibus obnoxiam, DEUM autem pro suo libero arbitratu ad hanc potius quam ad illam voluntatem paciscentium determinasse, quis non videat statim, quod omnia absoluta necessitate divinitus interposita fiant?

Digressio III.

De cooperatione Dei in productione hominis ex parte originis animæ, collata cum cooperatione ad hæresin in transactione impugnatæ pacis.

Quandoquidem verò Eusebius Ernestinus cooperationi Pacis religiosæ cum peccato hæreseos tantopere adversatur, ut ipsum ad mitiorem revocemus

De cooperatione Dei ad creationē & infectionem animæ, Papistarum disputationes.

mentem, adhuc & illud addamus, quod in schola Pontificia de Origine animarum docetur; Nimirum *animam ex coniunctione cum carne, cui in creatione coniungitur, contaminari.* Inde enim sequitur; Deum animæ illius creatorem, dum eam corpori immittit & unit inevitabiliter, directè cooperari peccato originis in illam animam introducto. Sed eruamus ista plenius. Statuunt communiter Pontificij ex Adamo in posteros veri nominis peccatum traduci. Nec vel Jacobi Fabri Stapulensis, vel etiam Alb. Pighij sententia placet, qui in solo reatu vel obligatione ad mortem peccati originalis rationem constituunt. Quia verò metuunt, ne dignitatibus & excellentiis, immortalitatis scil. & simplicitatis, animæ rationalis obstet, si ea dicatur ex peculiari & efficacissima lege benedictionis divinæ propagari cum corpore à parentibus, ad creationem confugiunt. Sed hærent, quomodo Deus imagine divina destitutam quidem animam producere queat, interim tamen ita in societatem humanam mediante corpore suo introducat, ut inficiatur sine prævio peccato aliquo actuali ipso peccato originali. Producam ex antiquis Card. Bonaventuram *in 2. sentent. dist.* 31. *principali II. artic.* 1. ita disserentem; Ad intelligendum, quomodo anima sit infici corruptione culpabili ex fœditate originali, tria supponenda sunt tanquam manifesta, quorum unum est, quod fœditas carnis potest facere carnem rebellem spiritui, quod patuit in Adamo, qui post peccatum sensit carnis suæ rebellionem. Secundum est illud, quod anima unita carni propter coniunctioné ipsius ad carnem, vel contrahit eam sursum, vel trahitur ab ea deorsum, propter vinculum, quod est ipsius carnis ad animam. Tertium est illud, quod anima propria virtute non potest regere carnem rebellem, nisi juvetur per divinam gratiam. Ex his igitur tribus suppositis necessario sequitur, quod si anima tali carni unitur, quod ab ipsa trahitur deorsum & per concupiscentiam incurvatur. Sed animam incurvari, non est aliud, quam eam perverti. Perversitas autem in substantia rationali, quæ est capax justitiæ, non est aliud, quam injustitia & culpa. Ex hoc igitur clarum est, quod fœditas, quæ est in carne, possit animam sibi unitam facere peccatricem. Et quia illa fœditas à primo parente traduci habet in omnes posteros genitos secundum legem propagationis, hinc est, quod mediante carne ad omnes transfundit originale. Hoc autem melius explanatur per evidentiam exemplorum. Videtur enim quod caro de se nō dolet: nec est in ea passio doloris ante adventum animæ, quamvis possit inesse incisio: ponatur igitur animam uniri carni incisæ & læsæ, statim cum ei unitur, habet dolorē & [illegible] dolorem aggenerari in anima, non incisionem. Si igitur carnis incisio potest facere animā dolentem, quare non similiter carnis quædam [illegible] faciet lascivam & concupiscentem, quamdiu habitat in carne. Item est [illegible] aliquod corpus ineptum esset ad rationis usum, sicut est corpus in ea dispositione, quam habet phreneticus & furiosus, in tali corpore nec datur [illegible] ignorantia, sed quædam dispositio mala, si tamen anima tali corpori [illegible], statim efficeretur ignorans & furiosa, quamdiu esset in carne illa, quare non possumus similiter intelligere & in concupiscen-

cupiſcentia. Rurſus, eſto quod aliquod membrum formaretur ad motum & regnum animæ ineptum & inhumanum, utpote in ea complexione, quam habet membrum paralyticum, ſtatim cum virtus motiva uniretur membro illi, diceretur, ibi eſſe morbum paralyſeos, & eſſet virtutis diſſolutio, & per conſequens tremulatio. Virtutis autem diſſolutio non eſſet quantum ad corruptionem virtutis motivæ in ſe, ſed quantum ad ineptitudinem organi, quod oportet regi ab illa virtute; ſic & in propoſito intelligendum eſt, quod in corpore ante adventum animæ non eſt actualiter morbus culpæ, ſed juncta anima, quæ debet ipſum corpus regere, propter corporis ineptitudinem caret, anima rectitudine virtutis regitivæ, & illa carens tremuloſa efficitur per actum concupiſcentiæ, & ſic patet, quod valde eſt veriſimile, quod originale anima poſſit contrahere ex carne. Prænotandum autem eſt tripliciter aliquid agere in alterum: Uno modo per prædominantiam, ſicut contrarium agit in ſuum contrarium. Alio modo per influentiam, ſicut corpus ſuperius agit in hæc inferiora. Tertiò per colligantiam, ſicut quando duo ita ſunt unita, quod unum trahit ad ſe alterum & communicat alteri proprietates ſuas. Cum igitur dicimus, carnem inficere animam, hoc intelligitur, quantum ad tertium modum agendi, ſcil. propter colligantiam, quam habet ad animam, propter quam, dum deorſum tendit, eam ſe cum trahit. *Ita de origine & unione animæ cum corpore loquitur Cardinalis.* Ubi multa obſervanda eſſent, quæ diſcuſſioné mererentur accuratam, ſi hic ex profeſſo de hoc negotio diſſerendum eſſet. Negaremus, *quod fœditas carnis poſſet facere carnem rebellem ſpiritui.* Nam cum caro dicitur in ſacris rebellare ſpiritui, neq; per ſpiritũ intelligitur ſubſtantia animæ, neq; per carnem intelligitur corpus, ſed per carnem intelligitur vetus homo, per ſpiritum novus homo, ut alibi explicatum eſt. Et falſum eſt, *carnem, h.e. corpus in ſe & ex ſe moraliter rebellare ſpiritui, h.e. animæ.* Sed & injurium eſt in Deum, ſi dicatur *fuiſſe rebellionem inferiorum & materiæ adverſus ſuperiora & animam in Adamo ante lapſum, ſed per lapſum demum illam rebellionem in actum prorupiſſe.* Si enim ex materiæ conditione fluit iſta rebellio neceſſariò, quomodo Deum à conſortio culpæ liberabimus. Qui enim eſt autor antecedentis, eſt & immediati conſequentis: & cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati in eſſentialiter ſubordinatis. Et quis tandem autor fuit eius mali, rebellionis ſc. ſi Deus non fuit? Num Diabolus? At ante peccatum primum nihil ille homini inſevit. Num boni angeli? Abſit hoc ab illorum conſtantia in ſanctitate & veritate. Nonne quicquid per creationem cœpit, à Deo ortum habet, Deoque acceptum ferri debet, ſive hoc ſit [illegible] ſive ἐμμέσως? Omne naturale, bonum eſt, quia à Deo creatum, cuius opera cuncta valde bona. Gen. I, ult. Qui igitur ex creatione oriunda rebellio? *[illegible] natura vitioſa,* inquit *Auguſtin.* Enchir. cap. 12. *in quantum natura eſt, bona eſt, in quantum vitioſa, mala eſt.* Nonne Bellarm. *de Amiſſ. grat. & ſtat. pecc.* V, 2. ita contra Flacium concludit: *Si ſubſtantia noſtra eſt peccatum & malum, vel non eſt creatura, quod eſt contra Evangelium, quod Ioh. 1, 3. ait, Omnia à Deo facta eſſe, vel non omnis creatura eſt bona, quod repugnat Apoſtolo,* 1. Tim. 4, 4. Dicamus & nos. Si rebellio

bellio

bellio est connaturalis ante lapsum, tunc aut non omne creatum vel concreatum bonum est, quod adversatur Apostolo, vel non omne naturale aut connaturale est creatum, quod adversatur Evangelio. Negaremus deinde, *in moralibus animam unitam carni ab ea trahi posse deorsum propter vinculum carnis ad animam.* Neque enim ulla facultas est in carne, ex qua ille animæ tractus deorsum fieri possit. Si traheret, vel ut objectum traheret, vel ut organon. Neutro modo trahit. Nam ut organon non trahit moraliter deorsum. Ut objectum propriè trahere nequit, quia corpus in se bonum est. Negaremus, *in carne, si pro corporis substantia, in præcisione ab anima considerata, accipiatur, esse tantam rebellionem, quam anima non possit regere:* cum omnis rebellionis radix sit in anima. Refutaremus ista similia, diceremusq;, ingens esse discrimen inter sensitiva & intellectualia. Id autem sepositis cæteris adnotamus, quod Cardinalis dicit, *animam à Deo creatam & in generationis humanæ nexum dispensatam, peccatum originale contrahere per* COLLIGANTIAM, *quam habet ad corpus.* Bellarminus Cardinalis *de A. G. & St. P. IV. 11.* valde se torquet in hoc negotio. Ait I. *ad traductionem peccati originalis nihil aliud requiri, nisi ut homo per veram generationem ab Adamo descendat. Hoc enim ipso, quod aliquis in lumbis Adami fuit, cum is præceptum transgrederetur, in illo eius peccato communicavit, cum in illo omnes peccarunt.* Atqui non qualiscunque descensus, sed descensus per partes essentiales & constitutivas generando communicatas necessarius est, ut peccatum originale traducatur. Inprimis illius partis descensus requiritur, in quo peccatum πρώτως residet & dominatur. Si illa in Adamo nullo modo fuit, nullo modo in Adamo peccavit. Ait 2. *Animam non trahi ex Adamo, quasi ab Adamo fiat, esse tamen partem hominis, qui verè trahitur ab Adamo.* At hoc nihil ad rem facit. Si enim non fuit in Adamo anima in se & per se, tum nullo modo in Adamo peccavit. Ait 3. *animam non pollui, cum creatur à Deo, sed cum per conjunctionem cum carne ex Adamo tractâ pars hominis efficitur.* Frigida illa quidem excusatio. Nondum liquet, quomodo justitia Dei salva sit, si creat animam nullo peccato contaminatam, & eam creatam simul eo momento unit corpori, ex cuius COLLIGANTIA, ut ait Card. Bonaventura, & conjunctione necessariò inficitur peccato & æternæ damnationi obnoxia fit inevitabiliter. Nullo enim modo potest anima conjunctioni illi & colligantiæ resistere & facere, quo minus per eam coinquinetur, sicut nec potest creationi resistere, quo minus existat. Sed mittamus ista. Notemus hoc ex mente Jesuitarum & antiquorum Papistarum: *Salva sanctitate Dei & justitia potuisse fieri eiusmodi colligantiam & coniunctionem, in qua irresistibiliter, involuntariè, necessariò unum alterum inficit peccato pessimo, & quidem fieri posse & de facto fieri ab ipso Deo.* Rursus, *Deum operari aliquam unionem, ubi ex rei unientis & unitæ conditione resultet rebellio.* Argumentari fas erit ita: Si salva maiestate sanctitatis & justitiæ Dei eiusmodi fieri potest colligantia & coniunctio, in qua irresistibiliter, inevitabiliter, involuntariè, necessariò unum alterum inficit peccato pessimo, sc. originali, & quidem fieri potest ab ipso Deo creante, tunc salva etiam Imperatoria Maiestate &

Ordi-

Ordinum pietate potest fieri eiusmodi per compositionem pacis colligantia & coniunctio Statuum Imperij, ubi diversæ de religione opiniones probatæ & improbatæ sub communi patrocinio libertatis tolerantur. Nam immensa est distantia inter colligantiam divinam, & nostræ pacificationis. In nostra unicuique sua libertas relinquitur, & libertatis benè defensum exercitium promittitur. Ibi omnis libertas exulat. Est enim unio essentialis. In nostra externæ communitatis. Ibi irresistibilis, involuntaria & necessaria est pollutio & infectio. Hic resisti, evitariq; omne periculum potest. Necessitas planè exulat. Si itaq; Deum suum liberare poterunt à cooperatione indirecta & directa mali, imo ab ipsa operatione mali nonnulli Pontificij, nos sacratissimos Imperij Romani Ordines longè facilius à cooperatione cum hæresi liberaturi sumus. Si Deus in uno eodemq; subiecto ex ipsa rei creatæ conditione resultantem rebellionem relinquere, tolerare, conservare potuit, quid obstabit, quominus extrinsecus corpori Imperij supervenientem religionis diffidentiam in diversis Imperij partibus, cum metus est ruinæ totius, nisi id fiat, tolerare & certis quibusdam ac prudentibus legibus circumvallare possit?

Scrupulus II.

An pax hæc sit quovis mendacio inordinatior, quia violat ordinem charitatis divinæ & religionis, veræ falsam exæquando?

Ostendimus quoad II. rationem, qua dicitur, quod pax ista violet ordinem charitatis divinæ & religionis, veræ religioni falsam exæquando, in dignitate illæsæ famæ, libertate eam profitendi, defensione, perpetuitate, & juris publici autoritate: ista omnia frustra quiritari Eusebium Ernestinum. Non æquari falsitatem veritati in foro poli, neque ibi dignitatem illæsæ famæ retinere, sed hæc omnia statum politicum concernere, in quo nec infamia hæresi, ubicunque illa sit, per se cohæret. Ostendimus etiam, defensionem concernere potissimum libertatem ipsam, quæ per se nulla sit contaminata macula, & huic etiam immediatè perpetuitatem & juris publici autoritatem ex sanctionis pacificatoriæ scopo decretam & promissam esse.

Scrupulus III.

An hæc pax sit inordinatior quovis mendacio, quia causat perditionem animarum?

Ostendimus quoad III. qua dicitur, quod pax ista violet ordinem charitatis divinæ & religionis, in utriusque injuriam hæresi cooperando, sed &

ordinem charitatis proximi, non solum per hæresin cooperando perditioni animarum, verum etiam velut ex officio ad hæresin vel injustam emigrationem, si hæretico Principi placeat, compellendo: Catholicam deinde religionem ex locis legitimè recuperatis expellendo; istas querelas omnes frustraneas esse. Neque illam sanctionem ordinari ex se ad perditionem animarum, sed ad tranquillationem status publici, cui alia ratione consuli, nisi concessione libertatis & juris in constituenda religione, non potuit. Neque per istam sanctionem, dummodo in vigore suo conservetur, quisquam ad hæresin compellitur: quia libertatem dat interim omnibus, dum jus constituendæ religionis assignat Optimatibus. Neque necessitatem injustæ emigrationis imponit, dum religionis causa neque in animis, neque in bonis vim inferri alicui patitur. Quod ad restitutionem locorum occupatorum attinet, eam actum politicum esse docuimus, cui per se & ex natura rei non cohæreat hæresis introductio. Unde si restitutioni accidat, ut restituti opinionem restituentibus adversam introducant, restitutorum conscientiis, non verò decreto de restituendo adscribendum est. ut

Scrupulus IV.

An in usurpatione potestatis incompetentis pax hæc quovis mendacio inordinatior appareat?

Ostendimus quoad IV. qua dicitur, quod pax ista excedat ordinem justitiæ, usurpando juridictionem non competentem in causas religionis, personas Ecclesiasticas & bona ac jura Ecclesiarum, *tum* jam olim hanc rationem esse à Capitibus Imperij Romani explosam: *tum* potestatis competentiam vel incompetentiam esse jam dudum maximopere controversam: *tum* Aug. Carolum V. & Ferdinandum I. Cæsares nunquam vel credidisse, vel concessisse, sibi non competere potestatem transigendi de rebus ad tranquillandam Germaniam etiam ex capp. religionis pertinentibus, quod ex multis actis publicis manifestavimus: *tum*, quia Impp. sibi tribuant potestatem circa Ecclesiastica: *tum* quia Carolus V. jus ordinandi res religionis per Concilij convocationem sibi attribuerit, *tum* quia in prisca sanctione Pacis religionis illud jus disertè conservatum fuerit: *tum*, quia Carolus V. non obstante eo, quod cognoverit, Pontificem Rom. sibi soli potestatem in spiritualibus vindicare, tamen in contradictione perseveraverit: *tum*, quia Carolus V. nunquam ita subjectus legatur excommunicationi, ut ejus casus inter reservatos connumeratus fuerit, qualis fuisset, si Carolus V. usurpator potestatis Papæ fuisset: *tum*, quia si illa pacificatio ex usurpata incompetente potestate promanasset, omnes Germaniæ Electores Ecclesiastici, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Prælati &c. in materia sui fori & juridictionis incompetentis errassent, quod dici vix possit: *tum*, quia aliter consulentes maximè fidi & Rom. Ecclesiæ addi-

Recapitulatio de potestatis competentia.

addicti de illa potestatis incompetentia pronunciarint; *tum* quia valdè incertum sit, saltem in arcano non consensisse Pontificem Rom. tantæ rei sanctioni, è qua tot tamque eminentia saluti publicæ pependerunt momenta; *tum* quia si vel maximè incompetens fuisset ordinariè potestas constituendi aliquid in juribus religionis, sive dispensandis, sive restringendis, in hoc tamen casu requisitio prætensæ superioris potestatis non fuerit necessaria; *tum* quia genuinum & immediatum obiectum pacis religiosæ, veluti regale, non sit propriè loquendo spirituale, circa quod potestatem indisputabilem sibi arrogat Pontifex; unde neque, ut circa illud disponeretur, Pontificis indulgentia opus fuerit; *tum* posse de jure divino principes politicos decernere, quæ ad constitutionem, propagationem, conservationemque decretorum fidei judicaverint necessaria; *tum* esse quædam jura Ecclesiastica, consuetudine & usurpatione introducta, in quæ caput & Senatus Imperij potestatem habeat pro exigentia salutis publicæ statuendi; *tum* de bonis Ecclesiasticis multa ex suppositione & opinione tradi, quæ neque antiquæ intentioni sint consentanea, neque satis certo fundamento subnixa, & per praxin contrariam non semel facta; *tum* quia nondum etiam inter Romanæ Ecclesiæ Doctores certum sit, quis sit bonorum Ecclesiasticorum Dominus: *tum* quia & inter eosdem de bonis Ecclesiasticis extinctis interminabilis est futura disputatio, nisi alia ratione tota controversia fuerit extincta; *tum* quia Imperator & Ordines nullam alienandi bona Ecclesiastica potestatem usurparint; *tum* quia si usurpata fuisset, casus necessitatis & salutis publicæ vindicatio illud cohonostasset; *tum* quia recuperata restitui possint, si universitas ex non restitutione in summum adducatur discrimen; *tum* quia potestas spiritualis, quæ à politica potestate usurpari nequit, adversus errantes in religione suspensa non sit; *tum* quia jam olim potestatem in religionem & Ecclesiam ordinandam aliquam Magistratui seculari Doctores Ecclesiæ tribuerint, inprimis Gallicanæ.

Scrupulus V.

An ex violatione juramentorum pax mendacio inordinatior existat?

Recapitulatio de juramentis Imper. & Episcop.

Ostendimus quoad V. qua dicitur, quod pax ista peccet infidelitate contra officium & obligationem Cæsaris Statuumque Catholicorum, maximè Episcoporum; *tum* juramentum Imperatoris, si quod Pontifici Romano datur, non tollere, nec adimere jus reformandi & agendi cum hæreticis, aut in recepto cultu aliquid desiderantibus quibuscunque aliis: *tum* illud non obligare in casu notoriæ impossibilitatis, neque in casu extremæ necessitatis; neque etiam ad actum aliquem, qui nihil profuturus est, qualiter comparatam esse extirpationem omnium à Pontificis sententia in negotio religionis dissentientium, manifestavimus;

vimus;

vimus: *tum* nec obstringere Imp. & Status ad eversionem propriam, qua se suaq; consumerent, quod præsentissimum Imperatori & Ordinibus fuisse, docuimus: *tum* expirare obligationem, si juramentum observatum impediret accessionem maioris boni, aut aversionem maioris mali: *tum* nihil valere, si obligare incipit contra legem civilem, inprimis Reipub. fundamentalem, qualis omninò est pax religionis: *tum* de obiecto illius juramenti, & quam latè sese extendant privilegia & jura Romani Pontificis aut Ecclesiæ, adhuc gravem esse disputationem, in quã nullo præjudicio sui status Imperator & Ordines Papæ jurati sese immiscere teneantur. *tum* juramentum Imperatoris posterius ad prius esse mensurandum, cum per illud tertio se nequeat obligare in detrimentum libertatis & jurium status: *tum* non aliud Imperatorem juratò promittere potuisse quam est ipsa Capitulatione Imperatoria expressum, in qua per legem imperij limitata est, & etiam quadantenus remissa obligatio ad Pontificem & Rom. Ecclesiam: *tum* verba juramenti Pontifici præstiti ita interpretanda esse, ut minus obligent nec latè, ut facere amant Pontificij extendenda, quo facto nõ attingent Ecclesias Germanicas &c.

Scrupulus VI.

An ex suboritura perfidia pax inordinatior sit mendacio?

Ostendimus quoad VI. rationem, qua dicitur, veritatis quoque ordinem ista pace perturbari, esse enim frustratoriam sive fallacem, adeoq; grande mendacium, formale quidem apud intelligentes, materiale autem apud eos, qui defectum potestatis & materiæ ignorant; non esse mirandum, rem magni momenti hostes pacis publicæ ita calumniari, attamen perfidiam, seu, uti hic loquitur Ernestus, grande mendacium ex parte Protestantium intercedere, multis rationibus confutari, neq; enim experientiam, neque hæresin, uti sententiam A.C. vocat Ernestus, neq; hæreticorum sensum ad perfidiam disponere. Atque his ita discussis non liquet, pacem, quam Ordines Imperij inter se sancire aut restaurare alloborant, absque comparatione magis inordinatam esse mendacio.

Digressio IV.

De mendacio, an per absolutam potentiam ei Deus cooperari possit?

Quicquid autem sit de inordinatione mendacij & deformitate, noverit Ernestus de Eusebiis, eam tantam non esse, ut eandem de potentia absoluta quidã Deo assignare erubuerint. Refert Ad. Tannerus *Tom. 3. Theol. Schol. disp. 1. q. 1. d. 5. p. 45.* & Matt. Becanus *Tom. 1. oper. p. 384.* Gabrielem *in 3. dist. 38. q. 1.* Aliacum *in 1. q. 12.*

Holco-

Holcotum *in* 2.*q*.2. & alios quosdam, citatos à Gregorio Ariminiensi *dist*. 42. *q*. 3. statuisse, *Deum de potentia absoluta & per se, & per alium falsum dicere, aut testari potuisse.* Petrus de Aliaco Card. Cameracensis *l.c.in dubitat*.3. utrum *Deus possit rationali creaturæ falsitatem dicere, vel eam decipere*, quarta propositione decisiva ita loquitur: *Deus potest de potentia absoluta rationali creaturæ falsum dicere, etiam per seipsum immediatè & directè.* Gabriel Biel. *l. c. notat*. 3. dicit: *Hæc verba & nomina mendacium & mentiri dupliciter accipiuntur, uno modo, ut includunt deordinationem, id est, ut non solum important actum mentiendi, hoc est, actum illum proferendi falsum, cum intentione decipiendi, vel proferendi aliquid contra mentem, sed cum hac connotant inordinationem, quod scil. talis actus proferatur cum circumstantia mala, iniustè, indebitè, contra legem, secundum quam acceptionem mox nominata convoluta sunt malitia. Et ita communiter accipiuntur hæc nomina & verba à Sanctis & Doctoribus, secundum quem modum impossibile est Deum mentiri, aut etiam mendacium præcipere, vel decipere, eo quod impossibile est Deum facere aliquid inordinatè vel malè: quod eò quod aliquid vult aut facit, ordinatè aut benè facit. Alio modo accipiuntur, ut non connotant huiusmodi inordinationem, seu circumstantiam ex se malam, sed dicunt actum illum contra mentē prolatum, sive inordinatè fiat, sive non inordinatè.* Hac distinctione posita secunda conclusione ita decernit: *De potentia Dei absoluta cuiuslibet generis mendacium acceptum secundo modo fieri potest sine peccato.* Addit probationes: I. quia secundum B. Augustinum aliqui merentur decipi & deceptione puniri: Nam & Apostolus ad Rom.1. de gentilibus Deum cognoscentibus, sed non ut Deum honorantibus dicit: Propter quod & tradidit illos Deus in reprobum sensum; ergò iustum est tales decipi ultra. Ergò iustum est, decipere. Item Deus potest alicui præcipere, ut per mendacium alium decipiat. Ergò sic per mendacium decipiens non peccat. Consequentia nota. Antecedens probatur: quod nullam includit contradictionem. Ergò Deus potest. Item potest Deus præcipere alicui, ut innocentem occidat, ut patet de Abraham. E. etiam potest præcipere alicui, ut alium decipiat mendacio, quod minus est hoc contra rationem: quod minus contra bonum proximi, quam primum. Item, omnem pœnam iustam potest aliquis iustè infligere. Sed deceptio quandoque est pœna iusta. Ergò eam potest aliquis iustè infligere: maximè si hoc à Deo sibi præcipiatur. Et tunc decipiendo non modo non peccaret, sed cæteris paribus mereretur. Item Deus decipit per malos homines & angelos, ut dicit Augustinus lib. 83. quæst. q. 63. multum latè & pulchrè. E. hoc idem potest per bonos. Item potest tollere præceptum de mendacio: & tum mentiens non peccat. Siquidem nemo peccat, qui non agit contra legem &c. *Hæc Gabriel.* Iuxta horum hominum sententiam mendacium tanta deordinatio non est, quantam Eusebianus Ernestus tradit.

Digressio V.

De cooperatione Dei ad productionem mendacij ex sententia Prædeterminatianorum.

Notamus & illud, ad cooperationem cum mendacio directam Prædeterminatianorum Deum producere physicam circa actiones hominum præmotionem & tamen illam in regno Papali tolerari. Deducit illud nervosè Didacus Ruizius de Montoia Jesuita. Sic enim de voluntate, *disputation. X X X. section. 1. pagina* 305. Probabiliter, *inquit*, disputando, nullamque sententiæ contrariæ censuram aut notam inurendo Theologis proponimus considerandas rationes, propter quas nutare videtur divinę veracitatis autoritas, quæ fidei fundamentum est, ac subinde tota fides Ecclesiæ dubiis fluctuare, si semel admittitur, esse possibile, prædeterminari à Deo materialem actionem peccati. Quia si Deus à seipso determinatus potest efficaciter velle atque physicè prædeterminare materiales actiones, realiter & quidditativè pugnantes cum ratione recta, & amplectentes transgressionem divinæ legis, dummodò Deus non intendat formalem rationem malitiæ, sed bonos alios fines suæ gloriæ, sequeretur inde, potuisse Deum ita cum hominibus loqui, ut proferret causaretque materialem entitatem propositionum aliquarum, quæ sunt falsæ, volendo efficaciter & causando materialem entitatem mendacii, & prædeterminando intellectum & voluntatem ad totam realitatem consensus in mendacium & errorem, dummodò Deus non intenderet formalem rationem malitiæ & falsitatis, sed potius inde colligeret majorem suam gloriam & omnium utilitatem. Explicatur primo, enumerando faciliores modos, quibus materialis entitas mendacii seu propositionis falsæ posset a Deo causari atque proferri, si posset physicè prædeterminare materiales actiones. Primus est, si per visiones sive vigilanti sive dormienti homini proponat Deus talia objecta sensibilia, quæ significent falsum aliquid, non intendendo falsitatem, sed solummodo intendendo atque causando totam realitatem illorum. Secundus si cum intentione simili Deus formaret in aere voces humanas, ad placitu significantes aliquid falsum. Tertius si miracula ederet propria divinæ virtutis, cujusmodi est, mortuos, præsertim quatriduanos ac fœtidos, suscitare, & his miraculis adjungeret materialem entitatem alicujus propositionis asserentis, illa fieri in confirmationem talis veritatis, cum tamen falsa esset & apparens tantū veritas. Quartus si Deus immediatè moveat intellectum & voluntatem creatam, ut realem consensum producat in ejusmodi mendacia, non intendendo falsitatem illius consensus, sed solummodo intendendo atque causando materialem illius entitatem. Explicatur secundò, sub indicando atque ob oculos ponendo varios

fines

fines ex se optimos, quos per materiales entitates mendaciorum & errorum Deus intendere posset atque colligere. (Hos vel excogitare horret animus, nedum credere, in Deum cadere posse) Nimirum per existimationem realem immortilitatis animi, judicii supremi, æternæ gloriæ & æterni supplicii, quamvis ea existimatio falsa foret, homines ad studium virtutis elicere, & à vitiis deterrere, non intendendo formalem rationem falsitatis & erroris, sed solummodò causando materialem entitatem illius existimationis eo fine, ut homines in officio & Dei obedientia contineat. Similiter per materiales quasdam blanditias & suavitates, quibus Dei erga homines benevolentia, cura & providentia significari solet, cohibere querelas hominum de divina providentia, & excitare Dei amorem, quamvis in prædictis omnibus signis inesset falsitas & fictio, sed tamen à Deo non intenta, nec causata, eò quod solummodò vellet ac causaret materiales illius entitates. Nunc verò quanta sit falsitas & absurditas consequentis, & proinde quantum divinæ autoritati & fidei certitudini repugnet, materialem entitatem falsæ propositionis à Deo posse proferri & causari, & posse movere ac determinare ad materialem consensum, modo nuper explicato, probatur, quia totius fidei fundamentum & certitudo concutitur & debilitatur per eiusmodi materiales entitates non minus, quam si concederes, Deum posse, velle & causare mendacium, etiam ut mendacium est, secundum eius rationem formalem falsitatis & malitiæ. Quia possibile est, fidem nostram rebus falsis deludi non minus priori, quam posteriori modo. Si enim Deus potuit mihi proponere credendam falsam assertionem gloriæ & supplicii æterni, & me efficaciter movere per internum impulsum ad illam credendam certissimè, jam mea fides decipitur, etiamsi Deus intendat solam materialem entitatem mendacii & erroris, & ad optimum finem dirigat, neque magis falsa foret mea fides, quantum ad hunc articulum, si Deus ex libidine mentiendi & decipiendi mihi eandem falsitatem proponeret. *Hæc Ruizius*, quæ ista sectione gravissimè exaggerat & latissimè deducit. Sect. II. diluit excusationes, quibus doctrinam de promotione voluntatum humanarum absoluta à periculo concussionis religionis Christianæ, quoad certitudinem, vindicare satagunt Prædeterminatiani. Nos sic concludimus: *In qua Ecclesia admittuntur hypotheses, quæ inordinationem mendacii divino concursui tantam attribuunt, ut certitudinem universæ religionis convellant, in eadem pacis religiosæ postulatione sunt tanta cum acerbitate eliminanda. In Sicecela Armona istiusmodi hypotheses sub gratia & privilegio admittuntur.* E.

Digressio VI.

De licentia mentiendi in Sicecela Armona.

Videamus denique & istam in Sicecela Armona non peregrinam aut novam philosophiam. Angelus de Clavasio *in Summa V. Iuramentum* 3. §. 9. Sylvester Prierias *eod. verb, 4. quæst. 7. distinct. 3.* Martinus ab Azpilcueta Navarrus *in cap. humana aures*

næ aures 22. quæst. 5. in quæst. 2. num. 12. Mich. Salonius 2.2. *quæst. 89. art. 2. controvers.* 11. §. 4. Philiarchus *Tom. 1. de offic. Sacerdot lib. 3. cap. 14. §. verum.* Gregor. de Valentia *T. 3. disput. 1. quæst. 13. punct. 2. circa 2. conclus. ad* 1. Sanchez. *lib. 3. Moral. cap. 6. num.* 35. Leonh. Lessius *de Iust. & Iur. lib. 2. cap. 42. dub. 9. num.* 45. Nicol. Serarius *in Iudith. cap. 13. quæst.* 10. affirmant, *eum, qui scienter alteri enunciat, aut exhibet signum, seu vocis, seu facti, quod ex se & secundum omnes circumstantias ad unum sensum, cumque falsum determinatum est, a mendacio immunem esse idcircò, quod mente suâ aliquid aliud concipiendo adjungat, per quod oratio vera perficiatur.*

De mentali reservatione.

Fundamentum assumunt, quia mentiri sit contra mentem loqui, seu velle aliquid exterius significare, quod in mente scitur, seu putatur falsum. At verò in proposito casu loquens, non vult significare, quod falsum est, sed quod verum: propterea enim retinet partem orationis in mente, cum qua externa oratio verum sensum habeat, quem etiam intendit. Exempla sunt: si tibi de homine innoxio, qui fortè præterit, Titius dicat, *iste est latro*, & in mente concipit, si innocentem occidit, nihil contra mentem loquitur. Sic si herus famulum de fracto nuper vitro arguat, ille autem constanter neget, unquam se vitrum fregisse, subintelligendo intra se, mense præcedente; sicut & adultera, quæ examinata a marito de commisso adulterio, negat, se fidem matrimonii unquam fregisse, subintelligendo, horâ præcedente, quod est exemplum Soti *de secreto membr. 3. quæst. 3. ante 7. conclus.* nihil dicunt, quod falsum putent. Atqui in hac re verè & propriè dictum mendacium contineri, hoc fundamento probamus. Is mentitur, qui contra id, quod animo sentit, alteri loquitur, aut significat animo fallendi; sive qui volens alteri falsum enunciat causa fallendi. Hoc ipsum autem facit is, qui alteri, quem rei ignarum putat, loquitur enunciationem determinatam ad unum eumque falsum sensum. Ergo verè & propriè mentitur. Si enim restrictio seu limitatio orationis mente retenta exteriusve nullo modo significata conduceret ad vitandum mendacium, nullus, qui astutus satis est, mendacium admitteret, & consequenter nunquam peieraret, cùm perjurii propriè dicti unica sedes sit mendacium. Consequens autem est periculosum, & ad subversionem totius boni publici inductivum. Consequentia probatur, quia homo astutus, quotiescunque orationem exterius falsam profert, potest aliquid intra mentem concipere, per quod oratio vera fiat. Est autem mendacium inprimis hominum astutorum, qui aliud in mente gerunt, aliud exterius significant, decipiendi causa. Ad fundamentum in contrarium allatum, respondendum, contradictionem involvere, quod aliquis orationem externam, quam scit aut putat falsam esse, alteri deliberatè loquitur, & nolit significare falsum, sive nolit aliud significare, quàm in mente sentit. Esse enim quidem id, quod in mente retinetur ac reticetur, partem componentem orationis internæ seu mentalis, non esse autem partem componentem orationis externæ, seu erga alterum significativæ. Quia impossibile est, ut oratio externa seu significativa ex conceptibus internis nullo modo externè significet, ideóque nec significantibus

tibus componatur. *Duplex cor*, inquit Augustinus *de Mendacio cap. 3. dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio una rei ejus, quam veram esse vel scit, vel putat, & non profert; altera ejus rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse vel putans.* Sic verò se res habet in proposito, ut duplicem in mente cogitationem habeat: una est rei, quam exterius loqueris & significas, videlicet te vitri nuper fracti autorem non esse: cùm enim sciens ac volens hæc verba, ad significationem falsam omnibus circumstantiis determinata, ad alterum dirigis, profectò illorum falsitatem concipis, ideoque contra mentem loqueris. Altera est cogitatio, quæ in mente retinetur, & per verba nullo modo exprimitur, quod videlicet vitrum jam quidem fregisti, sed non in mense præcedente, & in hac oratione fateor, te falsum non dicere, neque mentiri, cùm mendacium debeat esse signum externum alteri intimatum. Atque hæc veritas adeò certa est, ut eam etiam nonnulli inter Pontificios complexi fuerint. Petrus Paludanus, è Dominicanorũ ordine, Patriarcha Hierosolymitanus *in 4. sentent. dist. 21. quæst 3. art. 3. conclus. 1. cap. ad illud quoque.* Card. Caietanus *2. 2. quæst. 87. art. 7. §. ad hoc dicitur.* Dominicus Sotus *libr. 5. de just. & iur. quæst. 6. art. 2. conclus. 7. & de secreto membro 3. quæst. 3. conclus. 1. in fin.* Alfons. Arragona *2. 2. quæst. 69. art. 2. §. sed dubitabit aliquis.* Lopez *part. 2. instruct. cap. 42. §. item qui non tenetur.* Johan. Azorius *Theol. Moral. lib. 11. cap. 4. quæst. 5. reg. 5.* Henr. Henriquez. *Moral. lib. 6. cap. 19. num. 8. in Comment. lit. K.* Ægidius Coninck *de act. supernat. lib. 1. disput. 10. dub. 3. conclus. 3.* Paulus Laymann. *Theolog. moral. lib. 4. tract. 3. cap. 13. num. 6. & seqq.* Sanè si admittatur illa reservatio conceptus alicuius mentalis ad integrandam aliquam propositionem foras prolatam, nulla pacta, nullæ transactiones, nulla fœdera, nulla juramenta constabunt, & tota societas humana convelletur. Et tamen toleratâ, imò propugnatâ illa, religiosæ pacificationis negotium, quod tanti momenti est, & servando Imperio Romano præsidium præsentissimamque exhibet manum, contumeliosè traducitur, & inter sceleratissima consilia computatur.

Paucis itaque finiamus. Operatio quæcunque & quantacunque pacis religionis neque productiva, neque constitutiva est hæreseos, sed merè extrinsecè & indeterminatè sese habet ad hæresin & quamcunque sententiam de religione improbatam. Mendacium formaliter & constitutivè malum est, & mali insuper productivum: nam alteri assentienti locutione falsa erroré ingenerat. Pax religionis utut in externis & circumstantialibus sententiæ de religione improbatæ infamiam in foro exteriori demat, nihil tamen veritati in sese detrahit, neq; præjudicat quoad seipsam, aut in foro interiori & judicio legitimo Ecclesiastico, exigenti singulos ad Canonem. Multò minùs infamiam in foro illo & coram Spiritus sancti tribunali falsitati demit. Mendacium immediatè ad eversionem & destructionem veritatis grassatur, & falsitatem ibi seminat, ubi veritas crescere deberet. Pax religiosa, quicquid sit de jure mutandi religionem Ordinibus concesso, & de emigratione imponenda, non causat perditionem animarum ullo modo, sed animis libertatem sequendi veritatem expulsam dispensat & urget. Mendacium

Pax religionis ab omni inordinatione libera.

bellio est connaturalis ante lapsum, tunc aut non omne creatum vel concreatum bonum est, quod adversatur Apostolo, vel non omne naturale aut connaturale est creatum, quod adversatur Evangelio. Negaremus deinde, *in moralibus animam unitam carni ab ea trahi posse deorsum propter vinculum carnis ad animam.* Neque enim ulla facultas est in carne, ex qua ille animæ tractus deorsum fieri possit. Si traheret, vel ut objectum traheret, vel ut organon. Neutro modo trahit. Nam ut organon non trahit moraliter deorsum. Ut objectum propriè trahere nequit, quia corpus in se bonum est. Negaremus, *in carne, si pro corporis substantia, in præcisione ab anima considerata, accipiatur, esse tantam rebellionem, quam anima non possit regere*: cum omnis rebellionis radix sit in anima. Refutaremus ista similia, diceremusq; ingens esse discrimen inter sensitiva & intellectualia. Id autem sepositis cæteris adnotamus, quod Cardinalis dicit, *animam à Deo creatam & in generationis humanæ nexum dispensatam, peccatum originale contrahere per* COLLIGANTIAM, *quam habet ad corpus.* Bellarminus Cardinalis *de A. G. & St. P. IV. 11.* valde se torquet in hoc negotio. Ait I. *ad traductionem peccati originalis nihil aliud requiri, nisi ut homo per veram generationem ab Adamo descendat. Hoc enim ipso, quod aliquis in lumbis Adami fuit, cum is præceptum transgrederetur, in illo eius peccato communicavit, cum in illo omnes peccarunt.* Atqui non qualiscunque descensus, sed descensus per partes essentiales & constitutivas generando communicata necessarius est, ut peccatum originale traducatur. Inprimis illius partis descensus requiritur, in quo peccatum πρώτως residet & dominatur. Si illa in Adamo nullo modo fuit, nullo modo in Adamo peccavit. Ait 2. *Animam non trahi ex Adamo, quasi ab Adamo fiat, esse tamen partem hominis, qui verè trahitur ab Adamo.* At hoc nihil ad rem facit. Si enim non fuit in Adamo anima in se & per se, tum nullo modo in Adamo peccavit. Ait 3. *animam non pollui, cum creatur à Deo, sed cum per coniunctionem cum carne ex Adamo tractâ pars hominis efficitur.* Frigida illa quidem excusatio. Nondum liquet, quomodo justitia Dei salva sit, si creat animam nullo peccato contaminatam, & eam creatam simul eo momento unit corpori, ex cuius COLLIGANTIA, ut ait Card. Bonaventura, & conjunctione necessariò inficitur peccato & æternæ damnationi obnoxia fit inevitabiliter. Nullo enim modo potest anima conjunctioni illi & colligantiæ resistere & facere, quo minus per eam coinquinetur, sicut nec potest creationi resistere, quo minus existat. Sed mittamus ista. Notemus hoc ex mente Jesuitarum & antiquorum Papistarum: *Salva sanctitate Dei & justitia potuisse fieri eiusmodi colligantiam & coniunctionem, in qua irresistibiliter, involuntariè, necessariò unum alterum inficit peccato pessimo, & quidem fieri posse & de facto fieri ab ipso Deo.* Rursus; *Deum operari aliquam unionem, ubi ex rei unientis & unitæ conditione resultet rebellio.* Argumentari fas erit ita: Si salva maiestate sanctitatis & justitiæ Dei eiusmodi fieri potest colligantia & coniunctio, in qua irresistibiliter, inevitabiliter, involuntariè, necessariò unum alterum inficit peccato pessimo, sc. originali, & quidem fieri potest ab ipso Deo creante, tunc salva etiam Imperatoria Maiestate &

Ordi-

Ordinum pietate potest fieri eiusmodi per compositionem pacis colligantia & coniunctio Statuum Imperij, ubi diversæ de religione opiniones probatæ & improbatæ sub communi patrocinio libertatis tolerantur. Nam immensa est distantia inter colligantiam divinam, & nostræ pacificationis. In nostra unicuique sua libertas relinquitur, & libertatis benè defensum exercitium promittitur. Ibi omnis libertas exulat. Est enim unio essentialis. In nostra externæ communitatis. Ibi irresistibilis, involuntaria & necessaria est pollutio & infectio. Hic resisti, evitariq; omne periculum potest. Necessitas planè exulat. Si itaq; Deum suum liberare poterunt à cooperatione indirecta & directa mali, imo ab ipsa operatione mali nonnulli Pontificij, nos sacratissimos Imperij Romani Ordines longè facilius à cooperatione cum hæresi liberaturi sumus. Si Deus in uno eodemq; subiecto ex ipsa rei creatæ conditione resultantem rebellionem relinquere, tolerare, conservare potuit, quid obstabit, quominus extrinsecus corpori Imperij supervenientem religionis diffidentiam in diversis Imperij partibus, cum metus est ruinæ totius, nisi id fiat, tolerare & certis quibusdam ac prudentibus legibus circumvallare possit?

Scrupulus II.

An pax hæc sit quovis mendacio inordinatior, quia violat ordinem charitatis divinæ & religionis, veræ falsam exæquando?

Ostendimus quoad II. rationem, qua dicitur, quod pax ista violet ordinem charitatis divinæ & religionis, veræ religioni falsam exæquando, in dignitate illæsæ famæ, libertate eam profitendi, defensione, perpetuitate, & juris publici autoritate: ista omnia frustra quiritari Eusebium Ernestinum. Non æquari falsitatem veritati in foro poli, neque ibi dignitatem illæsæ famæ retinere, sed hæc omnia statum politicum concernere, in quo nec infamia hæresi, ubicunque illa sit, per se cohæret. Ostendimus etiam, defensionem concernere potissimum libertatem ipsam, quæ per se nulla sit contaminata macula, & huic etiam immediatè perpetuitatem & juris publici autoritatem ex sanctionis pacificatoriæ scopo decretam & promissam esse.

Scrupulus III.

An hæc pax sit inordinatior quovis mendacio, quia causat perditionem animarum?

Ostendimus quoad III. qua dicitur, quod pax ista violet ordinem charitatis divinæ & religionis, in utriusque injuriam hæresi cooperando, sed &

ordinem charitatis proximi, non solum per hæresin cooperando perditioni animarum, verum etiam velut ex officio ad hæresin vel injustam emigrationem, si hæretico Principi placeat, compellendo: Catholicam deinde religionem ex locis legitimè recuperatis expellendo; istas querelas omnes frustraneas esse. Neque illam sanctionem ordinari ex se ad perditionem animarum, sed ad tranquillationem status publici, cui alia ratione consuli, nisi concessione libertatis & juris in constituenda religione, non potuit. Neque per istam sanctionem, dummodo in vigore suo conservetur, quisquam ad hæresin compellitur: quia libertatem dat interim omnibus, dum jus constituendæ religionis assignat Optimatibus. Neque necessitatem injustæ emigrationis imponit, dum religionis causa neque in animis, neque in bonis vim inferri alicui patitur. Quod ad restitutionem locorum occupatorum attinet, eam actum politicum esse docuimus, cui per se & ex natura rei non cohæreat hæresis introductio. Unde si restitutioni accidat, ut restituti opinionem restituentibus adversam introducant, restitutorum conscientiis, non verò decreto de restituendo adscribendum est. ut

Scrupulus IV.

An in usurpatione potestatis incompetentis pax hæc quovis mendacio inordinatior appareat?

Ostendimus quoad IV. qua dicitur, quod pax ista excedat ordinem justitiæ, usurpando jurisdictionem non competentem in causas religionis, personas Ecclesiasticas & bona ac jura Ecclesiarum, *tum* jam olim hanc rationem esse à Capitibus Imperij Romani explosam: *tum* potestatis competentiam vel incompetentiam esse jam dudum maximopere controversam: *tum* A[illegible]g. Carolum V. & Ferdinandum I. Cæsares nunquam vel credidisse, vel concessisse, sibi non competere potestatem transigendi de rebus ad tranquillandam Germaniam etiam ex capp. religionis pertinentibus, quod ex multis actis publicis manifestavimus: *tum*, quia Impp. sibi tribuant potestatem circa Ecclesiastica: *tum*, quia Carolus V. jus ordinandi res religionis per Concilij convocationem sibi attribuerit, *tum* quia in prisca sanctione Pacis religionis illud jus disertè conservatum fuerit: *tum*, quia Carolus V. non obstante eo, quod cognoverit Pontificem Rom. sibi soli potestatem in spiritualibus vindicare, tamen in contradictione perseveraverit: *tum*, quia Carolus V. nunquam ita subjectus legatur excommunicationi, ut ejus casus inter reservatos connumeratus fuerit, quali fuisset, si Carolus V. usurpator potestatis Papæ fuisset: *tum*, quia si illa pacificatio ex usurpata incompetente potestate promanasset, omnes Germaniæ Electores Ecclesiastici, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Prælati &c. in materia sui fori & jurisdictionis incompetentis errassent, quod dici vix possit: *tum*, quia aliter consulentes maximè fidi & Rom. Ecclesiæ

Recapitulatio de potestatis [illegible] incompetentia.

addi-

addicti de illa potestatis incompetentia pronunciarint; *tum* quia valdè incertum sit, saltem in arcano non consensisse Pontificem Rom. tantæ rei sanctioni, è qua tot tamque eminentia saluti publicæ pependerunt momenta; *tum* quia si vel maximè incompetens fuisset ordinariè potestas constituendi aliquid in juribus religionis, sive dispensandis, sive restringendis, in hoc tamen casu requisitio prætensæ superioris potestatis non fuerit necessaria; *tum* quia genuinum & immediatum obiectum pacis religiosæ, veluti regale, non sit propriè loquendo spirituale, circa quod potestatem indisputabilem sibi arrogat Pontifex; unde neque, ut circa illud disponeretur, Pontificis indulgentia opus fuerit; *tum* posse de jure divino principes politicos decernere, quæ ad constitutionem, propagationem, conservationemque decretorum fidei judicaverint necessaria; *tum* esse quædam jura Ecclesiastica, consuetudine & usurpatione introducta, in quæ caput & Senatus Imperij potestatem habeat pro exigentia salutis publicæ statuendi; *tum* de bonis Ecclesiasticis multa ex suppositione & opinione tradi, quæ neque antiquæ intentioni sint consentanea, neque satis certo fundamento subnixa, & per praxin contrariam non semel facta. *tum* quia nondum etiam inter Romanæ Ecclesiæ Doctores certum sit, quis sit bonorum Ecclesiasticorum Dominus: *tum* quia & inter eosdem de bonis Ecclesiasticis extinctis interminabilis est futura disputatio, nisi alia ratione tota controversia fuerit extincta; *tum* quia Imperator & Ordines nullam alienandi bona Ecclesiastica potestatem usurparint; *tum* quia si usurpata fuisset, casus necessitatis & salutis publicæ vindicatio illud cohonostasset; *tum* quia recuperata restitui possint, si universitas ex non restitutione in summum adducatur discrimen; *tum* quia potestas spiritualis, quæ à politica potestate usurpari nequit, adversus errantes in religione suspensa non sit; *tum* quia jam olim potestatem in religionem & Ecclesiam ordinandam aliquam Magistratui seculari Doctores Ecclesiæ tribuerint, inprimis Gallicanæ.

Scrupulus V.

An ex violatione juramentorum pax mendacio inordinatior existat?

Ostendimus quoad V. qua dicitur, quod pax ista peccet infidelitate contra officium & obligationem Cæsaris Statuumque Catholicorum, maximè Episcoporum: *tum* juramentum Imperatoris, si quod Pontifici Romano datur, non tollere, nec adimere jus reformandi & agendi cum hæreticis, aut in recepto cultu aliquid desiderantibus quibuscunque aliis: *tum* illud non obligare in casu notoriæ impossibilitatis, neque in casu extremæ necessitatis; neque etiam ad actum aliquem, qui nihil profuturus est, qualiter comparatam esse extirpationem omnium à Pontificis sententia in negotio religionis dissentientium, manifestavimus;

Recapitulatio de juramentis Imper. & Episcop.

vimus: *tum* nec obstringere Imp. & Status ad eversionem propriam, qua se suaq; consumerent, quod præsentissimum Imperatori & Ordinibus fuisse, docuimus: *tum* expirare obligationem, si juramentum observatum impediret accessionem maioris boni, aut aversionem maioris mali: *tum* nihil valere, si obligare incipit contra legem civilem, inprimis Reipub. fundamentalem, qualis omninò est pax religionis: *tum* de obiecto illius juramenti, & quam latè sese extendant privilegia & jura Romani Pontificis aut Ecclesiæ, adhuc gravem esse disputationem, in quã nullo præjudicio sui status Imperator & Ordines Papæ jurati sese immiscere teneantur. *tum* juramentum Imperatoris posterius ad prius esse mensurandum, cum per illud tertio se nequeat obligare in detrimentum libertatis & jurium status: *tum* non aliud Imperatorem juratò promittere potuisse quam est ipsa Capitulatione Imperatoria expressum, in qua per legem imperij limitata est, & etiam quadantenus remissa obligatio ad Pontificem & Rom. Ecclesiam: *tum* verba juramenti Pontifici præstiti ita interpretanda esse, ut minus obligent, nec latè, ut facere amant Pontificij extendenda, quo facto nõ attingent Ecclesias Germanicas &c.

Scrupulus VI.

An ex suboritura perfidia pax inordinatior sit mendacio?

Ostendimus quoad VI. rationem, qua dicitur, veritatis quoque ordinem ista pace perturbari, esse enim frustratoriam sive fallacem, adeoq; grande mendacium, formale quidem apud intelligentes, materiale autem apud eos, qui defectum potestatis & materiæ ignorant; non esse mirandum, rem magni momenti hostes pacis publicæ ita calumniari, attamen perfidiam, seu, uti hic loquitur Ernestus, grande mendacium ex parte Protestantium intercedere, multis rationibus confutari, neq; enim experientiam, neque hæresin, uti sententiam A.C. vocat Ernestus, neq; hæreticorum sensum ad perfidiam disponere. Atque his ita discussis non liquet, pacem, quam Ordines Imperij inter se sancire aut restaurare alloborant, absque comparatione magis inordinatam esse mendacio.

Digressio IV.

De mendacio, an per absolutam potentiam ei Deus cooperari possit?

Quicquid autem sit de inordinatione mendacij & deformitate, noverit Ernestus de Eusebiis, eam tantam non esse, ut eandem de potentia absoluta quidã Deo assignare erubuerint. Refert Ad. Tannerus *Tom.3. Theol. Schol. disp.1.q.1.d.5.p.45.* & Mart. Becanus *Tom.1.oper.p.384.* Gabrielem *in 3. dist.38.q.1.* Aliacum *in 1.q.12.* Holco-

Holcotum *in* 2.*q*.2. & alios quosdam, citatos à Gregorio Ariminiensi *dist*. 42. *q*. 3. statuisse, *Deum de potentia absoluta & per se, & per alium falsum dicere, aut testari potuisse*. Petrus de Aliaco Card. Cameracensis *l.c. in dubitat*. 3. utrum *Deus possit rationali creaturæ falsitatem dicere, vel eam decipere*, quarta propositione decisiva ita loquitur: *Deus potest de potentia absoluta rationali creaturæ falsum dicere, etiam per seipsum immediatè & directè*. Gabriel Biel. *l. c. notat*. 3. dicit: *Hæc verba & nomina mendacium & mentiri dupliciter accipiuntur, uno modo, ut includunt deordinationem, id est, ut non solum important actum mentiendi, hoc est, actum illum proferendi falsum, cum intentione decipiendi, vel proferendi aliquid contra mentem, sed cum hac connotant inordinationem, quod scil. talis actus proferatur cum circumstantia mala, iniustè, indebitè, contra legem, secundum quam acceptionem mox nominata convoluta sunt malitia. Et ita communiter accipiuntur hæc nomina & verba à Sanctis & Doctoribus, secundum quem modum impossibile est Deum mentiri, aut etiam mendacium præcipere, vel decipere, eo quod impossibile est Deum facere aliquid inordinatè vel malè: quod eò quod aliquid vult aut facit, ordinatè aut benè facit. Alio modo accipiuntur, ut non connotant huiusmodi inordinationem, seu circumstantiam ex se malam, sed dicunt actum illum contra mentē prolatum, sive inordinatè fiat, sive non inordinatè*. Hac distinctione posita secunda conclusione ita decernit: *De potentia Dei absoluta cuiuslibet generis mendacium acceptum secundo modo fieri potest sine peccato*. Addit probationes: I. quia secundum B. Augustinum aliqui merentur decipi & deceptione puniri: Nam & Apostolus ad Rom. 1. de gentilibus Deum cognoscentibus, sed non ut Deum honorantibus dicit: Propter quod & tradidit illos Deus in reprobum sensum; ergò justum est tales decipi ultra. Ergò justum est, decipere. Item Deus potest alicui præcipere, ut per mendacium alium decipiat. Ergò sic per mendacium decipiens non peccat. Consequentia nota. Antecedens probatur: quod nullam includit contradictionem. Ergò Deus potest. Item potest Deus præcipere alicui, ut innocentem occidat, ut patet de Abraham. E. etiam potest præcipere alicui, ut alium decipiat mendacio, quod minus est hoc contra rationem: quod minus contra bonum proximi, quam primum. Item, omnem pœnam justam potest aliquis justè infligere. Sed deceptio quandoque est pœna justa. Ergò eam potest aliquis justè infligere: maximè si hoc à Deo sibi præcipiatur. Et tunc decipiendo non modo non peccaret, sed cæteris paribus mereretur. Item Deus decipit per malos homines & angelos, ut dicit Augustinus lib. 83. quæst. q. 63. multum latè & pulchrè. E. hoc idem potest per bonos. Item potest tollere præceptum de mendacio: & tum mentiens non peccat. Siquidem nemo peccat, qui non agit contra legem &c. *Hæc Gabriel*. Juxta horum hominum sententiam mendacium tanta deordinatio non est, quantam Eusebianus Ernestus tradit.

Digressio V.

De cooperatione Dei ad productionem mendacij ex sententia Prædeterminatianorum.

Notamus & illud, ad cooperationem cum mendacio directam Prædeterminatianorum Deum producere physicam circa actiones hominum præmotionem & tamen illam in regno Papali tolerari. Deducit illud nervosè Didacus Ruizius de Montoia Jesuita. Sic enim de voluntate, *disputation. X X X. section. 1. pagina* 305. Probabiliter, *inquit*, disputando, nullamque sententiæ contrariæ censuram aut notam inurendo, Theologis proponimus considerandas rationes, propter quas nutare videtur divinę veracitatis autoritas, quæ fidei fundamentum est, ac subinde tota fides Ecclesiæ dubiis fluctuare, si semel admittitur, esse possibile, prædeterminari à Deo materialem actionem peccati. Quia si Deus à seipso determinatus potest efficaciter velle atque physicè prædeterminare materiales actiones, realiter & quidditativè pugnantes cum ratione recta, & amplectentes transgressionem divinæ legis, dummodò Deus non intendat formalem rationem malitiæ, sed bonos alios fines suæ gloriæ, sequeretur inde, potuisse Deum ita cum hominibus loqui, ut proferret causaretque materialem entitatem propositionum aliquarum, quæ sunt falsæ, volendo efficaciter & causando materialem entitatem mendacii, & prædeterminando intellectum & voluntatem ad totam realitatem consensus in mendacium & errorem, dummodò Deus non intenderet formalem rationem malitiæ & falsitatis, sed potius inde colligeret maiorem suam gloriam & omnium utilitatem. Explicatur primo, enumerando faciliores modos, quibus materialis entitas mendacii seu propositionis falsæ posset à Deo causari atque proferri, si posset physicè prædeterminare materiales actiones. Primus est, si per visiones sive vigilanti sive dormienti homini proponat Deus talia objecta sensibilia, quæ significent falsum aliquid, non intendendo falsitatem, sed solummodo intendendo atque causando totam realitatem illorum. Secundus si cum intentione simili Deus formaret in aere voces humanas, ad placitũ significantes aliquid falsum. Tertius, si miracula ederet propria divinæ virtutis, cuiusmodi est, mortuos, præsertim quatriduanos ac fœtidos, suscitare, & his miraculis adjungeret materialem entitatem alicuius propositionis asserentis, illa fieri in confirmationem talis veritatis, cùm tamen falsa esset & apparens tantũ veritas. Quartus si Deus immediatè moveat intellectum & voluntatem creatam, ut realem consensum producat in eiusmodi mendacia, non intendendo falsitatem illius consensus, sed solummodo intendendo atque causando materialem illius entitatem. Explicatur secundò, sub indicando atque ob oculos ponendo varios

fines

fines ex se optimos, quos per materiales entitates mendaciorum & errorum Deus intendere posset atque colligere. (Hos vel excogitare horret animus, nedum credere, in Deum cadere posse) Nimirum per existimationem realem immortalitatis animi, judicii supremi, æternæ gloriæ & æterni supplicii, quamvis ea existimatio falsa foret, homines ad studium virtutis elicere, & à vitiis deterrere, non intendendo formalem rationem falsitatis & erroris, sed solummodò causando materialem entitatem illius existimationis eo fine, ut homines in officio & Dei obedientia contineat. Similiter per materiales quasdam blanditias & suavitates, quibus Dei erga homines benevolentia, cura & providentia significari solet, cohibere querelas hominum de divina providentia, & excitare Dei amorem, quamvis in prædictis omnibus signis inesset falsitas & fictio, sed tamen à Deo non intenta, nec causata, eò quod solummodò vellet ac causaret materiales illius entitates. Nunc verò quanta sit falsitas & absurditas consequentis, & proinde quantum divinæ autoritati & fidei certitudini repugnet, materialem entitatem falsæ propositionis à Deo posse proferri & causari, & posse movere ac determinare ad materialem consensum, modo nuper explicato, probatur, quia totius fidei fundamentum & certitudo concutitur & debilitatur per eiusmodi materiales entitates non minus, quam si concederes, Deum posse, velle & causare mendacium, etiam ut mendacium est, secundum eius rationem formalem falsitatis & malitiæ. Quia possibile est, fidem nostram rebus falsis deludi non minus priori, quam posteriori modo. Si enim Deus potuit mihi proponere credendam falsam assertionem gloriæ & supplicii æterni, & me efficaciter movere per internum impulsum ad illam credendam certissimè, jam mea fides decipitur, etiamsi Deus intendat solam materialem entitatem mendacii & erroris, & ad optimum finem dirigat, neque magis falsa foret mea fides, quantum ad hunc articulum, si Deus ex libidine mentiendi & decipiendi mihi eandem falsitatem proponeret. *Hæc Ru[illegible]*, quæ ista sectione gravissimè exaggerat & latissimè deducit. Sect. II. diluit excusationes, quibus doctrinam de promotione voluntatum humanarum absoluta à periculo concussionis religionis Christianæ, quoad certitudinem, vindicare satagunt Prædeterminatiani. Nos sic concludimus: *in qua Ecclesia admittuntur hypotheses, quæ inordinationem mendacii divino concursui tantam attribuunt, ut certitudinem universæ religionis convellant, in eadem pacis religiosæ postulata non sunt tanta cum acerbitate eliminanda. In Sicecela Armona istiusmodi hypotheses sub gratia & privilegio admittuntur.* E.

Digressio VI.

De licentia mentiendi in Sicecela Armona.

Videamus denique & istam in Sicecela Armona non peregrinam aut novam philosophiam. Angelus de Clavasio *in Summa V. Iuramentum* 3. §. 9. Sylvester Prierias *eod. verb*, 4. *quæst*. 7. *distinct*. 3. Martinus ab Azpilcueta Navarrus *in cap. humana aures*

na aures

tibus componatur. *Duplex cor,* inquit Augustinus *de Mendacio cap. 3. dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio: una rei ejus, quam veram esse vel scit, vel putat, & non profert, altera ejus rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse vel putans.* Sic verò se res habet in proposito, ut duplicem in mente cogitationem habeat: una est rei, quam exterius loqueris & significas, videlicet te vitri nuper fracti autorem non esse: cum enim sciens ac volens hæc verba, ad significationem falsam omnibus circumstantiis determinata, ad alterum dirigis, profectò illorum falsitatem concipis, ideoque contra mentem loqueris. Altera est cogitatio, quæ in mente retinetur, & per verba nullo modo exprimitur, quod videlicet vitrum jam quidem fregisti, sed non in mense præcedente, & in hac oratione fateor, te falsum non dicere, neque mentiri, cùm mendacium debeat esse signum externum alteri intimatum. Atque hæc veritas adeò certa est, ut eam etiam nonnulli inter Pontificios complexi fuerint. Petrus Paludanus, è Dominicanorũ ordine, Patriarcha Hierosolymitanus *in 4. sentent. dist. 21. quæst 3. art. 3. conclus. 1. cap. ad illud quoque.* Card. Caietanus *2. 2. quæst. 87. art. 7. §. ad hoc dicitur.* Dominicus Sotus *libr. 5. de Iust. & Iur. quæst. 6. art. 2. conclus. 7. & de secreto membro 3. quæst. 3. conclus. 1. in fin.* Alfons. Arragona *2. 2. quæst. 69. art. 2. §. sed dubitabit aliquis.* Lopez *part. 2. instruct. cap. 42. §. item qui non tenetur.* Johan. Azorius *Theol. Moral. lib. 11. cap. 4. quæst. 5. reg. 5.* Henr. Henriquez. *Moral. lib. 6. cap. 19. num. 8. in Comment. lit. K.* Ægidius Coninck *de act. supernat. lib. 1. disput. 10. dub. 3. conclus. 3.* Paulus Laymann. *Theolog. moral. lib. 4. tract. 3. cap. 3. num. 6. & seqq.* Sanè si admittatur illa reservatio conceptus alicuius mentalis ad integrandam aliquam propositionem foras prolatam, nulla pacta, nullæ transactiones, nulla fœdera, nulla juramenta constabunt, & tota societas humana convelletur. Et tamen toleratâ, imò propugnatâ illa, religiosæ pacificationis negotium, quod tanti momenti est, & servando Imperio Romano præsidium præsentissimamque exhibet manum, contumeliosè traducitur, & inter sceleratissima consilia computatur.

Pax religionis ab omni inordinatione libera.

Paucis itaque finiamus. Operatio quæcunque & quantacunque pacis religiosæ neque productiva, neque constitutiva est hæreseos, sed merè extrinsecè & indeterminatè sese habet ad hæresin & quamcunque sententiam de religione improbatam. Mendacium formaliter & constitutivè malum est, & mali insuper productivum: nam alteri assentienti locutione falsa errorẽ ingenerat. Pax religiosa, etsi in externis & circumstantialibus sententiæ de religione improbatæ infamiam in foro exteriori demat, nihil tamen veritati in sese detrahit, neq; præjudicat quoad seipsam, aut in foro interiori & judicio legitimo Ecclesiastico, exigenti singula ad Canonem. Multò minùs infamiam in foro illo & coram Spiritus sancti tribunali falsitati demit. Mendacium immediatè ad eversionem & destructionem veritatis grassatur, & falsitatem ibi seminat, ubi veritas crescere deberet. Pax religiosa, quicquid sit de jure mutandi religionem Ordinibus concesso, & de emigratione imponenda, non causat perditionem animarum ullo modo, sed animis libertatem sequendi veritatem expulsam dispensat & urget. Mendacium

si sit alicuius momenti, per se, directè & intrinsecè causat perditionem animæ, quæ eodem inficitur. Pax religiosa ab ea potestate profecta est, quæ in possessione competentiæ à seculis consistit, seque in contradictorio contra quosvis prætendentes semper tutata est. Mendacium à potestate rapta, & incompetente oritur. Mentiens enim in verba & vim rationalem loquendi sibi potestatem sumit. Est vis rationalis loquendi seu locutionis copia à Deo instituta, non ut invicem fallamus, sed ut alter in alterius notitiam cogitationes suas proferat. Hanc pervertendi sibi potestatem rapit mentiens. Imò & in ipsas mentes, quas circumvenit & fallit. Sicut veritas est maximè propria humanæ mentis perfectio, ita falsitas omnis est dehonestatio & dedecus eius: id verò in altero efficere, sive alterius mentem ad Dei similitudinem conditam dehonestare, raptæ incompetentis potestatis factum est & intrinsecè malum. Pax religionis fidem ex se & in se permittit. Qui secus conjicit, paci scentes mendaci onerat calumnia. Mendacium ex se fidem subvertit. Pax religionis juramentis nititur privilegiatis, & omnia juramenta posteriora sub suam potestatem constringentibus. Mendacium nullo privilegio gaudet. Nullo itaq; modo patet, quomodo pax religionis absque comparatione magis sit inordinata mendacio.

QUÆSTIO IX.

Ad Rationem IIX.

An pax religionis, Ecclesiæ Dei, summorum Pontificum, SS. Patrum, Veterumq; suffragio destituatur & damnetur?

Ita quidem post expeditas rationes disputat Ernestus de Eusebiis & prolixo s[illegible]rmate venustare satagit præteritæ texturæ temeritatem. §.1. Patres in aciem deducit & ait: *Nullum exemplum aut suffragium SS. Patrum, Veterum DD. summorumq; præcipuè Pontificum pro hac pace allegari potest, et si tot hæresium, hæreticorumq; procellis Ecclesia Dei jactata fuerit, ut dubium non sit, tale remedium Spiritu sancto suggerente sæpius quæsituros fuisse eius Antistites & Dd. si legitima esset. Non solum autem eo nunquam usi sunt, sed etiam oblatum constant[illegible]ssimè rejecerunt, expeditumque damnârunt. Cuius rei exempla rariora extant, quod eiusmodi pacta legibus divinis tam manifestè repugnare Veteres crederent, ut nec hæretici quidem ea postulare auderent: de pace autem perpetua, absoluta & inconditionata impetranda ne quidem somniarent.* His præmissis ad exempla aliqua progreditur. I. est S. Ambrosii, qui Valentiniano Imperatori Ecclesiam Mediolani pro Arianis postulanti intrepidè id negavit, nulla periculi sui habita ratione. Si autem Imperator tempore S. Ambrosii nullum in divina jus imperiale habuit, quo postea de anno, quo privilegio, quo Pontifice illud acquisivit? II. est Johan. Chrysostomi, qui Gaynæ summo exercitus

Cæsarei

Cæſarei Duci Arriano, Eccleſiam Conſtantinopoli concedere noluit, etſi Arcadius Imperator ob Gaynæ rebellionem in extrema Imperii, imò & religionis, neceſſitate id impenſiſſimè flagitaret. Reſpondit autem S. Chryſoſtomus, ſatius eſſe Imperio cedere, quàm perdere domum Dei, & à religione deficere. III. eſt Epiſcoporum Africæ & vicinarum Inſularum, quibus convocatis Hunericus promiſit, ablatas Eccleſias ſe redditurum, ſi jurarent, ſe deſiderare, ut filius Hunericus ei in imperio ſuccedat, & ad regiones tranſmarinas epiſtolas non directuros: ſed qui plerique iique præcipui repugnârunt, & ſentientes dolum fraudis, jurare noluerunt, licet eo juramento religionem, Eccleſias, exilium, mortem, famamque redimere potuerint. *Concludit deniq;*: Nullius orthodoxi ſcriptoris Theologi ſuffragium pro tali pace poſſe produci. Conradum Brunum Cancellarium Cardinalis Ottonis præcipuos eius articulos confutaſſe decennio priuſquam introducerentur. *Reſp. 1.* An exemplum vel ſuffragium aliquod pro tali pace extet in antiquitate ſect. 5. ad 6. videbimus. Cæterùm ſi vel maximè nullum extaret, non tamen hinc paci aliquod vel præjudicium vel detrimentum emergeret. Variè mutantur circumſtantiæ rerum, perſonarum, temporum, neque ſemper eadem redeunt, aut omnium recentiorum eadem in anterioribus fuit effigies. In temporibus noviſſimis eam futuram eſſe rerum faciem, & inprimis Imperii Romani conſtitutionem, qualis ab antiquo nunquam fuit, ſatis ex Pontificiorum hypotheſibus liquet. Vide Joſephum Acoſtam de temporibus noviſſimis.

§. 1.

DE PATRIBUS.

Diſceptatio I.

An ſanctus Ambroſius paci religionis adverſetur?

II. Exemplum S. AMBROSII pacis noſtræ ſanctioni non adverſatur. Erat enim Ambroſius planè in aliis terminis, quàm in quibus conſiſtunt Ordines Imperii, Archiepiſcopi inprimis & Epiſcopi.. Nam *inprimis* Ambroſius fuit in ſtatu Imperii Romani tranquillo. Etiamſi enim Maximus Gallias turbaret, & poſtea etiam in Italiam irruperit, non tamen inter Ambroſium & Maximum erat talis actio, de qua in præſens nobis diſputatio eſt, ſed inter Ambroſium & Valentinianum. Epiſcopi, Archiepiſcopi & Ordines Imperii, & olim verſati fuerunt in graviſſimo bello, & nunc diuturna totius Imperii concuſſione laborârunt. *Deinde* Ambroſius erga Valentinianum ſe non habuit ut pars ad partem, ſed ut Epiſcopus ad Imperatorem ſuum, quem pravis opinionibus imbutum, quantum poterat renitendo, & rationibus gravibus inſtruendo, ad ſaniorem mentem reducere conatus eſt. In pacificatione noſtra longè aliter ſeſe habent, quotquot

de rerum Ecclesiasticarum compositione tractant. *Tertiò* Ambrosius non erat constitutus in extremo necessitatis ancipitio, quo aut tradere Ecclesiam Valentiniano cogeretur, aut totum imperium, in eoque Ecclesiam in ultima pericula conjicere. In iis autem difficultatibus constitutos sese vident Ordines Imperii, cum de cedendis aut permittendis Ecclesiis, aut potius juribus usurpandi invicem transigunt. *Quartò*, Ambrosius noverat voluntatem Theodosii & Maximi de conservanda Ecclesiarum Mediolanensium puritate: habebat autem plebem militesque pro Ecclesiarum juribus contra Imperatoris corruptorem promtissimos. Sic SOCRATES *H. E. V*, 11. Justina, Imperatoris Valentiniani mater, Arianæ pravitatis labe infecta, etsi, dum vir eius vixit, eos, qui fidei consubstantialis dediti erant, nullo incommodo poterat afficere, tamen cùm filius eius esset adhuc ætate tenerâ, Mediolanum proficiscens, gravissimos tumultus contra Ambrosium Episcopum concitavit, eumque in exilium mitti jussit. Ubi autem populus propter incredibilem amorem, quo Ambrosium complectebatur, restitit, eorumque retardavit conatum, qui illum in exilium abripere laborabant, interea nuntiatum est, Gratianum dolo & insidiis tyranni Maximi interfectum. *Et post*: Quod factum iram matris Imperatoris contra Ambrosium inflammatam restinxit. THEODORETUS *H. E. V*, 14. Longo autem tempore post, ubi Maximus de facinore contra clarissimum veritatis præconem Ambrosium per Valentinianum admisso certior factus est, scribit ad Valentinianum literas, hortaturque, uti tum à bello contra pietatem faciendo desistat, tum ne paternam pietatem prodere moliatur. Postremò minatur bellum, si non obtemperet, se contra eum suscepturum. Atque quod literis significavit, factis certè præstitit. Nam collecto exercitu, Mediolanum, ubi ætatem agebat Valentinianus, maturè contendit. Cuius adventu cognito, Valentinianus fugit in Illyricum, jam edoctus experientia, quid commodi sibi maternum attulisset consilium. *Et c. 15*. Theodosius omni laude cumulatus Imperator, cùm certior factus esset tam de rebus ab adolescente Valentiniano Imperatore gestis, quàm de tyranni Maximi literis, scribit ad Valentinianum, qui in Illyricum profugerat: Non debere eum mirari, quod sibi Imperatori terror incussus fuerat, & robur tyranno adjunctum. Nam Imperatorem pietatem armis oppugnasse: tyrannum autem eandem defendisse. Atque illum inermem in fugam conjectum: hunc ea quasi armis munitum, eum illa nudatum devicisse. Pietati enim eius legislatorem favere. SOZOMENUS *H. E. VII*. 13. Justina Imperatoris mater, Arianæ sectæ fautrix, Ambrosio Mediolanensium Episcopo negotium facessebat, & Ecclesias turbabat, nova tentans adversus decreta Concilii Niceni, & studiosè agens, ut Ariminensis Concilii fides prævaleret. Cæterũ cum illi adversaretur Ambrosius, indignata calumniabatur eum apud filium, perinde ac si ab eo contumeliis affecta esset. Valentinianus igitur calumnias illas veras esse ratus, matris vindicandæ titulo militum turbam Ecclesiæ immittit, qui quidem facto in templum impetu, per vim irrumpunt intrò. & Ambrosium raptant è vestigio in exilium abducturi. Sed ab Ecclesia circumfusa multi-

multitudo militibus restitit, & vel mori citius, quàm Sacerdotem deserere statuit: ex hac causa Justina maiori etiamnum ira excanduit & edicto roborari suos conatus statuit. *Et post*: Hæc dum studet Imperatoris mater, & legem ad usum perducere festinat, annunciatur, dolo Andragathii, qui dux erat Maximi, interemtum esse Gratianum. *Et post*: Justina igitur tanta accepta clade, iræ adversus Ambrosium conceptæ oblita fuit. Interea Maximus contracto ex Britannis & finitimis Gallis & Iberis ac vicinis gentibus copioso exercitu in Italiam tendebat, eo quidem prætextu, quod passurus non esset, ut in fide patria & ordine Ecclesiastico quicquam innovaretur, voto autem proposito, ut seipsum tyrannidis existimatione purgaret, ad principatum respiciens, interim & hoc agitans, num qua ratione efficere posset, ut Imperium Romanum non violentiâ sibi, sed jure vindicare videretur. *Hæc Sozomenus*. Repetita hæc sunt in hist. Tripart. IX, 20. 21. & apud Nicephor. Callist. XII, 19. 20. Ordines Imperii in his respectibus non subsistunt. *Quintò*, novit Ambrosius, Valentinianum tenerâ ætate corruptum & seductum à matre talia moliri, & spem esse, si cordatis consiliis erranti obniteretur, ut ad saniorem sententiam reduceretur. Ita THEODORETUS *H. E. V*, 13. Justina cùm filii sui animum mollem & flexibilem cerneret, errorem in mente sua delitescentem profert audacius. Adolescens autem matris monita usui sibi fore arbitratus (nam ad escam illecebris suis naturam delinientem oculis mentis adjectis lethalem hamum minimè perspexit) primum cum Ambrosio de hac re communicat, ratus si hunc ad suam perduceret sententiam, se alios perfacilè superaturum. At verò Ambrosius revocat eum in memoriam paternæ pietatis, & ut hæreditatem, quam ab eo acceperat, integram servet, cohortatur. Exponit ei præterea doctrinarum differentiam, & quomodo hæc cum doctrina Domini & Apostolorum prædicatione consentiant, illa legibus Ecclesiæ Spiritus sancti instinctu sancitis perspicuè repugnent. Adolescens verò, utpote adolescens, & à matre errore cæcata incitatus tantùm aberat, ut Ambrosii assentiretur orationi, ut etiam iracundiâ inflammatus Ecclesiæ parietes turmis peditum, tum gravi tum levi armaturâ tectorum circumsideret. Usus est hoc responso Car. Bellarminus *tract. de potestate summi Pontificis in temporalibus, cap. 8. pag. 93.* cùm rationem reddit, cur Ambrosius Valentinianum Imperatorem hæreticum non excommunicationis nota publicè designârit & deposuerit. *Facile fuit*, inquit, *Ambrosio Valentinianum dejicere, præsertim cùm Maximus Princeps Catholicus jam esset in armis, ut Valentinianum hæreticum coërceret, & tota civitas Mediolanensis, & ipsi etiam milites ab Ambrosio starent. Cur igitur, inquies, S. Ambrosius Valentinianum hæreticum toleravit? Causa est in promtu, quia Valentinianus puer erat, & non proprio judicio, sed matris autoritatem secutus Ecclesiam persequi cœpit. Sperabat verò S. Ambrosius, facilè posse adduci eundem Valentinianum, ut parentis sui Valentiniani senioris & fratris Gratiani, nec non Collegæ Theodosii, Catholicorum Imperatorum, fidem & pietatem sequeretur. Quod etiam brevi contigit: resipuit enim Valentinianus, & S. Ambrosium ita colere cœpit, ut nullum haberet, cui*

magis fideret, neque quem magis observaret: denique parentis loco illum deinceps semper habuit &c. Ubi autem & unde nobis spes superest de partium inter se ad sanctum unitatem coalitione hodie in Rom. Imperio?

Sextò & illud perpendit Ambrosius, Valentinianum juniorem incompetenti uti potestate, neque licitum ei esse, ut in Mediolanensem Ecclesiam Arrianismum introducat. Erat enim administrationis summa tum autoritas penes Gratianum & Theodosium, ætate & meritis in Rempubl. gravissimos: neque poterat adolescens sub patrocinio tantorum virorum aliquid statuere, quod religioni & saluti publicæ noxam & maculam inferret. Constitutum fuit jam anno XII. Gratiani & Valentiniani III. si rectè tempora ordinat Card. BARONIUS *ad Ann. Chr.* 378. *num.* 32. quibus quæ & ubi Ecclesiæ persecutionibus Valentis dissipatæ essent cedendæ. Meminit eius constitutionis SOCRATES *H.E. V,* 2. GRATIANUS *simul cùm Valentiniano juniore, gubernaculis potitus imperij crudelitatem Valentis avunculi in Christianos usurpatam damnavit, illosque qui ab eo erant relegati, revocavit in patriam, atque adeò lege sancivit, ut quaque secta, solis Eunomianis, Photinianis & Manichæis exceptis, liberè & audacter nullo habito discrimine in Ecclesiis conventus ageret.* Græca sic habent: Γρατιανὸς δὲ ἅμα τῷ ἐπ' Οὐαλεντινιανῷ τῆς βασιλείας ἐγκρατὴς γενόμενος, καταγνοὺς δὲ τοῦ θείου Οὐάλεντος τῆς περὶ τοὺς χριστιανοὺς ὠμότητος, τοὺς μὲν ὑπ' ἐκείνου ἐξορισθέντας ἀνεκάλει: νόμον τε ἐθέσπισε μετ' ἀδείας ἑκάστην τῶν θρησκειῶν ἀδιαφόρως ἐν τοῖς εὐκτηρίοις συνάγεσθαι. Et SOZOMENUS *H.E. VII,* 1. GRATIANUS *interim unà cum fratre universum Rom. Imperium adeptus, cum patrui sententiam non probaret, qua ille pertinaciter istos fuerat persecutus, qui religione ab ipso dissenserant, omnibus iis, qui ab illo vivente religionis ergo in exilium pulsi fuerant, reditum concessit, legemque tulit, ut quisque liberè, quamcunque religionem, quemcunque cœtum vellet, sectaretur, exceptis Manichæis, Photinianis & Eunomianis.* Græca sic habent: Γρατιανὸς δὲ ἅμα τῷ ἀδελφῷ πᾶσαν τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν διέπων οὐκ ἐπαινέσας τὸ θεῖον τῆς γνώμης ἣν περὶ τοὺς ἑτέρως αὐτῷ δοξάζοντας διετέλεσεν ἔχων, πᾶσι τοῖς ὑπ' ἐκείνου διὰ τὴν θρησκείαν φεύγειν καταδικασθεῖσι τὴν κάθοδον ἀπέδωκε, καὶ νόμον ἔθηκε, μετ' ἀδείας ἑκάστους θρησκεύειν, ὡς βούλονται, καὶ ἐκκλησιάζειν, πλὴν μανιχαίων, καὶ τῶν τὰ Φωτεινοῦ καὶ Εὐνομίου φρονούντων. Baronius, qui malè Catholicos duntaxat putat à Valente pulsos & per eos intelligendos, qui religionis ergo ab eo in exilium acti fuerunt, hoc Gratiani decretum *temporarium* fuisse putat. *Satis namque*, inquit, *visum Imperatori, ulcerosum morbum pedetentim curare, hocque primo initio Catholicam fidem postliminio restituere, ac viros Catholicos suis Ecclesiis reddere, illosque comprimere hæreticos primò omnium, qui execrabiliores haberentur. Nam Eunomiani ejus pravæ æstimationis habebantur, ut ipsos Ariani quoque detestarentur.* Atqui lex Gratiani ἀδιαφόρως unicuique τῶν θρησκειῶν, libertatem tribuit. Idque vult ἄδεια libertas, immunitas, potestas, impunitas. Neque enim postea, cum Theodosius Constantinopolitanæ Ecclesiæ repurgandæ incubuit, aliud in hoc decreto retractatum fuit, quam quod Arianis concessum erat in decreto Gratiani. Idque propter Arianæ factionis perpetuam inquietudinem & seditiosa consilia. Qua de re SOCRATES *lib. V. c.* 7. Ariani, *qui annos quadraginta Ecclesiarum administratione potiti fuissent, tum concordiam, ad quam Imperator Theodosius illos hortatur, fugientes*

Gratiani decretum pro libertate conscientiarum.

Vindicatur à Baronii interpretatione.

gientes se ex urbe subduxerunt. & THEODORETUS *H. E. V, 6.* Theodosius, *inquit*, ut primum imperium in illas imperij partes, quas Valens rexerat, obtinuit, Ecclesiis præ cæteris rebus diligenter prospicere cœpit, & ut Episcopi suæ ditionis Constantinopolim ire maturent, imperat. nam sola ea imperij pars Ariana labe passim commaculata fuit: pars autem versus occidentem ab ea libera vacuaque permansit. Siquidem Constantinus filius Constantini natu maximus & Constans minimus natu paternam fidem integram conservabant; quin etiam Valentinianus Imperator Occidentis, veram pietatem sinceram & incorruptam custodiebant. Decretum extat *Cod. de Summa Trinitate & Fide Catholica l. Cunctos populos, & l. Nullus hæreticu.* Quod non universaliter ad omnes in religione dissentientes extendendum esse, ex ipsa rerum gestarum serie liquet. Nam Theodosius *contra Synodi Nicanæ decretis adversantes* potissimum egit. Et, ut loquitur Nicephorus Call. H. E. XII, 15. *tulit legem, ne a fidei consubstantialis professione abhorrentes, conventus aliquos Ecclesiasticos agerent: neve postea de fide docere auderent, aut eligendi consecrandique quempiam autoritatem haberent.* Hoc lex Codicis ita exprimit. *Nullus hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio.* & rursus. *Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turba, unius & summi Dei nomen ubique celebretur. Nicana fides dudum à majoribus tradita & divinæ religionis testimonio atque assertione firmata observantia semper mansura teneat.* Hinc & Novatianis ea sanctio non obstitit. Nicephorus *l. c.* *Eis qui Novati hæresi laborant, nihil adversi accidit: quippe qui Ecclesiæ Catholicæ præterquam in re una consentirent & ὁμουσίῳ consubstantiali admodum adhærerent.* Quanquam & contra ὁμουσίῳ negatores nihil executus sit asperius. Sic enim NICEPHORUS l. c. *Constitutionibus eiusmodi pœnas graves addidit, si quenquam contra delicta sua commisisse comperisset. Sed ea executioni non mandavit: metum enim tantum hæresiarum studiosis incutere voluit, & id maximè studio habuit, ut populi imperio eius subiecti eandem secum de Deo obtinerent opinionem.* Sed ut ad id redeamus, à quo digressi sumus, post istam Gratiani pro religione contra Valentis rescripta susceptam defensionem & Theodosij in expurgando Oriente labores, cum Occidens sanus esset in fide, commune erat Imperatorum pro religionis puritate studium. Neque debuit, aut cum successu potuit Valentinianus junior Arianis Ecclesias concedere, quibus S. Ambrosius præerat. sine cæterorum suffragio, quos totos Arianis adversari, Ambrosius noverat. Præscriptum est Valentiniani etiam nomē cum cæteris Gratiani & Theodosij, illi Constitutioni, quæ edita An. 380. *cunctos populos eam religionem amplecti vult, quam divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, Virum Apostolicæ sanctitatis, h. e. secundùm Apostolicam disciplinam Evangelicamque doctrinam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti unam Deitatem sub pari Maiestate & sub pia Trinitate credamus.* Conjunguntur etiam Gratianus, Valentinianus & Theodosius in ea, quæ An. 381. edita, vult, *ut Nicana fidei dudum a maioribus tradita & divinæ religionis testimonio atque assertione fir-*

Decreta Gratiani in Cod. explicantur.

ne firmata observantia semper mansura teneat. Non itaq; Valentinianus sine insigni Majestatis suæ conculcatione potuit illis, contra Imperatorum cæterorum voluntatem, cedere Ecclesiam, quos sexennio ante omni ministeriorum loco exuit, nulla ad exercendam obstinatioris animi dementiam occasione beari voluit. Cum Gratianus ἀδείας θρησκείας ἀδιορίστως concessisset, & tribus sectis exceptis cæteris omnibus θρησκεύειν καὶ ἐκκλησιάζειν ἐν τοῖς εὐκτηρίοις permisisset, decreto promulgato nemo ex Episcopis restitit Gratiano, εὐκτήριον nemo denegavit, omnes ad calamitatum finem suspexerunt & suspirarunt, ex ista libertate obtinendum. Nam plena Gratiani autoritate sanctio ista roborata fuit & iis circumstantiis cohonestata, ut nemo suggillaverit. Nunc Valentiniano seducto, à suis decretis resiliente, & jura Ecclesiis Occidentis data sine collegarum suffragio rescindente, meritò contra intercedit Ambrosius. Talia iterum in compositione nostra non apparent.

Septimò, omninò & quidem inprimis illud circa Ambrosij factum annotandum, quod in eo singularis quædam, extraordinaria & fere miraculosa animorum gubernatio appareat. Nam omnia contra Ambrosium inita consilia eludebantur, de quibus Paulinus *in vita S. Ambrosii.* JUSTINÆ *mulieris innumeras insidias sustinuit, quæ muneribus atque honoribus adversus sanctum virum oblatis populum excitabat: sed infirmorum mentes talibus promissis decipiebantur. Promittebant enim tribunatus & diversas alias dignitates iis, qui illum de Ecclesia raptum ad exilium perduxissent. quod cum multi conarentur, sed Deo præsule perficere non valuerunt &c.* ubi narrat, quomodo Euthymius eo carro quo Ambrosius abducendus erat, in exilium deductus sit. Militum alienorum à religione animi divino nutu conversi sunt, de quibus ipse Ambrosius *ad Marcellinam sororem*: Dum hæc tracto, suggestum est mihi, cortinas regias esse collectas, refectam autem basilicam præsentiam mei poscere. Statimque eò converti sermonem meum, dicens: quam alta & profunda oracula sunt Spiritus Sancti! Matutinis horis lectum est, ut meministis, fratres, quod summo animi dolore respondemus, Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam. Et revera venerunt gentes & plus etiam quam gentes venerunt. Venerunt enim Gothi & diversarum nationum viri, venerunt cum armis & circumfusi occupaverunt basilicam, hoc nos ignari tuæ altitudinis dicebamus, sed nostra imprudentia aliud opinabatur. Venerunt gentes, sed verè in hæreditatem tuam venerunt. Qui enim gentes venerunt, facti sunt Christiani. Qui ad invadendam hæreditatem venerunt, facti sunt hæredes Dei. Defensores habeo, quos hostes putabam. Socios teneo, quos adversarios existimabam. Cujus hoc munus, cujus opus, nisi tuum, Domine Jesu! &c. Notabiliter admiranda, quæ factum Ambrosii illustrarunt, exequitur Card. Baronius *ad An. Chr. 387. num. 32.* Sed, *inquit*, quæ post hæc sunt subsecuta? admiratione planè digna. Uni Ambrosio pro Ecclesiastica libertate pugnanti, populus & milites, subditi ac principes, terra cœlumque, mortales & superi, viventes atque vita functi & quid insuper? Ipsi denique spiritus adversarij, licet inviti, ei tamen præsto fuere. Mirandum

sanè

ſanè fuit, univerſum populum Mediolanenſem Epiſcopo potius, quam Imperatori, tanto periculo ſuorum capitum atque bonorum ſtudere ardentiſſimis conatibus delegiſſe: ipſos mercatores lucri cupidos, ut adverſus Imperatorem faverent Ambroſio, omnino contemſiſſe, & nobiles, quos Honoratos vocant, prætuliſſe crucis ignominiam regiæ Pharaonis, ſed majoris adminiſtrationis illud acceſſit, milites, qui ad expugnandam baſilicam acceſſiſſent, momento temporis eſſe converſos in defenſores, & qui venerant fundere in baſilica ſanguinem, mutatos unà fudiſſe cum Catholicis ad Deum preces. Sed quod ne ſic quidem emolliretur Juſtinæ animus, quem impietas in ſilicem obdurarat & filium Imperatorem in Ambroſium acrius concitare urgereque fœmineo furore pergeret, Deus pro Ambroſij defenſione Maximum Imperat. commovit, qui primò ut par erat datis literis voluit Valentinianum admonuiſſe. At cum nec ſic compeſceretur Juſtinæ in exagitando S. Ambroſium petulantia, è cœlo, ex ſanctis, è terra, ex refoſſis ſanctorum martyrum ſanctis reliquiis impertitur à Deo digniſſimo ſacerdoti præſidium. *Hæc Card. Baronius* lætiſſimè pertexit. In noſtro negotio auxiliorum extraordinariorum certitudo nulla. Itaque ad ordinaria neceſſitatis remedia ſpectandum eſſe, res ipſa jubet.

Sed percurramus S. Ambroſii hac de re monumenta. Denunciavit ei Imperator Valentinianus, ut, quo vellet, pergeret. Rectè hic S. Ambroſius vocationi ſuæ legitimis ſuffragiis acceptæ demandatoque officio inhæſit. *In ep. 32. ad Valentinianum* ait: *Vtinam Imperator non denunciaſſes, ut quo vellem pergerem. Quotidie prodibam: nemo me aſſervabat. Debuiſti me, quo volueras, deſtinare, quem ipſe omnibus offerebam. Nunc mihi à ſacerdotibus dicitur, Non multum intereſt, utrum volens relinquas, an tradas altare CHRISTI. Cum enim reliqueris, tradet. Atque utinam liquidò mihi pateret, quod Arianis Eccleſia minimè traderetur, ſponte me offerrem pietatis tuæ arbitrio. Sed ſi ego ſolus interſtrepo, cur etiam de aliis omnibus invadendis Eccleſiis eſt præceptum? Vtinam confirmetur, ut Eccleſiis nullus moleſtus ſit, opto, ut de me qualis videtur ſententia perferatur.* Itaque Imperator denunciando Ambroſio diſceſſum ab Eccleſia, adhuc occultabat conſilium de Arianiſmo introducendo mutandaque cultus ratione. Ita de ea re etiam Ambroſ. *in orat. in Auxentium ad populum.* V*ideo omnes præter ſolitum ſubitò eſſe turbatos atque aſſervantes mei. Miror quid hoc ſit, niſi forte quia per tribunos me vidiſtis aut audiſtis eſſe Imperiali mandato conventum, ut quo vellem abirem hinc, & ſi qui vellent, ſequendi poteſtatem haberent. Metuiſtis ergò, ne Eccleſiam deſererem, & dum ſaluti meæ timeo, vos relinquerem. Sed quid & ipſe mandaverim, poteſtis advertere; deſerendæ Eccleſiæ mihi voluntatem ſubeſſe non poſſe, quia plus Dominum mundi, quam ſeculi huius Imperatorem timerem. Sanè ſi me vis aliqua abduceret ab Eccleſia, carnem meam exturbari poſſe, non mentem. Paratum me eſſe, ut ſi ille faceret, quod ſolet eſſe regiæ poteſtatis, ego ſubirem, quod ſacerdotis eſſe conſuevit. Quid ergo turbamini? Volens nunquam vos deſeram. Coactus repugnare non novi. Dolere potero, potero flere, potero gemere; adverſus arma, milites, Gothos quoque, lacrymæ meæ arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt Sacerdotis. Aliter*

Ambroſii cum Valentiniano actio diſcutitur.

nec debeo, nec possum resistere. Fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis gravioris pœna metu factum interpretetur. Scitis & vos ipsi, quod Imperatoribus soleam deferre, non cedere: Supplicius me libenter offerre, nec metuere, quæ parantur. Apparet ex his, non finem, sed initium futurum fuisse persecutionis Ecclesiæ, si Ambrosius deseruisset suam basilicam, cum & præceptum de aliis invadendis Ecclesiis traditum esset. Erant pacata occidentis omnia. Justina introducere Arianismum gestiebat. Si Ambrosius subverteretur, magnum momentum desideriis suis accessurum perspiciebat. In animum hoc Valentiniano revocat Maximus Imp. in literis, quas *l. c.* adducit Baronius *num.* 34. *Si jam per tot secula coalita & confirmata mutares, parvam ne excitare discordiam videreris? Ipsis humanis legibus in hac mortalitate habet nostra reverentiam consuetudo, & in re jam vetusta atque usitata aliquid novum fecisse, reprehensio est. Italia omnis atque Africa hoc sacramento credunt: hac fide gloriantur Gallia, Aquitania, omnis Hispania, Roma ipsa venerabilis, cuius etiam in hac parte principatus est, quod Deum sicut sequi voluit agnovit.* & post: *Periculosè crede mihi divina tentantur. Venerabilis memoriæ Divus Valentinianus Pater clementiæ tuæ, hac fide fideliter imperavit, nihil ille attingere volebat, quod bene constitutum videbat. Hi certe sub eodem Episcopi jam fuerunt. Quæ tanta mutatio, ut qui antea sacerdotes, nunc sacrilegi judicentur: Iisdem certè præceptis, iisdem sacramentis dicati, eadem fide credunt, qua ante crediderunt. An putat venerabilis mihi serenitas tua, conceptam semel in animis hominum religionem, quam Deus ipse constituit, posse convelli? Quantæ ex hoc discordiæ excitabuntur? quantæ contentiones oborientur? quam crebræ ac pestiferæ seditiones? quanta & quæ pervenientia ad tuum vota justorum? cum inter Christianos, quod dictu nefas sit, quædam persecutionis imago nascitur.* Pergit Ambrosius in commemoratione. *Cum esset propositum, ut Ecclesiæ vasa jam traderemus, hoc responsi reddidi, Me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei juris esset libenter offerre, templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi Sacerdotis, si vult sibi esse consultum, recedat à Christi injuria &c.* Ex quibus verbis liquet, Ambrosium non versatum esse in casu necessitatis publicæ, aut majoris alicuius mali avertendi, in qua nostra pacificatio versatur. In hoc enim casu vasa licitè traduntur, sc. pro redemtione captivorum apud eos, apud quos non solum in corporis periculo sunt, sed inprimis animæ. Vide Redoanum *de reb. Eccles. non alienand. quæst.* 21. *latè* & *q.* 7. quomodo etiam ipse eorum causa sacra vasa confregerit, referente Card. Baron. *A. C.* 37. *n.* 62. Pergit post multa Ambrosius: *Solvimus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur. Ecclesia Dei est. Cæsari utique non debet addici. quia ius Cæsaris non potest esse Dei templum. Quod cum honorificentia Cæsaris dictum, nemo potest negare. Quid enim honorificentius, quam ut Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur. Quod cum dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Bonus enim Imperator quærit auxilium*

esse dica...
bonus intra

Eccle-

Ecclesia, non refutat. Ubi sanè Ambros. traditionem Ecclesiæ aut templi in eo casu faciendam non esse censet, quo simul Ecclesiam universam antea tranquillam invadit pernices, non quo ulterior avertitur, qualis noster est. Sic & in ep. 33. ad Marcellin. *Convenerunt me primo viri Comites Consistoriani, & ut basilicam traderem, & procurarem, ne quid populus turbarum moveret, Respondi, quod erat ordinis, templum Dei tradi à Sacerdote non posse.* Intelligit hoc Ambrosius, extra casum necessitatis, & cum Sacerdos aut Episcopus id agit seorsim. Aliud enim est, se fiat hoc consensu & transactione eorum, quorum interest, uti concessæ sunt Gratiani edicto diversis sectis, de quibus supra actum. Rursus refert Ambrosius: *Mandatur denique, trade basilicam! Respondeo, nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere Imperator, expedit. Domum privati nullo potes jure temerare, domum Dei existimas esse auferendam? Allegatur*, Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. *Respondeo, noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertineant: ad Sacerdotem Ecclesia. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse.* Debeo & ego unam basilicam habere. *Respondi, non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim, quæ non est legitimo Christi conjugio copulata.* Omnia ista Ambrosiana ex hypothesi circumstantiarum præsentium interpretationem accipiunt, quod vel ex eo liquet, cum dicit, Imperatorem domum privati nullo jure posse temerare. Hoc enim in omni casu verum non est. Posse enim principes etiam ob causam publicam dominos rerum rebus propriis exuere, ex Jure deducit Petrus Gregor. Tholosanus *de Rep. lib.* 7. *c.* 10. §. 21. & Imperatori non planè nullum jus competere in ea bona corporalia, quæ divina sunt, superius ostendimus. Vide Redoanum *quæst.* 12. *num.* 5. *& seq.* Quocirca nihil ex hac historia pro suo expiscatur scopo, cum sciscitatur Ernestus Eusebianus, si Imperator nullum jus in divina imperiale habuit, quo postea anno, quo privilegio, quo Pontifice illud acquisivit? Resp. tale jus, quale sibi Valentinianus arrogavit, nuspiam & nunquam acquisivit sibi Imperator. Neque ex tali jure promanare sanctionem pacis religiosæ, ex deductis liquidum est.

Disceptatio II.

An S. Chrysostomus paci religionis adversetur?

III. Chrysostomi responsum pacificationem nostram nullatenus lædit. Nam I. non erat inter Arcadium & Gaynam ille respectus, qui est inter Status tum Ecclesiasticos tum Politicos Imperij Romani. Gaynas ex infima sorte ab Imperatore evectus & affectus dignitatibus variis, tandem ad Ducis Rom. exercitus fastigium elevatus est. Illi in fortuna prospera contra fas jusque

insolescenti postulatorum iniquissimorum audacia condonanda non fuit. Alia ratio est Ordinum Imperij Romani inter se & ergo Imperatorem Romanorum. II. non erat quæstio inter Arcadium & Gaynam de Ecclesiis concedendis, sed de aperienda & tradenda aliqua præcipua Ecclesia Constantinopolitana. Nam *primò* habuerunt Ariani Gothi jam aliquam Ecclesiam Constantinopoli. Docet id SOCRATES *H. E. VI, 6.* Quamvis, *inquit*, Imperator, vir qui jurisjurandi religionem, utpote pius, per magni æstimabat, jusjurandum firmè servabat, tamen Gaynas & fœdera rupit, & ab eo, quod apud animum suum proposuerat, minimè destitit, sed in urbe Constantinopoli & in universo Romano Imperio, si modo posset, incendia facere, prædasque agere cogitavit. Itaque Constantinopolis propter infinitas barbarorum copias, quæ illam occupabant, barbara ferè facta est, eiusque cives & incolæ captivorum loco habiti. tam grave etiam imminebat periculum civitati, ut Cometa maximus è cœlo ad terram usque pervadens (similem verò antea nemo aliquando aspexerat) illud ipsum portenderet. Gaynas primum omni exuto pudore argentariorum officinas, in quibus argentum publicè vendi solet, diripere in animo habuit. Sed cum fama conatum ejus prius patefecisset, quam rem aggressus sit, & argentarij propterea caverent, ne argentum in mensis numulariis exponeretur, ille deinde aliud facinus tentare constituit, & cum jam nox esset, barbarorum multitudinem ad palatium incendendum mittit. Quo quidem tempore planè constabat, quam illa civitas Deo curæ esset. Nam multitudo angelorum, qui speciem hominum armatorum, corpora immani magnitudine habentium præ se ferebant, illis, qui insidias vastando palatio paraverant, visa fuit: quos barbari ingentem revera exercitum & strenuum esse suspicati, & stupefacti sunt, indeque se subduxerunt. Quod postquam Gaynæ nunciatum fuit, incredibile videbatur. Nam certò sciebat, tantas copias armatas Romanorum (in singulis enim civitatibus separatim collocatæ erant) ibi adesse non potuisse. Nocte igitur sequenti & pòst etiam non semel, alios misit. Ubi verò ad eum, sæpius eò milites mittentem, eadem fuere relata (angeli enim Dei idem visum semper oculis insidiantium subjecerunt) tandem ille ipse cum ingenti manu illo profectus, de miraculo periculum facere voluit Ac cum pro certo intelligeret, militum multitudinem esse, eamque interdiu delitescere, noctu autem eius conatui resistere, callidum admodum cœpit consilium, quod, ut ipse putabat, Romanis magnopere incommodaret, at, ut rei eventus declarabat, vehementer commodavit. Simulat se dæmonio agitari, & ob eam caussam ad templum D. Johannis Baptistæ (aberat quidem illud à civitate ad septimum lapidem) quasi preces ibi facturus contendit. Proficiscuntur unà cum illo barbari, qui arma secum clam ex urbe doliis occultata partim, partim aliis quibusdam machinis contecta extulerant. Ac cum portarum custodes, dolo deprehenso, tela exportari prohiberent, barbari strictis gladiis eos interemerunt. Inde gravis tumultus civitatem occupat: omnibus mors impendere videbatur. Veruntamen civitas portis undique firmiter occlusis communitisque in tuto

fuit.

fuit. Imperator autem prudenti consilio in tempore usus, Gaynam palàm hostem pronunciat: barbaros, qui in urbe remanebant, trucidare jubet, uniusque diei spatio post portarum custodes occisos interpositos, milites cum barbaris intra portas *prope Ecclesiam Gothorum* (ibi enim barbari, qui in urbe remanserunt, erant in unum collecti) manu confligunt, Ecclesiam incendunt, permultos illorum trucidant &c. SOZOMENUS *H. E. IIX*, 4. Gaynas infringere jusjurandum & Constantinopolim evertere cogitabat. Quo tempore & Cometa has insidias portendebat, qui supra civitatem maximus apparebat, ad ipsam usque terram fermè pertingens, & qualis antea nunquam fuisse dicitur. Tentarat autem primò argentariorum tabernas invadere, quod se hinc pecuniarum acervos convasaturum esse speraret. Rumore sparso, quod ista decrevisset, & argentariis proinde præsentes maximè opes abscondentibus, neque pecuniam in mensis, ut solebant, publicè amplius proponentibus, noctu turba barbarorum immissa præceperat succendi palatium. Illi autem perculsi re infectâ reversi sunt. Nam cùm prope accessissent, videre sibi visi sunt multitudinem armatorum vastis corporibus formidabilium. Suspicati ergo, novitium esse exercitum, nuntiarunt Gaynæ. Ille verò (sciebat enim nihilo plures solitis milites in urbe degere) dictis fidem adhibere nolebat. Cæterùm cùm & insequenti quoque nocte missi alii, idem annuntiassent, quod priores illi, ipse progressus, admirandi spectaculi oculatus testis fuit. Ratus igitur sua gratia convenisse ex aliis urbibus milites, ac noctu custodire urbem atque palatium, interdiu verò latitare, simulat se dæmonio vexari, & quasi oraturus Ecclesiam occupat eam, quam in honorem Johannis Baptistæ Imperatoris pater in hebdomo construxerat. Ex barbaris autem alii in civitate manserunt, alii cum Gayna egressi sunt. Clanculum verò arma ac telorum pharetras fœmineis vehiculis impositas secū eduxerunt. At cùm deprehensi essent, portarum vigiles interficiunt, quod hi armorum exportationem prohibere conarentur. Qua ex re civitas motu ac tumultu repleta fuit, haud secus ac si jamjam capienda esset. Sed præsentibus malis remedio fuit consilium sanum. Imperator enim nihil cunctatus, Gaynam declarabat hostem, & relictos in urbe barbaros interfici jubet. Hos itaque milites adorti, plerosque occidunt: appellatam verò *Gothorum Ecclesiam* incendunt &c. Itaque intra Constantinopolim Arianis aperta erat Ecclesia. Manifestum est illud *deinde* ex ipsa Gaynæ propositione. Eam habet SOZOMENUS *H. E. IIX*, 4. Gaynas, *inquit*, præter meritum dignitatem sibi res evenire tam secundas nequaquam moderatè tulit; sed quoniam prima temeritas illi ex animi sententia cesserat, etiam Catholicam Ecclesiam turbare conatus est. Erat enim ille Christianus quidem, sed ex barbarorum hæresi, qui Arium sectantur. Persuasus igitur ab eius sectæ antistitibus, aut suo potius studio ratus, petiit ab Imperatore, ut suæ sectæ homines, *ex his, quæ in urbe erant, unam Ecclesiam* haberent. Neque enim æquum & alioquin absurdum esse querebatur, se, cum Dux esset Romanorum, extra mœnia adoratum proficisci. *Sic Sozomenus*. Habuerunt itaque Ariani etiam suburbicariam Ecclesiam, in

 quam

quam orationis & cultus divini gratia convenerunt. Fortassis illa, quam Gothorum Ecclesiam Socrates & Sozomenus vocarunt, angustior erat, quàm ut fastui Gaynæ responderet. Itaque in suburbicarias Ecclesias secessit. Occasione autem ista obviante unam ex splendidioribus & præcipuis habere gestiit. Extra civitatem eos egisse conventus, testatur SOCRATES *H. E. V, 7. cum inquit*: Theodosius Demophilo, qui sectæ Arianæ Episcopus fuit, consilium suum aperit, quæritque ab eo, utrum Concilio Nicæno fidem vellet adhibere, populum ad concordiam traducere, & pacem amplecti. Quo quidem eius postulatum abnuente, Idcircò, inquit Imperator, si pacem & concordiam fugis, te ab Ecclesiis fugere mando. Quæ cùm audivisset Demophilus, & secum cogitasset, quàm difficile esset potentioribus resistere, convocata in Ecclesia multitudine, ipse in medio surrexit, verboque eiusmodi apud suos locutus est; Fratres, scriptum est in Evangelio, Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Igitur quoniam Imperator nos ab Ecclesiis segregat, sciatis velim, vobis cras extra civitatem conventus agendos esse. Hæc locutus egreditur, & de cætero *extra portas* conventus fecit. *Hæc ille.* Planè ergo ad nostrum negotium Gaynæ postulatum non quadrat. Permisit Arcadius intra & extra muros Constantinopoleos, exercitium Arianæ religionis liberum, neq; tamen vel pro cooperatore hæreseos, vel directo vel indirecto à S. Joh. Chrysostomo habebatur. Non judicabatur injurius in Deum Creatorem & veram religionem. Non arguebatur causa perditionis animarum. Non accusabatur, quod potestatem incompetentem usurpasset. Multò minus violati juramenti, officii & obligationis erga Ecclesiam reus dicebatur. Perfidè subinde agebant Ariani. Neque tamen, si aliquo modo poterat in officio continere dissentientes, & ad legum publicæ pacis observantiam reducere Imperator, omnia rescindebat pacta. Imò pacem non adeò frustratoriam judicabat, ut periculosiorem bello æstimaverit. At se magis hac tolerantia deformasse animum suum, quàm si mendacio sese fœdum & contaminatum reddidisset Imperator, à S. Chrysostomo non audivit. Quapropter hautquaquam in ea sententia fuisse vel Arcadium Imperatorem, vel S. Chrysostomum Patriarcham, qua contra pacificationis negotium Eusebius insultat, dici potest. Neque ea actio jure, hoc quidam ex capite, illis reprehensionibus est obnoxia. III. Non erat res Imperii in extremas deducta necessitates. Gaynas Imperatori jam reconciliatus fuit, neque in articulis pacis aliquid de Ecclesiis tradendis deductum fuit. SOZOMENUS *H. E. IIX, 4.* Gaynas, *inquit*, homo barbarus, ad Romanos transfugit, ex gregario milite præter expectationem ad dignitatem Ducum subvectus, sibi vendicare conabatur Imperium Romanum. Hoc autem dum molitur, gentiles suus Gothos ex propriis agris in imperium evocat, & amicos suos secum præfectos exercituum & chiliarchas constituit. Tumultuante itaque Tirbingilo, qui illum sanguinis necessitate contingens, numeroso militũ exercitui præerat in Phrygia, non latuit quidem cordatos, illum hæc machinari, sed tamen quia se indignari sedulò simulabat, cùm ibi everterentur urbes, commissum ipsi fuit, ut his suppe-

ſuppetias ferret. Ut autem in Phrygiam pervenit, adducta ſecum barbarorum copia, perinde ac ſi ad bellum veniſſet, animum ſuum, quem antea celaverat, reipſa prodidit, ac civitates, quas defendere juſſus erat, alias depopulabatur, alias mox videbatur invaſurus, in Bithyniam hinc progreſſus, ad Chalcedonis fines caſtra metatus, & bellum comminatus eſt. Rebus igitur in diſcrimen adductis maximè civitatum earum, quæ per Aſiam atque Orientem erant, quæque inter has ipſas & ad Euxinum Pontum incolebantur; Imperator cum his, qui ſecum erant, conſiderans, non eſſe tutũ, imparatos in certamen deſcendere cum huiuſmodi hominibus, quibus jam erat deplorata vita ſua, miſſis literis nunciavit, ut peteret, quicquid vellet, ſe enim eſſe paratum in omnibus gratificari. Ille verò Saturninum & Aurelianũ viros Conſulares, quod eos refragari ſibi arbitraretur, poſtulavit. Acceptis autem pepercit: & Imperatorem convenit in templo quodam ante Chalcedonem, in quo Euphemiæ martyris ſepulchrum eſt, ubi dato & accepto benevolentiæ jurejurando, arma depoſuit, & Conſtantinopolim trajecit, impetrata ab Imperatore tum peditũ tum equitum præfectura. *Hæc ille.* Sic igitur tranſactum fuit inter Imperatorem & Gaynam. Neque gliſcebat etiam aliquod tantum periculum, cui avertendo par non eſſet Imperator. IV. Fallit itaque eos, quorum conſcientiam informare cupit Euſebius, dum ait: *Arcadium Imperatorem ob Gaynæ rebellionem in extrema Imperii, imò & religionis neceßitate à S. Chryſoſtomo impenſißimè flagitaſſe, ut ei aliquam Conſtantinopoli Eccleſiam concederet.* Liquet id ex iis, quæ jam commemorata ſunt. Baronius Cardinalis *T. 5. Annal. Eccl. ad ann. Chriſti* 400. *ſ.* 41. ex Theodoreto pluribus illud elucidat circumſtantiis. Ingreſſus, *inquit*, Barbarus Conſtantinopolim, *pacis larva contectus*, quæ ſunt pietatis atque quietis ſibi præcipuè curæ eſſe ſimulans, Eccleſiam Arianis, quibus cum ipſe ſacros poſſet celebrare conventus, ab Arcadio poſtulavit. Quid tum ipſe Imperator, quidve Chryſoſtomus eius civitatis Antiſtes Ariano duci reſiſtens egerit, à Theodoreto rem geſtam exactè deſcribente audiamus. Iſte (*inquit libr. V. cap. 32.*) labè aſperſus Ariana poſtulabat ab Imperatore, *unum ex ſacris templis* ſibi dari. Imperator autem reſpondit, ſe de ea re capturum conſilium, & unum ei curaturum promittit. Itaque divino illo Johanne accerſito (Epiſcopo ſcilicet Conſtantinopolitano) ei poſtulatum Gaynæ exponit, commemorat eius potentiam, moliri tyrannidem indicat, orat, ut templo donato furentem eius animum placet. Cui nobilis ille vir, ne, *inquit*, qui Dei Verbum ſanctè & auguſtè laudibus & hymnis celebrant, expellantur à ſacro templo, idemque tribuatur illis, qui contra eum loquuntur blaſphemias. Atque ne barbarum illum omninò metuas Imperator, ſed me & illũ in unum locum convoca, tuquẽ ſilentio utriuſque noſtrum ſermonem auſculta. Ego certè me hominis linguam refrenaturum ſpero, perſuaſurumque, ne poſtulet, quod ei concedi non debeat. Quibus auditis Imperator vehementer lætatur, & poſtridie eius diei utrumque accerſit. Gaynas quidem promiſſum expoſuit. Magnus autem Johannes reſpondet illi ex adverſo, non licere Imperatori, qui pietatem colere inſtituat, aliquid contra

magis fideret, neque quem magis observaret: denique parentis loco illum deinceps semper habuit &c. Ubi autem & unde nobis spes superest de partium inter se ad sanctum unitatem coalitione hodie in Rom. Imperio?

Sextò & illud perpendit Ambrosius, Valentinianum juniorem incompetenti uti potestate, neque licitum ei esse, ut in Mediolanensem Ecclesiam Arrianismum introducat. Erat enim administrationis summa tum autoritas penes Gratianum & Theodosium, ætate & meritis in Rempubl. gravissimos: neque poterat adolescens sub patrocinio tantorum virorum aliquid statuere, quod religioni & saluti publicæ noxam & maculam inferret. Constitutum fuit jam anno XII. Gratiani & Valentiniani III. si rectè tempora ordinat Card. BARONIUS *ad Ann. Chr. 378. num. 32.* quibus quæ & ubi Ecclesiæ persecutionibus Valentis dissipatæ essent cedendæ. Meminit eius constitutionis SOCRATES *H. E. V, 2.* GRATIANUS *simul cum Valentiniano juniore, gubernaculis potitus imperij crudelitatem Valentis avunculi in Christianos usurpatam damnavit, illosque qui ab eo erant relegati, revocavit in patriam, atque adeo lege sancivit, ut quæque secta, solis Eunomianis, Photinianis & Manichæis exceptis, liberè & audacter nullo habito discrimine in Ecclesiis conventus ageret.* Græca sic habent: Γρατιανὸς δὲ ἅμα τῷ νέῳ Οὐαλεντινιανῷ τῆς βασιλείας ἐγκρατὴς γενόμενος, καταγνοὺς δὲ τοῦ θείου Οὐάλεντος τῆς περὶ τοὺς χριστιανοὺς ὠμότητος, τοὺς μὲν ὑπ' ἐκείνου ἐξορισθέντας ἀνεκάλει· νόμον τε ἐθέσπισε μετ' ἀδείας ἑκάστην τῶν θρησκειῶν ἀδεῶς ἐν τοῖς εὐκτηρίοις συνάγεσθαι. Et SOZOMENUS *H. E. VII, 1.* GRATIANUS *interim unà cum fratre universum Rom. Imperium adeptus, cum patrui sententiam non probaret, quâ ille pertinaciter istos fuerat persecutus, qui religione ab ipso dissenserant, omnibus iis, qui ab illo vivente religionis ergo in exilium pulsi fuerant, reditum concessit, legemque tulit, ut quisque libere, quamcunque religionem, quemcunque cœtum vellet, sectaretur, exceptis Manichæis, Photinianis & Eunomianis.* Græca sic habent: Γρατιανὸς δὲ ἅμα τῷ ἀδελφῷ πᾶσαν τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν διέπων, οὐκ ἐπαινέσας τὸ θεῖον τῆς γνώμης ἣν περὶ τοὺς ἑτέρως αὐτῷ δοξάζοντας διετέλεσεν ἔχων, πᾶσι τοῖς ὑπ' ἐκείνου διὰ τὴν θρησκείαν φυγαδευθεῖσι τὴν κάθοδον ἀπέδωκε, καὶ νόμον ἔθηκε, μετ' ἀδείας ἑκάστους θρησκεύειν, ὡς βούλονται, καὶ ἐκκλησιάζειν, πλὴν Μανιχαίων, καὶ τῶν τὰ Φωτεινοῦ καὶ Εὐνομίου φρονούντων. Baronius, qui malè Catholicos duntaxat putat à Valente pulsos & per eos intelligendos, qui religionis ergo ab eo in exilium acti fuerunt, hoc Gratiani decretum *temporarium* fuisse putat. *Satis namq;*, inquit, *visum imperatori, ulcerosum morbum pedetentim curare, hocque primo initio Catholicam fidem postliminio restituere, ac viros Catholicos suis Ecclesiis reddere, illosque comprimere hæreticos primo omnium, qui execrabiliores haberentur. Nam Eunomiani eius pravæ æstimationis habebantur, ut ipsos Arriani quoque detestarentur.* Atqui lex Gratiani ἀδιορίστως unicuique τῶν θρησκειῶν libertatem tribuit. Idque vult ἄδεια libertas, immunitas, potestas, impunitas. Neque enim postea, cum Theodosius Constantinopolitanæ Ecclesiæ repurgandæ incubuit, aliud in hoc decreto retractatum fuit, quam quod Arianis concessum erat in decreto Gratiani. Id propter Arianæ factionis perpetuam inquietudinem & seditiosa consilia. Qua de re SOCRATES *lib. V. c. 7.* *Ariani, qui annos quadraginta Ecclesiarum administratione potiti fuissent, cum concordiam, ad quam Imperator Theodosius illos hortatur, fugientes*

Gratiani decretum pro libertate conscientiarum.

Vindicatur à Baronii interpretatione.

gientes

gientes se ex urbe subduxerunt. & THEODORETUS *H. E. V, 6.* Theodosius, *inquit*, ut primum imperium in illas imperij partes, quas Valens rexerat, obtinuit, Ecclesiis præ cæteris rebus diligenter prospicere cœpit, & ut Episcopi suæ ditionis Constantinopolim ire maturent, imperat. nam sola ea imperij pars Ariana labe passim commaculata fuit: pars autem versus occidentem ab ea libera vacuaque permansit. Siquidem Constantinus filius Constantini natu maximus & Constans minimus natu paternam fidem integram conservabant; quin etiam Valentinianus Imperator Occidentis, veram pietatem sinceram & incorruptam custodiebant. Decretum extat *Co l. de Summa Trinitate & Fide Catholica l. Cunctos populos, & l. Nullus hæreticu.* Quod non universaliter ad omnes in religione dissentientes extendendum esse, ex ipsa rerum gestarum serie liquet. Nam Theodosius *contra Synodi Nicanæ decretis adversantes* potissimum egit. Et, ut loquitur Nicephorus Call. H. E. XII, 15. *tulit legem, ne a fidei consubstantialis professione abhorrentes, conventus aliquos Ecclesiasticos agerent: neve postea de fide docere auderent, aut eligendi consecrandique quempiam autoritatem haberent.* Hoc lex Codicis ita exprimit: *Nullus hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio.* & rursus. *Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ, unius & summi Dei nomen ubique celebretur. Nicænæ fides dudum à majoribus tradita & divinæ religionis testimonio atque assertione firmata observantia semper mansura teneat.* Hinc & Novatianis ea sanctio non obstitit. Nicephorus *l. c.* *Eis qui Novati hæresi laborant, nihil adversi accidit quippe qui Ecclesiæ Catholicæ præterquam in re una consentirent & ὁμουσίῳ consubstantiali admodum adhærerent.* Quanquam & contra ὁμουσίῳ negatores nihil executus sit asperius. Sic enim NICEPHORUS l. c. *Constitutionibus ejusmodi pœnas graves addidit, si quenquam contra delicta sua commisisse comperisset. Sed ea executioni non mandavit: metum enim tantum hæresium studiosis incutere voluit, & id maxime studio habuit, ut populi imperio eius subiecti, eandem secum de Deo obtinerent opinionem.* Sed ut ad id redeamus, à quo digressi sumus, post istam Gratiani pro religione contra Valentis rescripta susceptam defensionem & Theodosij in expurgando Oriente labores, cum Occidens sanus esset in fide, commune erat Imperatorum pro religionis puritate studium. Neque debuit, aut cum successu potuit Valentinianus junior Arianis Ecclesias concedere, quibus S. Ambrosius præerat. sine cæterorum suffragio, quos totos Arianis adversari, Ambrosius noverat. Præscriptum est Valentiniani etiam nomē cum cæteris Gratiani & Theodosij, illi Constitutioni, quæ edita An. 380. *cunctos populos eam religionem amplecti vult, quam divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, Virum Apostolicæ sanctitatis, h. e. secundùm Apostolicam disciplinam Evangelicamque doctrinam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti unam Deitatem sub pari Maiestate & sub pia Trinitate credamus.* Conjunguntur etiam Gratianus, Valentinianus & Theodosius in ea, quæ An. 381. edita, vult, *ut Nicænæ fidei dudum à majoribus tradita & divinæ religionis testimonio atque assertione fir-*

Decreta Gratiani in Cod. explicantur.

ne firmata observantia semper mansura teneat. Non itaq; Valentinianus sine insigni Majestatis suæ conculcatione potuit illis, contra Imperatorum cæterorum voluntatem, cedere Ecclesiam, quos sexennio ante omni ministeriorum loco exuit, nulla ad exercendam obstinatioris animi dementiam occasione beari voluit. Cum Gratianus ἀδείαν θρησκείας ἀδιορίστως concessisset, & tribus sectis exceptis cæteris omnibus θρησκεύειν καὶ ἐκκλησιάζειν ἐν τοῖς εὐκτηρίοις permisisset, decreto promulgato nemo ex Episcopis restitit Gratiano, εὐκτήριον nemo denegavit, omnes ad calamitatum finem suspexerunt & suspirarunt, ex ista libertate obtinendum. Nam plena Gratiani autoritate sanctio ista roborata fuit & iis circumstantiis cohonestata, ut nemo suggillaverit. Nunc Valentiniano seducto, à suis decretis resiliente, & jura Ecclesiis Occidentis data sine collegarum suffragio rescindente, meritò contra intercedit Ambrosius. Talia iterum in compositione nostra non apparent.

Septimò, omninò & quidem inprimis illud circa Ambrosij factum annotandum, quod in eo singularis quædam, extraordinaria & fere miraculosa animorum gubernatio appareat. Nam omnia contra Ambrosium inita consilia eludebantur, de quibus Paulinus *in vita S. Ambrosii.* JUSTINÆ *mulieris innumeras insidias sustinuit, quæ muneribus atque honoribus adversus sanctum virum oblatis populum excitabat: sed infirmorum mentes talibus promissis decipiebantur. Promittebant enim tribunatus & diversas alias dignitates iis, qui illum de Ecclesia raptum ad exilium perduxissent. quod cum multi conarentur, sed Deo præsule perficere non valuerunt &c.* ubi narrat, quomodo Euthymius eo carro quo Ambrosius abducendus erat, in exilium deductus sit. Militum alienorum à religione animi divino nutu conversi sunt, de quibus ipse Ambrosius *ad Marcellinam sororem*: Dum hæc tracto, suggestum est mihi, cortinas regias esse collectas, refectam autem basilicam præsentiam mei poscere. Statimque eò converti sermonem meum, dicens: quam alta & profunda oracula sunt Spiritus Sancti! Matutinis horis lectum est, ut meministis, fratres, quod summo animi dolore respondemus, Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam. Et revera venerunt gentes & plus etiam quam gentes venerunt. Venerunt enim Gothi & diversarum nationum viri, venerunt cum armis & circumfusi occupaverunt basilicam, hoc nos ignari tuæ altitudinis dicebamus, sed nostra imprudentia aliud opinabatur. Venerunt gentes, sed verè in hæreditatem tuam venerunt. Qui enim gentes venerunt, facti sunt Christiani. Qui ad invadendam hæreditatem venerunt, facti sunt hæredes Dei. Defensores habeo, quos hostes putabam. Socios teneo, quos adversarios existimabam. Cujus hoc munus, cujus opus nisi tuum, Domine Jesu! &c Notabiliter admiranda, quæ factum Ambrosi, illustrarunt, exequitur Card. Baronius *ad An. Chr.* 387. *num.* 32. Sed, *inquit* quæ post hæc sunt subsecuta? admiratione planè digna. Uni Ambrosio pro Ecclesiastica libertate pugnanti, populus & milites, subditi ac principes, terra cœlumque, mortales & superi, viventes atque vita functi & quid insuper? Ipsi denique spiritus adversarij, licet inviti, ei tamen præsto fuere. Mirandum

sanè

ſanè fuit, univerſum populum Mediolanenſem Epiſcopo potius, quam Imperatori, tanto periculo ſuorum capitum atque bonorum ſtudere ardentiſſimis conatibus delegiſſe: ipſos mercatores lucri cupidos, ut adverſus Imperatorem faverent Ambroſio, omnino contemſiſſe, & nobiles, quos Honoratos vocant, prætuliſſe crucis ignominiam regiæ Pharaonis, ſed majoris adminiſtrationis illud acceſſit, milites, qui ad expugnandam baſilicam acceſſiſſent, momento temporis eſſe converſos in defenſores, & qui venerant fundere in baſilica ſanguinem, mutatos unà fudiſſe cum Catholicis ad Deum preces. Sed quod ne ſic quidem emolliretur Juſtinæ animus, quem impietas in ſilicem obdurarat & filium Imperatorem in Ambroſium acrius concitare urgereque fœmineo furore pergeret, Deus pro Ambroſij defenſione Maximum Imperat. commovit, qui primò ut par erat datis literis voluit Valentinianum admonuiſſe. At cum nec ſic compeſceretur Juſtinæ in exagitando S. Ambroſium petulantia, è cœlo, ex ſanctis, è terra, ex refoſſis ſanctorum martyrum ſanctis reliquiis impertitur à Deo digniſſimo ſacerdoti præſidium. *Hæc Card. Baronius* latiſſimè pertexit. In noſtro negotio auxiliorum extraordinariorum certitudo nulla. Itaque ad ordinaria neceſſitatis remedia ſpectandum eſſe, res ipſa jubet.

Sed percurramus S. Ambroſii hac de re monumenta. Denunciavit ei Imperator Valentinianus, ut, quo vellet, pergeret. Rectè hic S. Ambroſius vocationi ſuæ legitimis ſuffragiis acceptæ demandatoque officio inhæſit. *In ep. 32. ad Valentinianum* ait: *Vtinam Imperator non denunciaſſes, ut quo vellem pergerem. Quotidie prodibam: nemo me aſſervabat. Debuiſti me, quo volueras, deſtinare, quem ipſe omnibus offerebam. Nunc mihi à ſacerdotibus dicitur, Non multum intereſt, utrum volens relinquas, an tradas altare CHRISTI. Cum enim reliqueris, tradet. Atque utinam liquidò mihi pateret, quod Arianis Eccleſia minimè traderetur, ſponte me offerrem pietatis tuæ arbitrio. Sed ſi ego ſolus interſtrepo, cur etiam de aliis omnibus invadendis Eccleſiis eſt præceptum? Vtinam confirmetur, ut Eccleſiis nullus moleſtus ſit, opto, ut de me qualis videtur ſententia perferatur.* Itaque Imperator denunciando Ambroſio diſceſſum ab Eccleſia, adhuc occultabat conſilium de Arianiſmo introducendo mutandaque cultus ratione. Ita de ea re etiam Ambroſ. *in orat. in Auxentium ad populum. Video omnes præter ſolitum ſubitò eſſe turbatos atque aſſervantes mei. Miror quid hoc ſit, niſi forte quia per tribunos me vidiſtis aut audiſtis eſſe Imperiali mandato conventum, ut quo vellem abirem hinc, & ſi qui vellent, ſequendi poteſtatem haberent. Metuiſtis ergò, ne Eccleſiam deſererem, & dum ſaluti meæ timeo, vos relinquerem. Sed quid & ipſe mandaverim, poteſtis advertere; deſerendæ Eccleſiæ mihi voluntatem ſubeſſe non poſſe, quia plus Dominum mundi, quam ſeculi huius Imperatorem timerem. Sanè ſi me vis aliqua abduceret ab Eccleſia, carnem meam exturbari poſſe, non mentem. Paratum me eſſe, ut ſi ille faceret, quod ſolet eſſe regiæ poteſtatis, ego ſubirem, quod ſacerdotis eſſe conſuevit. Quid ergo turbamini? Volens nunquam vos deſeram. Coactus repugnare non novi. Dolere potero, potero flere, potero gemere; adverſus arma, milites, Gothos quoque, lacrymæ meæ arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt Sacerdotis. Aliter*

Ambroſio cum Valentiniano actio diſcutitur.

nec debeo, nec possum resistere. Fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis gravioris pœnæ metu factum interpretetur. Scitis & vos ipsi, quod Imperatoribus soleam deferre, non cedere: Suppliciis me libenter offerre, nec metuere, quæ parantur. Apparet ex his, non finem, sed initium futurum fuisse persecutionis Ecclesiæ, si Ambrosius deseruisset suam basilicam, cum & præceptum de aliis invadendis Ecclesiis traditum esset. Erant pacata occidentis omnia. Justina introducere Arianismum gestiebat. Si Ambrosius subverteretur, magnum momentum desideriis suis accessurum perspiciebat. In animum hoc Valentiniano revocat Maximus Imp. in literis, quas *l. c.* adducit Baronius *num.* 34. *Si jam per tot secula coalita & confirmata mutares, parvam ne excitare discordiam videreris? Ipsis humanis legibus in hac mortalitate habet nostra reverentiam consuetudo, & in re jam vetusta atque usitata aliquid novum fecisse, reprehensio est. Italia omnis atque Africa hoc sacramento credunt: hac fide gloriantur Gallia, Aquitania, omnis Hispania, Roma ipsa venerabilis, cujus etiam in hac parte principatus est, quod Deum sicut sequi voluit agnovit.* & post: *Periculosè crede mihi divina tentantur. Venerabilis memoriæ Divus Valentinianus Pater clementiæ tuæ, hac fide fideliter imperavit, nihil ille attingere volebat, quod bene constitutum videbat. Hi certe sub eodem Episcopi jam fuerunt. Quæ tanta mutatio, ut qui antea sacerdotes, nunc sacrilegi judicentur? Iisdem certè præceptis, iisdem sacramentis dicati, eadem fide credunt, qua ante crediderunt. An putat venerabilis mihi serenitas tua, conceptam semel in animis hominum religionem, quam Deus ipse constituit, posse convelli? Quanta ex hoc discordia excitabuntur? quantæ contentiones orientur? quam crebræ ac pestiferæ seditiones? quanta & quæ pervenientia ad Deum vota justorum? cum inter Christianos, quod dictu nefas sit, quædam persecutionis imago nascitur.* Pergit Ambrosius in commemoratione. *Cum esset propositum, ut Ecclesiæ vasa jam traderemus, hoc responsi reddidi, Me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei juris esset libenter offerre, templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi Sacerdotis, si vult sibi esse consultum, recedat à Christi injuria &c.* Ex quibus verbis liquet, Ambrosium non versatum esse in casu necessitatis publicæ, aut majoris alicujus mali avertendi, in qua nostra pacificatio versitur. In hoc enim casu vasa licitè traduntur, sc. pro redemtione captivorum apud eos, apud quos non solum in corporis periculo sunt, sed imprimis animæ. Vide Redoanum *de reb. Eccles. non alienand. quæst.* 21. *latè & q.* 7. quomodo etiam ipse eorum causa sacra vasa confregerit, referente Card. Baron. *A. C.* 387. *n.* 62. Pergit post multa Ambrosius: *Solvimus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur. Ecclesia Dei est. Cæsari utique non debet addici. quia jus Cæsaris non potest esse Dei templum. Quod cum honorificentia Cæsaris dictum, nemo potest negare. Quid enim honorificentius, quam ut Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur. Quod cum dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Bonus enim Imperator quærit auxilium*

Ecclesia, non refutat. Ubi sanè Ambros. traditionem Ecclesiæ aut templi in eo casu faciendam non esse censet, quo simul Ecclesiam universam antea tranquillam invadit pernices, non quo ulterior avertitur, qualis noster est. Sic & in ep. 33. ad Marcellin. *Convenerunt me primo viri Comites Consistoriani, & ut basilicam traderem, & procurarem, ne quid populus turbarum moveret, Respondi, quod erat ordinis, templum Dei tradi à Sacerdote non posse.* Intelligit hoc Ambrosius, extra casum necessitatis, & cum Sacerdos aut Episcopus id agit seorsim. Aliud enim est, se fiat hoc consensu & transactione eorum, quorum interest, uti concessæ sunt Gratiani edicto diversis sectis, de quibus supra actum. Rursus refert Ambrosius: *Mandatur denique, trade basilicam! Respondeo, nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere Imperator expedit. Domum privati nullo potes jure temerare, domum Dei existimas esse auferendam? Allegatur,* Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. *Respondeo, noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertineant: ad Sacerdotem Ecclesia. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse.* Debeo & ego unam basilicam habere. *Respondi, non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim, quæ non est legitimo Christi conjugio copulata.* Omnia ista Ambrosiana ex hypothesi circumstantiarum præsentium interpretationem accipiunt, quod vel ex eo liquet, cum dicit, Imperatorem domum privati nullo jure posse temerare. Hoc enim in omni casu verum non est. Posse enim principes etiam ob causam publicam dominos rerum rebus propriis exuere, ex Jure deducit Petrus Gregor. Tholosanus *de Rep. lib.* 7. *c.* 10. §. 21. & Imperatori non planè nullum jus competere in ea bona corporalia, quæ divina sunt, superius ostendimus. Vide Redoanum *quæst.* 12. *num.* 5. *& seq.* Quocirca nihil ex hac historia pro suo expiscatur scopo, cum sciscitatur Ernestus Eusebianus, si Imperator nullum jus in divina imperiale habuit, quo postea anno, quo privilegio, quo Pontifice illud acquisivit? Resp. tale jus, quale sibi Valentinianus arrogavit, nuspiam & nunquam acquisivit sibi Imperator. Neque ex tali jure promanare sanctionem pacis religiosæ, ex deductis liquidum est.

Disceptatio II.

An S. Chrysostomus paci religionis adversetur?

III. Chrysostomi responsum pacificationem nostram nullatenus lædit. Nam I. non erat inter Arcadium & Gaynam ille respectus, qui est inter Status tum Ecclesiasticos tum Politicos Imperij Romani. Gaynas ex infima sorte ab Imperatore evectus & affectus dignitatibus variis, tandem ad Ducis Rom. exercitus fastigium elevatus est. Illi in fortuna prospera contra fas jusque inso-

insolescenti postulatorum iniquissimorum audacia condonanda non fuit. Alia ratio est Ordinum Imperij Romani inter se & ergo Imperatorem Romanorum. II. non erat quæstio inter Arcadium & Gaynam de Ecclesiis concedendis, sed de aperienda & tradenda aliqua præcipua Ecclesia Constantinopolitana. Nam *primò* habuerunt Ariani Gothi jam aliquam Ecclesiam Constantinopoli. Docet id SOCRATES *H. E. VI, 6.* Quamvis, *inquit*, Imperator, vir qui jurisjurandi religionem, utpote pius, per magni æstimabat, jusjurandum firmè servabat, tamen Gaynas & fœdera rupit, & ab eo, quod apud animum suum proposuerat, minimè destitit, sed in urbe Constantinopoli & in universo Romano Imperio, si modo posset, incendia facere, prædasque agere cogitavit. Itaque Constantinopolis propter infinitas barbarorum copias, quæ illam occupabant, barbara ferè facta est, eiusque cives & incolæ captivorum loco habiti. tam grave etiam imminebat periculum civitati, ut Cometa maximus è cœlo ad terram usque pervadens (similem verò antea nemo aliquando aspexerat) illud ipsum portenderet. Gaynas primum omni exuto pudore argentariorum officinas, in quibus argentum publicè vendi solet, diripere in animo habuit. Sed cum fama conatum ejus prius patefecisset, quam rem aggressus sit, & argentarij propterea caverent, ne argentum in mensis numulariis exponeretur, ille deinde aliud facinus tentare constituit, & cum jam nox esset, barbarorum multitudinem ad palatium incendendum mittit. Quo quidem tempore planè constabat, quam illa civitas Deo curæ esset. Nam multitudo angelorum, qui speciem hominum armatorum, corpora immani magnitudine habentium præ se ferebant, illis, qui insidias vastando palatio paraverant, visa fuit: quos barbari ingentem revera exercitum & strenuum esse suspicati, & stupefacti sunt, indeque se subduxerunt. Quod postquam Gaynæ nunciatum fuit, incredibile videbatur. Nam certò sciebat, tantas copias armatas Romanorum (in singulis enim civitatibus separatim collocatæ erant) ibi adesse non potuisse. Nocte igitur sequenti & post etiam non semel, alios misit. Ubi verò ad eum, sæpius eò milites mittentem, eadem fuere relata (angeli enim Dei idem visum semper oculis insidiantium subjecerunt) tandem ille ipse cum ingenti manu illo profectus, de miraculo periculum facere voluit. Ac cum pro certo intelligeret, militum multitudinem esse, eamque interdiu delitescere, noctu autem eius conatui resistere, callidum admodum cœpit consilium, quod, ut ipse putabat, Romanis magnopere incommodaret, at, ut rei eventus declarabat, vehementer commodavit. Simulat se dæmonio agitari, & ob eam caussam ad templum D. Johannis Baptistæ (aberat quidem illud à civitate ad septimum lapidem) quasi preces ibi facturus contendit. Proficiscuntur unà cum illo barbari, qui arma secum clam ex urbe doliis occultata partim, partim aliis quibusdam machinis contecta extulerant. Ac cum portarum custodes, dolo deprehenso, tela exportari prohiberent, barbari strictis gladiis eos interemerunt. Inde gravis tumultus civitatem occupat: omnibus mors impendere videbatur. Veruntamen civitas portis undique firmiter occlusis communitisque in tuto

fuit.

fuit. Imperator autem prudenti consilio in tempore usus, Gaynam passim hostem pronunciat. barbaros, qui in urbe remanebant, trucidare jubet, uniusque diei spatio post portarum custodes occisos interpositos, milites cum barbaris intra portas *prope Ecclesiam Gothorum* (ibi enim barbari, qui in urbe remanserunt, erant in unum collecti) manu confligunt, Ecclesiam incendunt, permultos illorum trucidant &c. SOZOMENUS *H. E. IIX*, 4. Gaynas infringere jusjurandum & Constantinopolim evertere cogitabat. Quo tempore & Cometa has insidias portendebat, qui supra civitatem maximus apparebat, ad ipsam usque terram fermè pertingens, & qualis antea nunquam fuisse dicitur. Tentarat autem primò argentariorum tabernas invadere, quod se hinc pecuniarum acervos convasaturum esse speraret. Rumore sparso, quod ista decrevisset, & argentariis proinde præsentes maximè opes abscondentibus, neque pecuniam in mensis, ut solebant, publicè amplius proponentibus, noctu turba barbarorum immissa præceperat succendi palatium. Illi autem perculsi re infectâ reversi sunt. Nam cùm prope accessissent, videre sibi visi sunt multitudinem armatorum vastis corporibus formidabilium. Suspicati ergo, novitium esse exercitum, nuntiarunt Gaynæ. Ille verò (sciebat enim nihilo plures solitis milites in urbe degere) dictis fidem adhibere nolebat. Cæterùm cùm & insequenti quoque nocte missi alii, idem annuntiassent, quod priores illi, ipse progressus, admirandi spectaculi oculatus testis fuit, Ratus igitur sua gratia convenisse ex aliis urbibus milites, ac noctu custodire urbem atque palatium, interdiu verò latitare, simulat se dæmonio vexari, & quasi oraturus Ecclesiam occupat eam, quam in honorem Johannis Baptistæ Imperatoris pater in hebdomo construxerat. Ex barbaris autem alii in civitate manserunt, alii cum Gayna egressi sunt. Clanculum verò arma ac telorum pharetras fœmineis vehiculis impositas secū eduxerunt. At cùm deprehensi essent, portarum vigiles interficiunt, quod hi armorum exportationem prohibere conarentur. Qua ex re civitas motu ac tumultu repleta fuit, haud secus ac si jamjam capienda esset. Sed præsentibus malis remedio fuit consilium sanum. Imperator enim nihil cunctatus, Gaynam declarabat hostem, & relictos in urbe barbaros interfici jubet. Hos itaque milites adorti, plerosque occidunt: appellatam verò *Gothorum Ecclesiam* incendunt &c. Itaque intra Constantinopolim Arianis aperta erat Ecclesia. Manifestum est illud *deinde* ex ipsa Gaynæ propositione. Eam habet SOZOMENUS *H. E. IIX*, 4. Gaynas, *inquit*, præter meritum dignitatem sibi res evenire tam secundas nequaquam moderatè tulit; sed quoniam prima temeritas illi ex animi sententia cesserat, etiam Catholicam Ecclesiam turbare conatus est. Erat enim ille Christianus quidem, sed ex barbarorum hæresi. qui Arium sectantur. Persuasus igitur ab eius sectæ antistitibus, aut suo potius studio ratus, petiit ab Imperatore, ut suæ sectæ homines, *ex his, quæ in urbe erant, unam Ecclesiam* haberent. Neque enim æquum & alioquin absurdum esse querebatur, se, cum Dux esset Romanorum, extra mœnia adoratum proficisci. *Ita Sozomenus.* Habuerunt itaque Ariani etiam suburbicariam Ecclesiam, in

ſuppetias ferret. Ut autem in Phrygiam pervenit, adducta ſecum barbarorum copia, perinde ac ſi ad bellum veniſſet, animum ſuum, quem antea celaverat, reipſa prodidit, ac civitates, quas defendere juſſus erat, alias depopulabatur, alias mox videbatur invaſurus, in Bithyniam hinc progreſſus, ad Chalcedonis fines caſtra metatus, & bellum comminatus eſt. Rebus igitur in diſcrimen adductis maximè civitatum earum, quæ per Aſiam atque Orientem erant, quæque inter has ipſas & ad Euxinum Pontum incolebantur, Imperator cum his, qui ſecum erant, conſiderans, non eſſe tutū, imparatos in certamen deſcendere cum huiuſmodi hominibus, quibus jam erat deplorata vita ſua, miſſis literis nunciavit, ut peteret, quicquid vellet, ſe enim eſſe paratum in omnibus gratificari. Ille verò Saturninum & Aurelianū viros Conſulares, quod eos refragari ſibi arbitraretur, poſtulavit. Acceptis autem pepercit: & Imperatorem convenit in templo quodam ante Chalcedonem, in quo Euphemiæ martyris ſepulchrum eſt, ubi dato & accepto benevolentiæ jurejurando, arma depoſuit, & Conſtantinopolim trajecit, impetrata ab Imperatore tum peditū tum equitum præfectura. *Hæc ille.* Sic igitur tranſactum fuit inter Imperatorem & Gaynam. Neque gliſcebat etiam aliquod tantum periculum, cui avertendo par non eſſet Imperator. IV. Fallit itaque eos, quorum conſcientiam informare cupit Euſebius, dum ait: *Arcadium Imperatorem ob Gaynæ rebellionem in extrema Imperii, imo & religionis neceſſitate à S. Chryſoſtomo impenſiſſimè flagitaſſe, ut ei aliquam Conſtantinopoli Eccleſiam concederet.* Liquet id ex iis, quæ jam commemorata ſunt. Baronius Cardinalis *T. 5. Annal. Eccl. ad ann. Chriſti* 400. *ſ.* 41. ex Theodoreto pluribus illud elucidat circumſtantiis. Ingreſſus, *inquit*, Barbarus Conſtantinopolim, *pacis larva contectus*, quæ ſunt pietatis atque quietis ſibi præcipuè curæ eſſe ſimulans, Eccleſiam Arianis, quibus cum ipſe ſacros poſſet celebrare conventus, ab Arcadio poſtulavit. Quid tum ipſe Imperator, quidve Chryſoſtomus eius civitatis Antiſtes Ariano duci reſiſtens egerit, à Theodoreto rem geſtam exactè deſcribente audiamus. Iſte (*inquit libr. V. cap. 32.*) labe aſperſus Ariana poſtulabat ab Imperatore, *unum ex ſacris templis* ſibi dari. Imperator autem reſpondit, ſe de ea re capturum conſilium, & unum ei curaturum promittit. Itaque divino illo Johanne accerſito (Epiſcopo ſcilicet Conſtantinopolitano) ei poſtulatum Gaynæ exponit, commemorat eius potentiam, moliri tyrannidem indicat, orat, ut templo donato furentem eius animum placet. Cui nobilis ille vir, ne, *inquit*, qui Dei Verbum ſanctè & auguſtè laudibus & hymnis celebrant, expellantur à ſacro templo, idemque tribuatur illis, qui contra eum loquuntur blaſphemias. Atque ne barbarum illum omninò metuas Imperator, ſed me & illū in unum locum convoca, tuquē ſilentio utriuſque noſtrum ſermonem auſculta. Ego certè me hominis linguam refrenaturum ſpero, perſuaſurumque, ne poſtulet, quod ei concedi non debeat. Quibus auditis Imperator vehementer lætatur, & poſtridie eius diei utrumque accerſit. Gaynas quidem promiſſum expoſuit. Magnus autem Johannes reſpondet illi ex adverſo, non licere Imperatori, qui pietatem colere inſtituat, aliquid

contra

contra res sacras moliri. Cui quidem dicenti, templum sibi dari oportere, respondet Johannes, templum sacrum apertum esse, neminemque eum prohibere, quo minus in eo, si libeat, preces Deo fundat. Tum Gaynas; At ego, inquit, alterius sectæ sum, & cum hominibus eius sectæ unum sanctum templum habere postulo, atque istud quidem non immeritò peto, quippe qui multa bellica certamina pro Romanis confecerim. At præmia, inquit Johannes, tibi propterea tributa labores tuos longè superant, nam Dux es, & honore Consulari dignatus. Quin etiam tecum debes considerare, quis olim fueris, & quis jam sis, quæ etiam præterita tua inopia, & in qua abundantia jam vitam degas, quibus quoque vestimentis indutus esses, cùm Istrum trajeceris, & quibus jam opertus. Complectere igitur animo, quàm pauci sint labores, & quàm ampla sint præmia, atque noli erga eos, qui tibi honorem hunc detulerunt, ingratus esse. Hac oratione habita Johannes, celebris totius orbis terrarum Doctor, os obturavit Gaynæ, atque adeò obmutescere coëgit. Hactenus de congressu Johannis Chrysostomi cum Gayna Theodoretus. Quibus videas oculis manibusque contingas illud Apostoli: *Arma militiæ nostra non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum.* Etenim qui ad iniquas atque indignas, imò & turpes coëgerat Arcadium Imperatorem pacis conditiones accipere, ut tamen velamento pacis tyrannidem violentus arriperet, idem ipse ab inermi vincitur Sacerdote, cogiturque à cœptis desistere, quæ instigatione Arianorum magnis spiritibus petere aggressus erat, usque adeò, ut in ea civitate, ubi ipse præsidio militari summam rerum sibi vindicabat, cogatur, ut hæreticus à sacris extorris carere basilicâ. *Hæc Baronius,* qui & addit SOZOMENI verba *H. E. IX, 4.* Exprobravit tunc Johannes Gaynæ, & quod Imperatoris patri tum servatus jurejurando promiserit, se benevolentiam erga Romanos perpetuò ratam, erga ipsum denique, erga ipsius filios, erga leges esse conservaturum, quas tamen jam irritas facere conaretur. Simulque cùm hæc diceret, legem ostendebat, quam Theodosius sanciverat, cùm sectarios omnes arceret, ne intra mœnia conventus agerent, deinde conversa ad Imperatorem oratione eum hortabatur, ut latam adversus cæteras hæreses legem conservaret, simulque consulebat, satius esse, Imperio cedere, quàm perdere domum Dei, & à religione deficere. Atque is quidem ad hunc modum utiliter usus loquendi libertate, nihil innovare passus est in Ecclesiis sibi concreditis. *Ita ex Sozomeno Baronius.* Clarissimum est, non adeò impensè flagitasse Arcadium, ut traderetur Basilica Gaynæ, sicut nugatur Eusebius. Proposuit Gaynæ postulatum Chrysostomo. Consuluit, num salvâ conscientiâ fieri posset, ut Gaynæ satisfieret. Promisit Gaynæ proculdubio cum conditione, si fieri possit. Sed vehementer ad Chrysostomi robusta consilia lætatus est. Interim illud liquet, Chrysostomum non hoc voluisse, quod nulla sit libertas exercendæ religionis Arianis concedenda; & hoc esse in religione deficere, & domum Dei prodere. Proposuit enim Gaynæ Theodosii legem, quâ extra mœnia Constantinopoleos Arianorum exercitium segregabatur. Itaque autonomiæ non contradicit.

Neque

Neque quid juris Imperatori in Ecclesias competat, Chrysostomus arbitratus est, sed quid consultum sit in postulato Gaynæ, vel concedere, vel denegare.

Disceptatio III.

An Episcopi Africani & vicinarum Insularum paci religionis adversentur?

IV. Episcopi Africani & vicinarum Insularum nullum constituerunt exemplum, quo à pacificatione finienda cordati Viri, Amantes patriæ & boni publici absterreri possint. Lucebit illud sole meridiano clarius, si ex VICTORE UTICENSI rem altius repetiverimus. Proposuit Hunericus severum minaxque decretum contra sinceros consubstantialis Trinitatis Professores & Confessores, tale ferè, quale contra dissentientes à se in capitibus religionis optat Ernestus Eusebius. Extat initio *lib. 3. de persecutionib. Afric.* Rex Hunerychus Vandalorum & Alanorum, *refert* VICTOR, universis populis nostro regno subjectis. Triumphalis maiestatis & regiæ probatur esse virtutis, mala in autores consilia retorquere. Quisquis enim pravitatis aliquid invenerit, sibi imputet, quod incurrit, in qua re nutum divini judicii clementia nostra secuta, personis, prout eorum facta meruerant, seu bona, seu forte talibus contraria decrevit. Itaque his provocantibus, qui contra præceptionem inclytæ recordationis patris nostri, vel mansuetudinis nostræ crediderunt esse renitendum, censuram severitatis assumimus. Auctoritatibus enim cunctis p[illegible]s fecimus innotescere, ut in sortibus Vandalorum nullos conventus homousii sacerdotes assumerent, nec aliquid mysteriorum, quæ magis polluunt, sibimet vendicarent. Quod cùm videremus esse neglectum, & plurimos esse repertos, dicentes, se integram fidei regulam custodire vel retinere, universos constat fuisse commonitos ad spatia temporis prorogata novem. Quæ contentiones, si quid ad eorum proposita possit aptari, ad Cal. scilicet Februarias anni octavi regni nostri, sine metu aliquo convenient. Qui dum huc ad Carthaginensem confluerent civitatem, post moram temporis præstituti, aliam quoque dilationem aliquantorum dierum dedisse cognoscimur. Dum se conflictui paratos astruerent, primo die à venerabilibus Episcopis nostris eis videtur esse propositum, ut homousion, sicut admoniti erant, ex divinis scripturis propriè (hoc est, in terminis terminantibus, arte novissimâ, methodo Veronianâ & Gonteriana) probarent. Aut certè, quod à mille, aut quotquot excurrunt Pontificibus de toto orbe in Ariminensi Concilio vel apud Seleuciam imputatum est, prædamnarent. Quod nequaquam facere voluerunt, universa ad seditionem per se concitato populo revocantes. Quinimò & secunda dies, dum eis mandaremus, ut eàdem fide, sicut propositum fuerat, responderent, hoc videntur assumsisse, temeritate transacta, ut seditione & clamoribus omnia perturbantes ad conflictum facerent minimè perveniri. Quibus provocantibus

Hunerici edictũ ad Episcopos Africanos.

statuimus, ut eorum ecclesiæ claudeerentur, hac illis conditione præscripta, ut tamdiu essent clausæ, quamdiu nollent ad conflictum propositum pervenire. Quod ea obstinatione facere noluerunt, quam in pravis videntur assumsisse consiliis. Adeò in his est necessarium & justissimum retorquere, quod ipsarum legum continentia demonstratur, quas induxisse cum terrore Imperatoribus diversorum temporum, tunc contigit promulgari. Quarum illud videtur tenere contentio, ut nulla exceptis superstitionis suæ antistitibus ecclesia pateret, nullis liceret aliis, aut convictus agere, aut exercere conventus, nec ecclesias aut in urbibus, aut in quibusdam minimis locis penitus obtinere, neque construere, sed præsumta fisci juribus jungerentur. Sed etiam nec patrimonia eorum ecclesiæ suæ fidei sociata suis antistitibus pervenirent, nec commeandi ad quæcunque loca talibus licentia pateret, extorres omnibus urbibus redderentur & locis, ne baptisandi facultatem haberent aliquam, aut fortè de religione disputandi. Et nullam haberent ordinandi licentiam seu episcopos, seu presbyteros, quos ad clerum pervenire contingeret, proposita severitate vindictæ, ut tam hi, qui se paterentur huiuscemodi honores accipere, quam etiam ipsi ordinatores denis libris auri singuli mulctarentur, eo adjecto, ut nullus eis locus esset, vel aditus supplicandi, sed etiam si qua minus minimè prævalerent. Et si in hac pernicie perdurarent, etiam de proprio solo ablati in exilium super persecutione idonea mitterentur. In populo quoque præfati Imperatores similiter sævientes, quod eis nec donandi, nec testandi, aut capiendi, vel ab aliis relictum penitus potestas esset, non fideicommissi nomine, non delegati, non donationibus aut relictione, quæ mortis causa appellatur, vel quolibet Codicillo, aliisq; forsitan scripturis, ita, ut etiam qui in palatiis militarent, condemnationis gravissimæ pro dignitatis merito facerent subjectos; officialibus autem judicum diversorum, triginta argenti pondo pœna proposita, quam si quinque vicibus in errore perdurantibus contigisset inferre, tum demum tales convicti atque subjugati verberibus in exilium mitterentur. Deinde Codices universos Sacerdotum, quos persequebantur, præceperunt ignibus tradi, quod de libris huiusmodi, quibus sibi nominis illius errorem persuasit iniquitas, præcipimus faciendum. Hæc enim, ut dictum est, pro singulis quibusque personis illi observanda præceperant, ut illustres singillatim auri pondo quinquagena darent, Spectabiles auri pondo quadragena, Senatores auri pondo tricena, populares auri pondo vicena, Sacerdotales auri pondo tricena, Decuriones auri pondo quina, Negotiatores auri pondo quina, plebeij auri pondo quina, Circumcelliones auri pondo dena: Et si qui forte in hac pernicie permanerent, confiscatis omnibus rebus suis, exilio mulctarentur. Ordines autem civitatum, sed & procuratores, & conductores possessionem tali pœna videbantur affligere, ut si forte tales celare detegerentur, & minimè publicassent, & retentos judicio non facerent præsentari, ipsi tenerentur ad pœnam: Conductoribus etiam regalium prædiorum hâc mulctâ propositâ, ut quantum domui regiæ inferrent, tantum etiam fisco pœnæ nomine cogerentur exsolve-

exſolvere. Id generaliter in omnibus conductoribus & poſſeſſoribus, qui in eadem ſuperſtitione crediderint perdurandum, conſtituerunt obſervari. Judicibus etiam, qui huic rei non inſtantiſſimè imminebant, pœnâ proſcriptionis & ſanguinis ſupplicium poneretur: ſed & de primatibus officiorum tres numero punirentur, aliis viginti librarum auri condemnatione mulctandis. Quare his neceſſe eſt conſtitutionibus obligari Homouſianos omnes, quos huiuſmodi malæ perſuaſionis conſtat tenuiſſe & tenere materiam: quos ab omnibus ſupradictis abſtinere decrevimus in proſecutione venturis per ordines cunctarum urbium: ſed etiam judices, qui ſuperioribus neglectis dira ſupplicia diverſis non intuliſſe monſtrantur, omnes ſupradictæ fidei Homouſion erroribus implicatos, quæ cuncto prædamnata eſt Concilio tantorum numero Sacerdotum, univerſis rebus prædictis & contractibus præcipimus abſtinere, quod nihil ſibi noverint permiſſum. Sed univerſos ſimilis pœna maneat & aſtringat, ſi ad veram religionem, quam veneramur & colimus, intra diem Calendarum Juniarum anni octavi regni noſtri converſi non fuerint. Ad diem autem præſtitutum eadem pietas noſtra conſtituit, ut prædamnatis errorum indulgentia non negetur, & obſtinatos animos ſupplicia digna coerceant. Qui autem in eodem errore permanſerint, ſeu domus noſtræ occupati militiâ, ſeu forſitan diverſis titulis neceſſitatibuſque præpoſiti, pro gradibus ſuis dictarum ſuperiùs mulctarum illationes cogantur excipere, nihil valituris, ſeu forſitan per ſubreptionem quenquam talium contigit promereri. In privatos etiam, vel cuiuſcunque gradus & loci perſonas, hoc noſtra promulgatio præcepit obſervandum, quod circa tales ſupradictis legibus videbatur expreſſum, ut pœnæ congruæ ſubderentur. Judices autem provinciarum, quod ſtatutum eſt, negligentes exequi, ſuperiori pœnâ, quæ talibus præſcripta conſtituitur, obligarent. Viris autem maieſtatis divinæ cultoribus, id eſt, Sacerdotibus noſtris Eccleſias univerſas, vel totius cleri nominis ſupradicti, quibuſcunque terris & regionibus conſtitutas (quæ propitiâ divinitate imperii noſtri regimine poſſidentur) unà cum rebus, quæ ad eaſdem pertinent, hoc decreto ſtatuimus proficere, non dubitantes, quod plus alimoniæ inopum proficeret, quod ſacroſanctis pontificibus collatum eſt. Hanc ergo legem fonte juſtitiæ profluentem, cunctis fecimus innoteſcere, quatenus nullus, ſibi ignotum eſſe, quod præceptum eſt, poſſit obtendere. Optamus vos bene valere. Sub die VI. Calend. Mart. Carthag. *Hucuſque Hunerychus apud Victorem.* Hanc ſanctionem, in qua veterum Imperatorum adverſus hæreſes leges eâ planè ratione interpretatur, qua hodierni è Jeſuitica ſchola ſolent interpretes, Hunericus præmiſit. Poſtea expoliari jubet in ſuis hoſpitiis orthodoxos Epiſcopos univerſos, & urbe expelli, quanquam calumniam veriti Epiſcopi juxta mœnia ſub dio jacere maluerunt, quàm urbe excedere. Rurſus Hunericus convocatis Epiſcopis abnegationem ὁμουσίου proponit, annexis graviſſimis pœnis, quibus mulctandi eſſet, quicunque reſiſterent. Adjungit deinde poſtulationem inſidioſam, ut jurarent, ſe poſt Hunerici obitum filium Regem deſiderare, nec ad

 tranſ-

transmarinas regiones unquam epistolas directuras: quod si fecerint & sacramentum eius rei dederint, Ecclesiarum restitutionem promittit. Hæc autem eo fine proponebat, ut si qui jurarent, ideò, quia contra præceptum Domini jurarunt, in exilium agerentur, qui non jurarunt, ideò quia Childericum Regem respuerent, in insulam deportarentur. Erat processus hic insidiarum tricarumque plenissimus. Propositio Regia in æde Memoriæ Episcopis facta, ita se habebat: *Dominus noster Rex Hunnericus licet doleat, quod sitis contemtores, ut adhuc eius voluntati obœdire non tardetis, jubet, ut efficiamini eius religionis, cuius est ipse, nunc de vobis bonum cogitavit, si juraveritis ita, ut, quod ista charta continet, faciatis, dimittet vos Ecclesiis & domibus vestris.* Petit itaque Hunnericus ab Episcopis religionis mutationem & juramentum chartæ inclusum. Ibi profectò in ambiguo relinquebatur, an non Hunnericus juramento Episcopos etiam ad mutationem religionis obstringere voluerit. Et falsissimum erat, eo juramento religionem, Ecclesiam, exilium, mortem, famamque Episcoporum redimi non solum potuisse, verum etiam debuisse. Longè enim alia erant in recessibus consiliorum Hunnerici seposita. Quid igitur Ernestus hesternos hodiernosque Theologos & Politicos aliud judicaturos incusat? An nullius Orthodoxi scriptoris Theologi suffragium pro pace religionis sancienda produci queat; postea dispiciemus.

§. 2.

DE PONTIFICIBUS.

Disceptatio IV.

An Johannes I. Papa paci religionis adversetur?

§. 2. Pontifices in aciem producit. JOHANNES PAPA I. *& Martyr A.C. 526. à Theodorico Rege Italiæ Ariano Constantinopolim ad Iustinum Imp. ire compulsus, cum eo inter alia mandato, ut Imperatorem permoveret ad reddendas Arianis Ecclesias in partibus Orientis, id nisi faceret, se totam Italiam gladio perditurum, impio mandato non solum non paruit, verum etiam suffragante sibi Iustino piissimo Imperatore, quascunque illis in partibus Arianorum Ecclesias reperire potuit, Catholicas consecravit. Ita ipse testatur in epistola ad Episcopos Italiæ, qua, post reditum in carcerem à Theodorico conjectus, eosdem hortatus est, ne periculi aut necessitatis causa tyranno cederent.* Et quanquam, *ait*, prædictus Theodoricus Rex eorum (Arianorum) peste intrinsecus tactus, nos & omnem regionem nostram perdere & gladio ac igne consumere minetur; nolite tamen propterea deficere, sed viriliter in agro dominico elaborare studete. Et juxta veritatis vocem, nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. *Quæ verba in pacis, quam hodie desiderant Protestantes, condemnationem*

paulò

paulò post gloriosus Martyr sanguine suo obsignavit. Vt ruborem inde mutuentur, qui adversus autoritatem & rationem frontem perfricuerunt. Respond. Johannes I. Papa planè contrarium apud Justinum Constantinopoli fecit. Sic ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS *in Vit. Iohannis, pag.* 48. Theodoricus Rex misit in legationem Constantinopolim ad Justinum Imperatorem Orthodoxum Johannem, quia eodem tempore Justinus Imperator vir religiosus summo ardore, amore religionis Christianæ, voluit hæreticos extricare. Nam summo fervore Christianitatis hoc consilio usus est, ut Ecclesias Arianorum Catholicas consecraret, pro hac causa Theodoricus Rex audiens hoc exarsit, & voluit totam Italiam gladio extinguere: Eodem tempore Johannes Papa ægrotus infirmitate cum fletu ambulavit & Senatores & exconsules cum eo, id est, Theodorus, Importunus, Agapitus exconsul, & alius Agapitus Patritius, qui hoc accipientes in mandatis Legationem, ut redderentur Ecclesiæ hæreticis in partibus Orientis, quod si non, omnem Italiam perderet gladio. Qui dum ambulassent cum Johanne Papa, occurrerunt B. Johanni milliario XII. omnis civitas cum cereis & crucibus in honorem B. Apostolorum Petri & Pauli: quia veteres Græcorũ hoc testificabantur, dicentes, à tempore Constantini Augusti & B. Sylvestro Episcopo Sedis Apostolicæ, usque ad Justini A. tempora non meruisse partes Græciarum B. Petri Apostoli successorem suscepisse cum gloria. Tunc Justinus Augustus dans honorem Deo humiliavit se pronus & adoravit beatiss. Papam Johannem. Eodem tempore B. Johannes Papa cum Senatoribus supra scriptis cum grandi fletu rogaverunt Justinum Augustum, ut legatio acceptabilis esset in conspectu ejus. Qui verò Papa Johannes, vel Senatores viri religiosi omnia meruerunt &c. *Hæc Anastasius.* MARIANUS SCOTUS *Monach. Fuldensis in Chron. ad Ann.* 525. *p.* 360. Theodoricus Arianus Imperator Italiæ misit Johannem Papam & cum eo Theodorum & Agapitum Patricium ad Justinum Imp. interminans, nisi dimitterentur hæretici in pace sinere, ipse etiam omnes Italiæ populos gladio occideret. Johannes verò Papa Constantinopolim veniens, ad portam, quæ vocatur aurea, populorum turbis ei occurrentibus in conspectu omnium roganti cœco lumen reddidit. Justinus autem Imperator fletibus legatorum, pro certo imminente cæde Catholicorũ populorum, motus dimittere cessit. *Hæc ille.* OTTHO FRISINGENSIS *Episcopus lib.* 5. *cap.* 3. *pag.* 54. Justinus Augustus zelo fidei hæreticos persequebatur. Ad quem Theodoricus Arianus Johannem Papam misit, denuncians, ut ab Arianorum persecutione cessaret, aut se Christianos afflicturum. Quod dum princeps miseratus ad Sacerdotis preces annueret, ac ipsum cum honore susceptum honorificè dimitteret, reversum ad se Theodoricus in vinculis posuit, fameque afflictum sacrilegè extinxit. Conferatur CONRADUS à LIECHTENAVV *Vrspergensis Abbas ad An. Dom.* 519. *pag.* 96. *qui & pag.* 88. *ita ait*: Mortuo Anastasio & ipso hæretico, Justinus imperium adeptus est, qui dum esset Orthodoxus, cernens in partibus Orientis illo adhuc tempore Arianam hæresin per singula loca vigere, pro ardore Catholicæ fidei decertabat hæreticos dissipare, sex-

Missus Iohannes I. impetrat pacem religionis.

étoque imperij sui anno præcepit, ut ubique hæreticorum Ecclesias Catholici consecrarent Episcopi. Hoc audiens Theodoricus, Ariana lue pollutus, Johannem Papam, simulque cum eo Theodorum atque Agapitum, Consulares Viros, aliumque Agapitum Patritium, Constantinopolim ad Justinum Imperatorem direxit, mandans illi minando, quia nisi hæreticis Ecclesias suas quantocius redderet, eosq; in pace degere sineret, universos Italiæ populos ipse gladio extingueret. Qui pervenientes ad Augustum, cum ab eo dignè, ut competebat, suscepti essent, magnis cum fletibus postulabant, ut suæ legationis seriem, quamvis esset injusta, libenter exciperet & Italiæ perituræ consuleret. Quorum fletibus Justinus premotus, eis quod petebant, concessit, Arianosque suæ potestati dimisit. MARTINUS POLONUS *Chron. ad Iust. Imp. p. 99.* Justinus Imperator Christianissimus statuit, ut ubicunque Ecclesiæ hæreticorum essent, Catholica religione consecrarentur. Quod autem in Italia Rex Theodoricus Gothus Ariana hæresi pollutus audisset, Johannem Papam & alios Viros Consulares in Constantinopolim dirigens, comminatus est, quod nisi Arianis Ecclesias restitueret, omnes per Italiam Christianos gladio perimeret. Qui à Justino honorificè recepti. Is autem ad preces Papæ & nunciorum, compatiens neci Christianorum, de Ecclesiis Christianorum supersedit. D. GOBELINUS PERSONA *Decanus Bilefeldensis ... o ficialis Paderbornensis in Cosmodromio ætate 6. cap. 26. p. 170.* Justinus anno imperij suo sexto mandavit omnes Ecclesias Arianorum Catholica religione consecrari: quod audiens Theodoricus Rex Gothorum, qui existens Arianus tenuit Italiam, misit Johannem Papam, & cum eo Theodoricum, Hypatium, & Agapitum Viros Consulares & alium Agapitum Patritium Constantinopolitanum ad Justinum Imp. dicens, quod si Ecclesiæ ita deberent consecrari, ipse totam Italiam vellet devastare. Johannes igitur Papa veniens Constantinopolim ab Imperatore benignè susceptus est, &, ut decuit, cum reverentia magna. Et Imperator magno gaudio repletus, quod temporibus suis meruit Vicarium B. Petri suscipere, ab ipso Johanne Papa coronatus est. Cum Papa legationis suæ causam Imperatori notificavit, Imperator consentire renuit, sed utique Ecclesias omnes ab Arianis fœdatas juxta prius edictum voluit consecrari. Tandem tamen Imperator, timens totius Romanæ Ecclesiæ & Italiæ desolationem, quamvis invitus, consensit. FLORENTIUS BAVONIUS *Wigorniensis Monachus ad An. 523. pag. 547.* Theodoricus Arianus Imperator Italiæ Johannem Papam & Theodorum & Agapitum Consulares Viros & Agapitum Patritium ad Justinum Imperatorem Constantinopolim misit, interminans, nisi dimitterentur hæretici in pace degere, ipse etiam omnes Catholicos Italiæ occideret. Johannes verò Papa Constantinopolim veniens, ad portam, quæ vocatur aurea, populorum turbis ei occurrentibus, in conspectu omnium, roganti cœco lumen reddidit. Justinus autem Imperator fletibus legatorum, pro certo imminente cæde Catholicorum populorum, motus hæreticos dimittere cessit. PLATINA *in Iohanne I.* Justinus Augustus Orthodoxæ fidei diligentissimus observator, ut tandem hæreticorum

nomen

nomen extingueretur, Arianos expulit, eorumque Ecclesias Catholicis assignavit. Quam quidem rem Theodoricus ægrè ferens, Johannem Pontificem, Theodorum, duosque Agapitos Oratores ad Justinum mittit, qui eum adhortarentur, ut Arianos restitueret, sin secus animatus esset, sciret, se omnes Ecclesias Italiæ Catholicas præsertim demoliturum. Magnificè & perbenignè quidem primò legati excepti sunt: qui ubi rationem legationis exposuere, cum flectere Justinum non possent, ad lacrymas versi ac suppliciter petentes, ut perituræ Italiæ unà cum Catholicis omnibus subveniret, eò tandem pium hominem perpulere, ut Arianos restitueret, atque eos vivere suis legibus & institutis sineret. WERNERUS ROLVINK *de Iustino ita loquitur, ut haud dubiè hanc historiam tangat.* Iste Justinus, *inquit*, totus Catholicus fuit & omnia, quæ Anastasius contra Ecclesiam fecit, retractavit. Summum Pontificem devotè requisivit, sc. venerabilem Papam Hormisdam, & se libenter ei obedire velle intimavit, quod & factum est: quod cum Germanus Episcopus Capuanus ad eum venisset ex parte Papæ, ut Episcopos de exilio revocaret, statim fecit cum magna lætitia eum suscipiendo. Ipse magis fecisset pro fide, nisi eum tyrannis Theodorici impedivisset. JACOBUS PHILIPPUS BERGOMENSIS *lib. 9. Ann. Chr. 519.* Justinus senior Orthodoxæ fidei amator & protector acerrimus fuit, &, ut diligentissimum fidei observatorem se profiteretur, hæreticorum nomen pro viribus extinxit, & quam maximè Arianos omnes ex Constantinopolitana urbe expulit, atque eorum Ecclesias Catholicis assignavit. Quod quidem Theodoricus Rex, ea labe infectus, ægrè ferens, Johannem Pontificem R. cum multis nobilibus Romanis ire Constantinopolim jussit, mandans eis, ut Justino suaderent Arianos restituere, alioquin ipse omni regno suo Episcopis Catholicis vices redderet. Justinus autẽ Johannem Papam magno cum honore excepit, & ne Christiani Catholici trucidarentur, postulata concessit. MARCUS ANTONIUS COCCIUS *Sabellicus Ennead. 8. l. 3. pag.* 458. Justinus omnem Arianæ pestis labem sustulit, omnibus eius sectæ Antistitibus toto Orientis imperio ejectis. Tulit id factum permolestè Theodoricus, utpote Ostrogothus, quæ gens centesimo & amplius anno sub Valente principe atque eius opera venenum hausit Ariani furoris, antistitibus ad hoc datis, ut error in plures propagaretur. Cæterum non tam insectatio hæc gravis fuit Theodorico, ut creditur, quam optima popularisque Justini administratio suspecta, ob eamque rem Symmachus & Boëthius in suspicionem venere, quasi Justini partibus studerent. *Et post:* Irritatus Regis animus his suspicionibus, aut potius sua sponte concitus sævire non destitit, quin legationis prætextu Johannem Pontificem & ex Senatorio ordine quosdam longè principes, adjuncto his Ravennate Antistite, ut res minus suspecta esset, procul Italia ablegaret. Hi ad Justinum ire jussi & cum eo agere, ut Arianos restitueret, addiditque imperio minas, fore dictitans, ut nisi ritè mandata facesserent, brevi audirent Romam & omnem Italiam cædibus & incendio teneri, omnemque Arianorum injuriam, nisi restituerentur, hominibus Orthodoxæ fidei in Italia à se repræsentatam. Excepit

cepit Justinus Pontificem venientem multa veneratione, demissusque ad eius pedes adoravit. Incidit inde difficilis consultatio, num Ariani restituendi essent, estque Pontificis & Legatorum lacrymis, qui constanter affirmabant, fore, ut si ea res Theodorico negata esset, Roma & omnis Italia excidio deleretur, eò decursum, ut de Arianis *divinæ providentiæ permitteretur*, uti per se aliquando veritatem respicerent, aut oportuniore tempore omnibus terris ea pestis expungeretur. Ne Roma igitur & omne Italum nomen ex ea re maiorem cladem adiret, datum est Pontifici & Legatis, ut Ariani restituerentur, suisque institutis viverent. Dimissurus inde Pontificem, voluit ab eo Justinus coronari, tanquam res ipsa magis ratum factura esset imperium, aut certè augustius. Impensissimi honores in Johannem Pontificem & Romanos à Justino congesti, adeò barbaro Regi, jam ante malè cogitanti, suspecti fuerunt, ut eos ex Graja illa legatione reversos Ravennæ pedore, situ & inedia necaverit &c. Sic E. precibus Johannis Pontificis constanter ab autoribus pax & autonomia Arianis sub Justino Imper. impetrata tribuitur. Atque eo modo utitur hoc exemplo *Lazarus Coquelettus* Senator Parisinus An. 1599. cum promulgationem edicti Nannetensis pro Protestantibus gravi oratione comprobaret, *apud I. A. Thuanum Hist. 122. pag. 8'4. tom. 5.*

NB.

Primus, quod sciam, RAPHAEL VOLATERRANUS *Commentar. Urban. lib. 22. p.* 500. dixit, Johannem missum ad Justinum à Theodorico, ut Arianos restitueret, minimè placita retulisse. Sed hoc etiam ita capere licet, ut in ipsius responsi circumstantiis aliquid Theodorico displicuisse censeamus, aut ex annexis postulato huic petitis aliis aliquid Justinum denegasse. *Gilbertus Genebrardus* Chronolog. p. 457. *ait*, Johannem PP. *quod à Iustino honorificè susceptus esset, vel quod Arianis templa nollet concedere, Theodoricus carceris afflictione peremit.* Non autem loquitur de templis Orientalibus pro quibus restituendis ad Justinum missus fuit. BARONIUS *Cardinalis* clarè inficiatur, Johannem apud Justinum pro templis & autonomia Arianis restituendis, laborasse, aut preces fudisse. Tractat rem *Tom. 7. Annal. ad An. Chr. 525. n. 6. & seqq.* Ut obtineat victoriam, utitur ratione primum *num.* 8. Quonam, *inquit*, pacto egisse potuit ipse Johannes pro restituendis ablatis Ecclesiis Arianis eidemque fuerit idem à Justino Imper. concessum, si jam ex eius sententia negotio bene gesto in Johannem adeò exacerbatus est Theodoricus, ut ipsum redeuntem in carcerem detruserit, ibique eum mori coëgerit. Si enim ex optato Theodorici Regis per Johannis impertitum officium redditæ omnes in oriente fuerunt Ecclesiæ Arianis, par erat, ut redeunti Johanni, tanquam liberatori suarum gentium, ipse Theodoricus occurreret, eidemque publicos honores decerneret, & si non triumpho, occasione saltem, comitatu totius Gothorum exercitus, idem Pontifex inferretur in urbem: cum tamen ob rem ab eo contra Arianos pertractatam, eundem indignans & furens nec dignum judicaverit urbis aspectu, nec vita quidem, quam coëgit Rex violentus amittere. *Sic Baronius.* At hæc ratio non satisfacit conscientiæ, ut tutò contra tot testimonia plurimorum seculorum luctetur. Autores, qui obtentæ apud Justinum

Baronii de missione Iohannis I. disputatio confutatur.

num

num Imperatorem pro Arianis autonomiæ meminerunt, illi causarum odij & exacerbationis contra Johannem à Theodorico conceptæ etiam meminerunt. BEDA *de sex ætatibus Mundi A. M. 4480. ait*: quod fuerit concitatus contra Johannem Theodoricus *invidia ductus*, quia Catholicæ pietatis defensor Justinus eum honorificè suscepisset. Idem habet in Martyrolog. ad 5. Cal. Jul. & retulit etiam Florentius Wigorniensis & alii. PLATINA *ait*: Theodoricum persecutum esse Iohannem, tanquam fide & moribus cum Iustino sentientem. *Philipp. Iacob. Bergomens. l. c.* Iustinus legatos Romanorum quoque multum honoravit, multisque muneribus eos donavit; quod ubi Theodoricus audivit, ægrè tulit & ad se regressos in carcerem misit. Quidam ex supra memoratis ad coronationem, alij ad suspicionem & diffidentiam de Romanis conceptam referunt. Summa; aut in acceptis à Iustino honoribus, aut collatis in Iustinum imperialibus ornamentis Iohanni odium & periculum natum est. MARCELLINUS COMES V. C. *in Chron. ad ann. Chr. 525. ait*: Iohannes Romanæ Ecclesiæ Papa LIII. à Petro Apostolorum Pontificumque præsule CCCCLXXXV. sessionis eius anno, Theodorico Rege pro Arianorum ceremoniis reparandis laborante, solus duntaxat Romanorum sibi decessorum, urbe digressus, Constantinopolim venit, & miro honore resumtus est. Dexter dextro Ecclesiæ insedit solio, diemque Domini nostri resurrectionis plena voce Romanis precibus celebravit. Atque ita ratio Baronij non convincit.

Deinde adhibet testimonium *ex epistola circulari Iohannis Papæ ad omnes Italiæ Episcopos*, in qua sic loquitur: *Ecclesias verò Arianorum ubicumque inveneritis, Catholicas eas divinis precibus & operibus absque ulla mora consecrate: quia & nos, quando fuimus Constantinopoli tam pro religione Catholica, quam pro Theodorici Regis causa & negotiis, suadente & hortante Arianosq; extirpante piissimo atque Christianissimo Iustino Orthodoxo Imperatore, quascunque illis in partibus eorum Ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas Domino opem ferente consecravimus*: Hæc Iohannes. Jam subjungit Baronius: A quo nam hæc certius dici possunt, quàm ab eo ipso qui egit? & quorum scriptorum genere fidelius probari valent, quam publica patenti cunctisq; nota data ab eodem epistola. At, ne quæ vel levis saltem de impostura suspicio in adversariorum mentem surrepere possit, ut vel animo quis eorum fingere valeat, epistolam illam spuriam esse atq; supposititiam, accipe tantæ veritatis testem eiusdem seculi scriptorem, Gregorium Turonensem, eadem ipsa disertis verbis testantem, cum ait lib. quem scripsit *de gloria Martyrum, cap.* 40. nullam aliam ob causam eum detrusum in carcerem, coactumque ibi in ærumnis vita perfungi, quam quod Arianorum Ecclesias in Catholicas consecrasset. Verba *Gregorij* producit Baron. *ad ann. Chr. 526. num. 4. & sunt hæc*: Multi quidem sunt Martyres apud urbem Romam, quorum historiæ passionum nobis integræ non sunt delatæ. De Iohanne tamen Episcopo, quoniam agon ejus ad nos usque non accessit scriptus, quæ à fidelibus comperi, tacere nequivi. Hic cum ad Episcopatum venisset, summo studio hæreticos execrans, Ecclesias eorum in Catholicas

dedicavit: quod cum Theodoricus Rex comperiſſet, furore ſuccenſus, quia eſſet ſectæ Arianæ deditus, juſſit gladiatores per Italiam dirigi, qui univerſum quotquot inveniſſent Catholicum populum jugularent. Hæc audiens B Iohannes ad Regem ne hæc fierent deprecaturus acceſſit, à quo cum dolo ſuſceptus alligavit eum, & poſuit in carcerem dicens, Ego te faciam, ne audeas contra ſectam noſtri amplius muſſitare &c. *hac Bar.* Sed ad teſtimoniũ allegatum jam olim reſponſum eſt, epiſtolam Iohannis Papæ ad omnes Italiæ Epiſcopos ſuppoſititiam eſſe. Eſſe enim unam ex collectione Epiſtolarum Pontificalium, quarum jure meritóque dubia ſit autoritas: *quia* Collector earum non eſt ille Iſidorus Hiſpalenſis, quem diu præ ſe tulerunt, ſed alius cognomento Mercator, dubiarum mercium propola: *quia* earum materia ſæpiſſimè non convenit illi ſeculo, quo vixerunt, qui Epiſtolas ſcripſiſſe dicuntur: *quia* mendax eſt in fine conſulatuum ſubſignatio: *quia* vulgatæ translationis uſus frequentiſſimus arguit compoſitionem illis temporibus non quadrare, quibus nondum extitit: *quia* perpetua ſtili Epiſtolarum ſimilitudo non arguit autores diverſis ſeculis in Eccleſia florentes: *quia* ſpurciſſimi in Epiſtolis ſermonis ſordes, non patiuntur eas à priſcis urbis Epiſcopis ſcriptas eſſe: *quia* centones in Epiſtolis conſpiciuntur ex monumentis illorum autorum, qui ſeculis poſterioribus ſcripſerunt: *quia* antichroniſmi frequentes manum ſupponentem & fallacem detegunt: *quia* nulla in antiquis ſcriptoribus Eccleſiaſticis ex his Epiſtolis, quæ tantis autoribus aſſignantur, apparent allegata: *quia* illarum Epiſtolarum ad annum Chr. 830. uſque nulla apparet in Eccleſiaſtica antiquitate memoria, quod de Epiſtolis Summorum Pontificum genuinis credi non poſſet: *quia* poſtquam in publicum prodierunt illæ Epiſtolæ, illico reperti ſunt, qui illius collectionis ſinceritatem impugnarent. Hincmarus Rhemenſis, Nicolaus Cuſanus Card. Henricus Kalteiſen, Iohannes de Turre cremata, Deſiderius Eraſmus, Iohannes Driedo, Claudius Eſpenceus, Didacus Covarruvias, Georgius Caſſander, Antonius Contius, Ioh. Carolus Bovius Oſtunenſis Epiſcopus, Antonius Auguſtinus Archiep Tarracon. *Card. Bellarminus* pro virili ſubinde quidem Epiſtolarum illarum autoritatem propugnavit, attamen *de Rom. Pont. II, 14.* fatetur, aliquos errores in has epiſtolas irrepſiſſe, nec ſe audere affirmare, indubitatas eſſe. *Card. Baronius* ſubinde illis etiam larvam detrahit. *Ad annum Chr. 102. §. 11. ad an. 865. §. 5. 6. 7. in not. ad Martyrolog. R. ad 4. April. & ad 16. Octob.* Vide iſta ampliſſimè repræſentantem Dav. Blondellum *in proleg. ad epp. Pſeudo Iſidori.* Sigillatim hæc Epiſtola Iohannis ſatis ſe prodit. Contra dicit Concilio Epaunenſi paulò ante Iohannem Papam ſub Gelaſio I. habito. Ita enim illud *can. 33. Baſilicas hæreticorum, quas tanta execratione habemus exoſas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus, ſanctis uſibus applicare deſpicimus, niſi quas per violentiam noſtris abſtulerant, poſſumus revocare.* Hoc in Viennenſi provincia Galliarum celebratum Concilium, proculdubio morem Eccleſiæ repræſentat in vacantibus templis hæreticorum uſurpandis, vel non uſurpandis. Contravenit Iohannes hypobolimæus & jubet Eccleſias Arianorum, ubicunq; invenirentur,

Quid de Epiſtola Iohannis I. Papæ ad omnes Italiæ Epiſcopos habendum.

Ioh.

Catho-

Catholicas divinis precibus & operibus absque ulla mora consecrare, quia & ipse cum fuerat Constantinopoli, quascumque illis in partibus Arianorum Ecclesias reperire potuerit, Catholicas eas conservaverit. Quis ullo documento persuadebit, Pontificem Legatum per Orientis provincias discurrisse & Arianorum speluncas Deo consecrasse? Contradicit & Pontificali, *quod in Tomis Conciliorum* Epistolis Iohannis præmittitur. Sic autem illud habet ex edit. Petri Crabbe, Tom. I. fol. 567. fac. 2. *Iohannes vocatus est à Rege Theodorico Ravennam, quem* ipse Rex rogans *misit in Constantinopolim, cum legatione ad Iustinum Imperatorem Orthodoxum. Eodem quippe tempore Imperator Vir religiosissimus, summo amore religionis Christianæ, voluit hæreticos extricare. Nam summo fervore religionis Christianitatis hoc Consilio usus est, ut Ecclesias Arianorum Catholicas consecraret. Pro hac causa Rex Theodoricus hoc audiens exarsit in iram, & totam Italiam voluit gladio extinguere. Eodem tempore Iohannes PP. ægrotus egressus cum fletu ambulavit, pergens ad urbem Constantinopolim, & Senatores cum eo, s. Importunus, Theodorus & Agapitus exconsules, & alius Agapitus Patritius, accipientes hoc in mandatis legationum ab ipso Rege, ut redderentur Ecclesiæ hæreticis in partibus Orientis. Quod si non, omnem Italiam gladio perderet. Qui cum ambulassent cum Iohanne PP. occurrerunt Iohanni PP. à milliari XII. omnis civitas cum cereis & crucibus in honorem BB. App. Petri & Pauli, quia Veteres Græcorum hoc testificabantur dicentes, à tempore Constantini & à B. Sylvestro Sedis Apostolicæ Episcopo usque ad Iustini tempora non meruisse partes Græciarum, Vicarium B. Petri Apostoli suscepisse cum gaudio & gloria. Tunc Iustinus Augustus dans honorem Deo humiliavit se pronus in terram & adoravit beatiss. Iohannem PP. Eodem tempore B. Iohannes Papa cum Senatoribus suprascriptis cum grandi fletu rogaverunt Iustinum Augustum, ut legatio acceptabilis esset in conspectu eius. Qui Iohannes PP. & Senatores, Viri religiosi, omnia meruerunt & liberata est Italia à Theodorico Rege hæretico.* Hæc ex Pontificali præmisso decretis Iohannis Papæ, & inprimis allegatæ epistolæ planè contradicunt. Contradicit autem Epistola illa & fastis Consularibus. Data dicitur 3. Id. Iunij, Maximo & Olybrio Viris clarissimis Coss. Atqui Imperante Iustino nunquam simul Consules fuerunt Maximus & Olybrius. Nam, ut Ioh. Cuspinianus *in Comment. ad COSS. Aurelij Caßiodori ex Marcellino Com. pag. 569.* memorat, primo Iustini Imp. anno Consules fuerunt Rusticius & Vitalius, secundo Valerius & Iustinianus IIX. tertio, Symmachus & Boëthius IV. quarto, Maximus II. solus. quinto, Opilio & Iustinus Aug. IV. sexto, Probus & Filoxenus IV. septimo, Olybrius V. C. octavo, Maturtinus V. C. Contradicit subsidiario testi *Gregorio Turonico.* Epistola Pontificalis præcipit Ecclesiarum Arianarum consecrationem in Catholicas expedita jam legatione Constantinopolitanâ. Gregorius Turonicus meminit, Johannem, cum ad Episcopatum venisset, Ecclesias hæreticorum in Catholicas dedicasse. Iohanni adscripta Epistola insinuat, eum propter consecratas in Oriente Ecclesias in odium Theodorici Regis incurrisse. Gregorius Turonicus refert causam odij ad consecrationem Ecclesiarum in Italia. Epistola indicat, Iohannem in carcerem conjectum post reditum ex Oriente; quorsum

rum, cùm nemo historicorũ eius reformationis meminerit, omnes aliâ ratione casuum & adversitatũ Johannis seriem repræsentent. Cùm insuper disertè Gregorius testetur, se non ex actis publicis & indubitatis, sed *ex relatione fidelium*, quæ scribit, scribere. At enimverò res ante septuaginta circiter annos gesta, nullis monumentis custodita, non satis certâ relatione eorum demum consignatur, qui vix autoptæ esse poterant, ab eo, qui in alio regno vivit. Sic autem hæc se habent. Septuaginta, & quod excurrit, annis ante Gregorium Turonicum vixit Johannes Papa. Nec venerunt ad Gregorium acta quædam eius in literas relata. Vixit autem Turonicus in Gallia. Quomodo igitur vera firmaque eius habebitur relatio? Imprudenter igitur Baronius Cardinalis nubi testium opponit tum supposititiam epistolam, tum dubium Turonicum. Nec causam habebant, cur hic sequerentur Baronium, H. Spondanus *in epit. A. 525. n. 2.* & Jacob. Gordonius Lesmoreus *in Chronol. Tom. 2. q. 193.* atque alii.

Disceptatio V.

An Paulus III. Papa paci religionis efficaciter adversetur?

PAULUS III. secundo inter Pontifices loco producitur. Resp. *In genere primò* ad Pontificum autoritatem, eam non in omni casu esse privilegio infallibilitatis circumvallatam. Ita Bellarminus Cardinalis *de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 5.* Non solùm, *inquit*, in decretis fidei errare non potest summus Pontifex, sed neque in præceptis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, & quæ in rebus necessariis ad salutem, vel in iis, quæ per se bona vel mala sunt, versantur. Dicimus primò non posse errare Pontificem in iis præceptis, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, quia, ut supra diximus, in præceptis & judiciis particularibus non est absurdum Pontificem errare. Addimus secundò, quæ in rebus necessariis ad salutem, vel per se bonis aut malis versantur: quia non est erroneum, dicere, Pontificem in aliis legibus posse errare, nimirum superfluam legem condendo, vel minus discretam. Ac ut rem totam exemplis declaremus, non potest fieri, ut Pontifex erret, præcipiendo aliquod vitium, ut usuram, vel prohibendo virtutem, ut restitutionem, quia hæc sunt per se bona vel mala, nec potest fieri, ut erret præcipiendo aliquid contra salutem, ut circumcisionem vel Sabbathum, vel prohibendo aliquid necessarium ad salutem, ut baptismum aut eucharistiam. Ut autem jubeat aliquid, quod non est bonum, aut malum ex se, neque contra salutem, sed tamen est inutile, vel sub pœna nimis gravi illud præcipiat, non est absurdum dicere posse fieri &c. *Hæc ille.* In eandem sententiam scribit Adam. Tannerus *Tom. 3. Theolog. schol. disput. 1. quæst. 4. num. 240. colum. 267.* Pontifex etiam ut Pontifex errare potest in particularibus quæstionibus facti dijudicandis: verbi gratia, an hic vel ille Episcopus sit huius & illius criminis reus, & ideò

Pontificũ autoritas respectu pacis religionis quanta?

 depo-

Quoad POSTERIUS, ut sciatur, quando Pontifices ut Pontifices responderint, multum sudant Pontificii. Tannerus arcana detegit *l. c. pag. 274. n. 260. & seqq.* Neque verò, *inquit*, deest sufficiens ratio investigandi, Pontificem publicâ autoritate aliquid à tota Ecclesia observandum aut credendum definire. Hæc assertio eò spectat, ut satisfiat interrogationi, unde constet, Pontificem publicâ autoritate &, ut loquuntur, ex cathedra aliquid definire. Declaratur enim sequentibus regulis. I. Si Pontifex aut circa particularem facti quæstionem tantum, seu, quod idem est, circa materiam negotii alicuius particularis determinandam versetur, ut sæpe fit, aut si quidem circa materiam fidei, sed per modum privati Commentatoris & scriptoris versetur, tunc non definit aliquid, ut Pontifex, à tota Ecclesia observandum. II. Rursum si in materia fidei aliquod decretum edat, ut Pastor Ecclesiæ, diligenter ex circumstantiis, occasione scilicet scribendi, quæstione propositâ, verbis decreti &c. dilucidandum erit, quidnam directè docere seu determinare intendat Pontifex. Illa enim, quæ in eius rei duntaxat probationem & confirmationem, aut aliàs obiter solùm & incidenter dicuntur, non cadunt sub eiusmodi definitionem, nec Papa ad ea credenda censetur velle obligare Ecclesiam. Quare etiam per se non habent infallibilem autoritatem, quin subinde aliquid falsi in illis reperiri possit; cuius rei exemplum communiter afferri solet ex cap. A quodam Judæo. de consecratione. III. In ipsa verò directa responsione circa materiam fidei, ponderanda sunt verba. Nam si apertè dicat, id esse dogma fidei, aut contrarium repugnare Scripturæ seu Apostolicæ traditioni, vel esse hæreticum seu in fide erroneum, aut alioqui utatur verbis præceptivis, quibus ab universa Ecclesia ita servandum esse mandet, aut præcipuè si anathemate aliter sentientes sive credentes feriat, manifestum signum est, Pontificem idipsum definire; secus, si tantum prohibeat contrarium doceri, etiam sub excommunicatione; id enim universim non sufficit ad exploratam definitionem fidei. Et eadem ratio est, quotiescunq; ex verbis & circumstantiis colligi potest, eum tantum privatum ferre judicium, aut proponere aliquid solum ut doctrinam probabiliorem. In qua re dijudicanda multum valet tum virorum sapientum judicium, tum Ecclesiæ sensus & consensus. IV. Deniq; circa ipsum formale decretum definitionis, diligenter animadvertendum est, an id legitimè & sufficienter fuerit promulgatum, & an tempus eiusdem obligationi præfixum fuerit elapsum, priusquam id refigeretur seu retractaretur. Etenim, ut notat Vasquez in lib. 2. Tom. 2. disp. 155. num. 15. id observant summi Pontifices in Curia Romana, ut nondum intelligantur loqui de sede Petri, tanquam judices & Pontifices, in legibus & Canonibus ferendis, etiamsi eos imprimi faciant, donec ad valvas basilicæ Principis Apostolorum de urbe Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ solenniter publicentur, & exemplar unum in columna illius campi, & aliud ad valvas Petri per aliquantulum temporis affigatur. Et addit Vasquez: accidere etiam interdum, ut in legibus & bullis impressis dicatur, publicatæ tali die, & tamen nunquam solenniter fuerint promulgatæ,

quare

quare nec tum vim legis habebunt. Ita Vasquez. *Hæc Tannerus.* Age igitur, si tanta est ponderanda difficultas in responsis Pontificis Romani, quid de illis arbitrabimur? quid indignabimur, si Carolus V. Imperator & alii successores non semper attenderint *brevia* Apostolica & legatorum suggesta? Cogitare poterant, esse circa particularem facti quæstionem tantùm, circa materiam negotii alicuius particularis determinandam occupata, Pontificem suam privatam sequi opinionem. Igitur non definire ut Pontificem, qui religioso affectu sit observandus. Si enim in responsis ad salutem pertinentibus tot circũstantiis res peragitur observandis, & attendendum ad scribendi occasionem, quæstionem propositam, verba decreti &c. si ponderanda verba, num apertè dicat, esse dogma fidei, aut contrarium repugnare scripturæ, seu Apostolicæ traditioni, vel esse hæreticum, seu in fide erroneum, aut alioqui utatur verbis præceptivis, & anathema etiam adjiciat, itemque an ad valvas basilicæ Principis Apostolorum de urbe Cancellariæ Apostolicæ & in acie campi Floræ solenniter publicaverit, & exemplar unum in columna illius Campi & aliud ad valvas Petri per aliquantulum temporis affixerit, quid non sollicitudinis adhibendum erit in aliis determinationibus Papalibus, quarum expeditio cum tanto animarum periculo conjuncta non est, quantum post se trahit ambagiosa & verticosa rerum ad salutem pertinentium definitio.

Pontifices interdum antecessorum suorũ judicia refigunt.

Sed & illud Tertiò non prætermittendum, Pontifices Pontificum antecessorum suorum solitos esse nonnunquam refigere & abolere judicia, unde rursus, urgentibus cumprimis rebus arduis & impendentibus periculis publicis istiusmodi interlocutiones Pontificum summorum in rebus salutem publicam concernentibus tantopere non remorantur. Sanè Martinus Papa *cap. qui semel. dist.* 50. statuit eum, qui semel post suam ordinationem in lapsum inciderit, deinceps non posse ullum gradum sacerdotii adipisci. Repugnat Siricius *cap. Quia. distinct.* 82. qui decrevit, eos, qui propter peccata jubentur deponi, post condignam pœnitentiam in suo ordine posse reparari. Nicolaus I. docet *cap. a quodam. distinct.* 4. *de consecrat.* baptismum in nomine Christi sine expressa mentione trium personarum prolatum esse ratum. Zacharias *cap. in Synodo. de consecrat. distinct. ead.* docuit; Verum baptisma esse non posse, si vel una persona de Trinitate non nominetur. Sabinianus Gregorii I. Antecessoris sui libros combussit. Formosus à Stephano Papa refutatus est. Stephani decreta & acta abrogavit Romanus I. Romani acta abrogavit Johannes. Julius, Innocentius & Cœlestinus Romani Pontifices decreverunt, ut viri ab uxoribus separentur, qui vel nescientes proprios filios ex lavacro baptismi suscepissent. *cap. pervenit* 30. *quæst.* 1. At hoc est contrarium illis Pontificum responsis, in quibus inter causas divortii hæc non continetur. Alexander III. *cap. Licet. De sponsa duorum, lib.* 4. *decretal. t.* 4. *c.* 3. quamvis aliter à prædecessoribus suis sit aliquando judicatum, respondet, si inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat, de præsenti, ita quidem, quod unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expressè reci-

recipiat, sive sit juramentum interpositum, sive non, non licere mulieri alii nubere, & si nupserit, etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debere, & ut ad primum redeat, ecclesiasticâ districtione compelli. Plura supersedemus addere. Inprimis illud, quod Patrum nostrorum memoria contigit, quo Sixtus V. & Clemens IIX. circa editionem Bibliorum Latinorum collidebantur, non exequimur nunc. Extat *Bellum Papale Thomæ Iamesii Bibliothecarii Oxoniensis in Anglia* ea in causa explicatum Londini. Sanè Paulus III. Johannis I. sensum antiquitate commendabilem non habuit, ut ex dictis manifestum est.

Quartò observamus, Pontifices ipsos, in eiusmodi causis errorem, aut sub & obreptionem accidere posse, non diffiteri. Innocentius III. *cap. Licet ad regimen.5. de Crimine falsi. Decretal.V,20.* Licet, *inquit*, ad regimen Apostolicæ sedis, quæ, dante Domino, omnium Ecclesiarum mater & magistra, insufficientes nos vita & scientia reputemus, quantum tamen Dominus inspiraverit & suâ miseratione concesserit, ab his proposuimus abstinere, per quæ nobis possit derogari, quanquam infirmitatis humanæ defectu non sic formam perfectionis semper & in omnibus imitari possumus, quin aliquid & aliquando in nostris surrepat operibus, quod minus circumspectæ prudentiæ valeat imputari, quod tamen non ex industria vel conscientia certa, sed interdum ex ignorantia vel nimiâ occupatione contingit. Repetit idem *c. si aliquando 41. de sent. excommunic. Decretal. V, 39.* Si aliquando fortè contigerit, ut illis, qui autoritate Apostolica sunt excommunicationi subjecti, nostræ literæ cum salutationis alloquio destinentur, non propter hoc excommunicationis sententia credatur relaxata, cùm per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam subreptionem contingat eiusmodi literas impetrari. Huc pertinet Johannis XXII. responsum, quo constitutionem Clementis Antecessoris sui *tit.9. de Torneament. cap. un. revocat.* Quia, *inquit*, in futurorum eventibus sic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod conjectura probabili ex nunc interdum attenta consideratio utile pollicetur, damnosum quandoque contingat, nonnunquam quod consultè statuitur, ex sanioris inspectione judicii consultiùs revocatur; sanè felicis recordationis Clemens Papa &c. *Et postea*: Nos ad dilecti nobis filii nostri Philippi, claræ memoriæ, Franciæ & Navarræ Regis, & aliorum de domo regia, nec non quamplurium Magnatum & Nobilium, tam in regno Franciæ, quàm aliunde considerantium præmissa discrimina repetitæ supplicationis instantiam, sententias excommunicationis & interdicti privatas præmissorum supplicationibus inclinati & dictis considerationibus antedictis & ex causis etiam rationalbilibus aliis in favorem sæpe fati negotii, de fratrum nostrorū consilio revocamus, eos qui propter exercitium torneamentorum seu hastiludiorum ipsorum huiusmodi sententias incurrerunt, absolventes ab illis, & cum eis, qui sic ligati, vel in locis propterea interdicti divina celebrarunt officia, super irregularitate inde contracta autoritate Apostolica dispensantes. *Hæc ille.* Si igitur fieri potest, ut Pontifices Romani in negotiis orbis Christiani digerendis, infirmitatis humanæ defectu, non sic

In causis ad Pontificem delatis sub- & obreptionem locū habere posse.

formam perfectionis semper & in omnibus imitentur, quin aliquid & aliquando in ipsorum surrepat operibus, quod minus circumspectæ providentiæ valet imputari, quod neque ex industria, neque ex certa conscientia, sed ex ignorantia vel nimiâ occupatione contingit, uti Innocentius III. clarè confitetur, quomodo dubitabimus, fieri etiamnum posse, ut ex aula Romana brevia, bullæ, rescripta, decretales, responsa non rarò emanent, in quibus eiusmodi defectus annotari possunt? Quibus quæso argumentis confirmabimus, in rebus Germanicis dijudicandis & determinandis Romanis Pontificibus contigisse nunquam, quod Johannes XXII. fieri confitetur, ut in futurorum eventibus sic fallatur incertitudo judicii, ut quod conjectura probabili Pauli III. IV. V. Pii IV. V. Urbanus IIX. & alii ex tunc attenta consideratione utile pollicebantur, damnosum futurum fuisset, si dictamini illorum mos gestus fuisset, adeóque melius fecerint Imperatores & Ordines Imperii Romani, qui proximi periculo & necessitatibus aderant inspectores, quod consultè suggesta Romanorum Pontificum ex sanioris inspectione judicii revocârint.

Paulus III. de jure cō stituendo disputare videtur.

Sigillatim quod ad PAULUM III. attinet, discussum est illud *ad rat. 4. respons. §. et. not. 1. rat. 4. p.* 44. Id nunc considerandū cordatis lectoribus relinquimus, an non in literis istis ad Carolum V. Imperatorem Paulus III. magis de jure constituendi quam de constitutione ipsa disputet? Arguit hoc illa maxima, quam in frontispicium epistolæ collocat Pontifex. *Quoties de religione disceptatur, judicium omne referri debet ad Ecclesiam Romanam.* Huc collimant rationes epistolæ, quæ sunt istæ: *quia*, qui summi Sacerdotis sibi munia sumserunt, iram Dei & vindictam senserunt sæpissimè: *quia* si Imperator de religione disponat, adversariorum negligentiam Sacerdotum taxantium calumnia augetur: *quia* Imperator hâc ratione patrifamiliâs in domo Dei præjudicat, & ordinem administrationis perturbat: *quia*, quotquot ex Imperatoribus & Regibus passi sunt nutu summi Pontificis sese gubernare, felices & florentes fuerunt. Hæc & alia momenta, potissimam Pontificis curam fuisse circa conservandam potestatem, satis indicant. Ostensum autem est, eiusmodi potestatem esse adhuc inter disputata & indefinita: & Imperatores non semel illi prætensioni contradixisse. Sed & illud non dissimulandum esse existimamus, Pontificem non satis æquum Caroli V. actionibus fuisse. *Paulus Iovius* id clarissimè profitetur. Ita scribit

Paulus III. Carolo V. infensus.

lib. 39. histor. pag. 425. Hæc autem à Cæsare tanto silentio tegebantur, ut ne Farnesio quidem legato communicanda judicaret: quod herclè ingenuo pioque Principe indignum non insulsis videri poterat: quando ille in tanta conventus opportunitate ab avo Pontifice gratulatum missus, vel infesta hyeme & nivosis alpibus in Galliam pervolasset. Sacras enim opes conciliandæ paci cunctasque item Pontificii imperii facultates obtulerat, si fœdus pacemque percuterent, atque aliter de religione componenda & indicendo sacro bello digna ipsis consilia flagranter expedirent. Sed legatus avito ingenio juvenis cuncta vel ex colloquiis illustrium fœminarum plenè didicerat, ita ut in Granvelium totius arcani

Cæsaris

Cæſaris conſcium, cuncta illiberali ſilentio ſupprimentem, enudando quæ ipſe reſciſſet, ut pudorem intempeſtivæ taciturnitatis exprimeret, falſa comitate jocaretur. Cæterùm id quoque legati animum valdè pupugerat, quod ſe inconſulto ad Haganoam legatorum Germaniæ conventus eſſet indictus. Quid enim vel ad dignitatem religionis, vel ad Germaniæ ſalutem, vel ad Chriſtiani orbis præſidium auſpicatò conſuli perficique poſſet ſine autoritate ſacroſancti Pontificis, qui earum rerum ſummus arbiter & diſceptator eſſe deberet, poſtquam eximiâ pietate illuſtrique ſtudio inſignem jam impendiſſet operam, ut diſſidentes componeret, neque unquam in tantis navigationum & itinerum incommodis grandævus ſenex ætati aut vitæ peperciſſet, profectò malis artibus de pace agi, quando ruente republicâ, ad confirmandas tantùm & augendas privatas opes omnium ſtudia verterentur. Idem apertius *libr. 49. pag. 555.* cùm ait: Johannes Vega Hiſpanus apud Paulum Pontificem Cæſarianæ legationis munere fungebatur, vir efficax & ſeverè gravis, & quod Reipublicæ intererat, partium maximè ſtudioſus. Diſceſſerat demum à Pontifice alienato planè animo, quod illum à Gallica amicitia non abhorrere, Cæſaris incommodo atque periculo lætari, eumque gravibus diverſi belli difficultatibus implicari premique percupere crederet. *Et poſt pag. 603.* Paulus Pontifex Cæſarem aliquanto iniquius, quàm Chriſtiana pietas flagitaret, & pontificia maieſtas requirere videretur, Anglo adhæſiſſe in contumeliam ſuam, aſſiduè prædicabat &c. *Hæc Iovius.* Bzovius *ad annum Chriſti 1544. num. 7.* poſt reprehenſionem Pauli III. ad Carolum V. Non ſurda, *inquit*, aure Cæſar Pontificis monita audivit, ſed pace cum Rege Galliæ inita Creſpini, inter alias conditiones addi voluit, ut uterque pro virili Catholicam religionem propugnaret, Pontificem ad cogendum Concilium interpellaret, Rex verò Galliæ legatione in Germaniam ad Ordinum conventum miſſâ, Proteſtantes ad aſſentiendum Concilio hortaretur. *Sic Bzovius.* Equidem harum conditionum pacis articulis inſertarum non meminit *Arnoldus Ferronus.* qui tamen in Franciſco Valeſio copioſè eas exequitur *pag. 170. 171. 172. 173.* Neque Martinus Bellaius, *in Mem. pag. 1120.* Sed quicquid ſit de his, Cæſar profectò nullo modo Pontificiæ reprehenſioni ceſſit in ſancienda cum Franciſco Gallorum Rege pace. Nam novâ expeditione lectiſſimum exercitum in intimam Galliam deduxit ille prius, & ad Lutetiarum uſque conſpectum progreſſus fuit. Poſtea Cæſar certo quodam conſilio pacis ſpem Gallo facit, quam ille non aſpernatus eſt, atque ita demum pax conſtituitur. Itaque Carolus V. iſtam ex ſimultate Pauli III. natam reprehenſionem inter oracula cœleſtia fortaſſis non numeravit. Præſertim ſi, quod refert Jac. Aug. THUANUS *lib. VI. hiſt. pag. 197.* de eo etiam Carolo Imperatori innotuit, *ei propiorem ſuorum, quàm Reipublicæ curam eſſe.* Judex autem debet carere paſſionibus animi, odio ſcilicet & amore, *Clem. 1. §. 1. in gloſſ.* & ibi Cardinal. *de hæret. 3. q. cauſ. 11. c. quatuor. & c. Iulianus.* aliàs recuſari poteſt. Innocent. *c. accedens, ut lite non conteſtat.* Baldus *in Mar. in v. Iudex. v. 90.*

Disceptatio VI.

An Pauli IV. responsum aliquod paci religionis adversetur?

PAULI IV. Bullam, qua Ernestus ait, eum paci religionis contradixisse, non producit. Neque aliquid reperitur vel in Compendio *Constit. Pontif. I. Castellani* Venetiis Anno 1605 edito, ubi bullarum 51. summam habemus, neque in Compendio *Flavii Cherubini* Romani JCti Anno 1613. publicato, neq; in ipso Bullario *Laërtii Cherubini.* Quæ itaque Stanislaus Hosius, & Antonius Possevinus de Ferdinando I. sive referunt, sive judicant, conscientiam Christianam non movent. Neque eos moverunt, quibus illi talia magna contentione insusurrârunt. Aliter de Ferdinando Imp. retulimus supra rat. III. in dict. ad 5. pag. 39. & s.

Disceptatio VII.

An Pii V. protestatio sit ad destruendam pacem religionis efficax?

PII V. protestatio per *Cardinalem Johannem Franciscum Commendonum* Augustæ Anno 1566. coram notario & testibus contra recessum de pace religionis interposita, si vera est, æstus fuit, non perpetuum judicium, neque decretum vim legis habens. Mentionem injicit eius rei Jacob. Aug. Thuanus *histor. XXXIX. pag. 372.* Comitiis, *inquit*, interfuit Johannes Franciscus Commendonus Cardinalis Pii V. Pontificis nomine, cùm ex Polonia rediret, acceptis ab eo Augustæ mandatis, nec non Marcus Siticus Altemsius itidem Cardinalis, sed tanquam Episcopus Constantiensis & Imperii Princeps, cùm Pontifex novus ex Oratoris, quem in aula Cæsarea habebat, & aliorũ literis didicisset, in Augustanis comitiis inter alia capita, quæ proponi debebant, de ratione componendorum religionis dissidiorũ actum iri, id ad suam adeóque Romanæ sedis omnium aliarum matris autoritatem pertinere ratus, Commendono enixè injungit, ut si religionis negotiũ in comitia deduceretur, ipse suo nomine publicè protestaretur, & Pontificem in cunctos, qui aderant, tam seculares, quos vocant, quàm Ecclesiasticos Principes divinæ censuræ gladium districturũ interminaretur, & contra Cæsarem imperio, quem & Imperio ac regnis, ac ditionibus, successionibus & juribus, quæ in Hispaniæ regnis ei competebant, privaturus esset. Bene autem evenit, quod viro moderationis & summæ prudentiæ negotium commissum esset, qui veritus, ne eâ protestatione animi magis exasperarentur, quàm idoneum remedium malo quod timebatur, pro tempore adhiberetur, aliam rationem delibe[illegible] impediendæ sibi ineundam existimavit, reque cum Cæsare communicata & [illegible] ab eo facta negotii in aliud tempus rejiciendi, ad Pontificem scripsit, & protestatione

tione ea nihil opus fuisse monuit. verum homo imperiosus & qui nullas rationes voluntati suæ contrarias admitteret, alteris mandatis enixè magis quam prius injunxit, ut si mentio ulla de religionis negotio in Comitiis fieret, publicè protestaretur & Cæsarem atque alios Principes Pontificis nomine à communione Christiana excluderet. Sed neque secundis mandatis minister hero prudentior paruit, & commodum accidit, ut cum secunda mandata venerunt, jam illud caput in aliud tempus rejectum esset. Non cessabat tamen Pontifex Cæsarem per Commendonum imperiosè monere, ne quid tale in deliberationem in Comitiis deduci in posterum pateretur; in eo perniciosè peccasse Carolum V. qui, dum se negotiis sacris immiscet, Confessionem August. à Phil. Melanchthone conscriptam in Comitiis proponi passus esset, & alio postea remedio autoritate Cæsarea intempestivè usus, dum ita religioni consultum putat, religionem in discrimen revocaverit. id rerum confusioni & turbis, quæ postmodum in Germania incrementum sumserint, causam dedisse, facturumque melius maximum alioquin Imperatorem fuisse, si venienti malo, cujus principia semper infirma sunt, maturè ac validis remediis occurrisset. nunc libertate pessima in imperio permissa spiritum vertiginis inter Germanos regnare, & quot homines à vera Romana religione dissident, tot sectas esse &c. *Hæc Thuanus.* Unde conjicere licet, protestationem non esse interpositam, formulam autem à Cardin. Commendono conceptam, ut si Pontifex districtè protestationem urgeret, ea in promtu esset. Verba quæ Ernestus ex archivo Episcopali Augustano profert, hæc sunt. *Itaque ut muneris mei partes hac in re præstem, ac ut eiusdem sanctissimi D. N. jussa hac in parte exequar, postquam S. C. M. Maximilianum II. Prælatos ac Principes Catholicos non modo semel, sed bis & pluries ob Dn. IESV viscera obtestatus sum, requisivi & monui, ne permittant & consentiant devenuri ad hanc tacitam vel expressam confirmationem recessus Ann. 1555. ob quam aliqua ratione, vel modo minima etiam in parte, Concilij Tridentini decretis præsertim in eius dogmatibus præjudicari poßit, & cum mihi facultas non detur, hoc officium præstare publicè in eorum congregationibus & Conciliis, ob interventum nonnullorum Principum, qui religioni nostræ adversantur, & ad evitanda scandala, quæ oriri possunt, coram Notario & testibus protestor, nomine S. Sedis Apostolicæ & S. D. N. me ne dum hisce eorum ordinationibus & statutis non consensisse & consentire, verum & expreßè contradixisse & contradicere, prout & nunc contradico ad perpetuam rei memoriam.* Circa quæ illud occurrit, *an illa protestatio Cardinalis Commendoni sit Cæsareæ M. & Ordinibus Imperij revera insinuata & exhibita?* Neque enim ex actis publicis certitudo ea de re haberi potest. Protestatio autem debet illi fieri, quem negotium tangit: quod latè è textibus juris deducit Mart. Nigrinus de Protestat. V. Testatio. n. 68. & seqq. Et illud non liquet, *an Pontifex R. protestationem voluerit opponere paci, vel potius in Recessu positæ viæ colloquiorum & comitiorum imperialium, quibus negotium religionis ad concordiam reducendum esse [illegible]batur?* Ernestus ad Pacem Religionis restringit. Et Pontifex quidem, ut ex Thuano audivimus, paci non satis æquus erat. Protestatio autem urget, ne quid

Concilio Tridentino, præsertim in dogmatibus, præjudicetur. Hoc non facit Recessus ratione Pacis, sed ratione colloquiorum, in quibus ad doctrinæ examen procedendum, atque adeò Tridentina decreta novo examini subjicienda, quod indignum judicavit Pontifex. Neque notat Historicus, Pium V. rescissionem pacis religiosæ ursisse. *Inprimis voluit*, inquit Commendonus apud Thuanum, *procurandum esse, ut Concilium nuper Tridenti celebratum ubique per Germaniam publicetur*, (NB. non quærit, ut publicatio cum abolitione pacis religiosæ fiat) *& si per universam Germaniam non possit, saltem in civitatibus, quæ Maiorum religionem retinent, promulgetur, & quoniam Episcopi, quominus diœcesanas Synodos celebrare possint, eo impediuntur, quod metropolitani, à quibus initium fieri debuit, nondum suas celebraverint, agendum cum Moguntino ac cæteris Archiepiscopis, ut Concilium Trident. Synodis suis recipiant, ut eorum exemplo suffraganei in sua quisque diœcesi illud publicandum curent &c.* Aliàs duo interfuerunt Comitiis Augustanis illo Anno 1566. Cardinales. Marcus Sitticus Altembsius Ep. Constantiensis, & Otto Ep. Augustanus. Per illos Legatus Pontificius in congregationem deducere potuisset, quæcumque voluit. Paucis. Illud, quod jussu Pontificis Pij V. maximopere impedire debuerat Joh. Fr. Commendonus, Cardinalis Legatus, ne in Comitiis tractaretur, eo tempore intermissum & in aliam occasionem dilatum fuit. Ita loquuntur acta Imperialia & consentit Thuanus. At confirmatio recessus Augustani, quatenus pacem religionis concernit, non est eo tempore in Comitiis intermissa & dilata, sed facta. Non igitur Commendoni negotiatio nomine Pontificis M. pacem religionis ipsam spectabat.

Disceptatio IIX.

An Urbani IIX. literæ paci religionis jure detrahant?

URBANI IIX. literas partim ita considerandas existimamus, quod Urbanus crediderit, extra casum necessitatis negotium de bonis & juribus Ecclesiarum versari: ideóque non nisi ordinario more in illarum tractatióne procedendum esse, quo spectant literæ à Nuntio Apostolico An. 1631. Legato Cæsaris exhibitæ: ubi Johannis XXII. de sententia, in futurorum eventibus humani fallebatur incertitudo judicij. Partim pro suggestionibus & consultationibus privatis & particularibus habendas, quo pertinet, quod Dn. Caspar Archiepiscopus Athenarum, Nuntius ad S. C. M. cum potestate Legati de Latere A. 1641. exhibuit, & quod ad Episcopum Augustanum An. 1643. Pontifex scripsit. Non obligant autem illæ suggestiones & consultationes adeò in conscientia, ut non ex re nata, urgentibus gravioribus rerum momentis, aliter definiri queat. Qua de re superius actum est.

§. 3.

DE IMPERATORIBUS ET STATIBUS CATHOLICIS.

Disceptatio IX.

An Honorius Imperator paci religionis adverſetur?

§. 3. Cæſares, Principes Statuſque Catholicos in aciem Erneſtus producit, quorum ſuffragio pax religionis damnetur. HONORIUS Imperator in frontiſpicium collocatur. *Honorius Imp. inquit, Attalo tyranno Africam tentaturo, religionis libertatem reſcripto Donatiſtis conceſſerat.* Id cum teſte *Baronio A. Chr. 410. in magnum Chriſtianæ religionis diſpendium redundaret, rogantibus Epiſcopis reſcidit, poſtridie eius diei, quo Roma capta eſt ab Alarico, ut conſtat ex l. 51. Cod. Theod. de hæret. Paulo poſt miſſo Marcellino tribuno eoſdem Donatiſtas ad collationem celeberrimam cum Catholicis adegit.* Reſp. ad hoc exemplum I. Ponamus, Honorium Imperatorem Donatiſtis aliquando ob Attali tyrannidem in Africa religionis libertatem conceſſiſſe, quam poſtea retractarit, non tamen conſtat, id ideò factum eſſe, quia exiſtimavit, eiuſmodi permiſſionem libertatis eſſe cooperativam peccato indirectè & directè, eſſe iniurioſam in Creatorem & veram religionem, eſſe cauſam perditionis animarum repugnare ſuo officio, eſſe periculoſiorem bello, & magis inordinatam mendacio. Vera cauſa ea eſſe potuiſſet, quod illa permiſſione abutebantur Donatiſtæ ad immanem licentiam, & plurimam adverſus Orthodoxos inſolentiam. Ipſe BARONIUS ex monumentis priſcis magnum ſcelerum eorum Catalogum texit: quod in Eccleſias Catholicas irruerint, Sacerdotibus, Miniſtris, cultoribus, cultui ipſi, & loco ſacro injurias intulerint atroces, *ad Ann. Chr. 398. num. 22.* Epiſcopis & Clericis horrenda ſupplicia intulerint, quorundam oculos extinxerint, cuidam Epiſcopo linguam manuſque præſciderint, nonnullos trucidaverint, per nocturnas aggreſſiones domos deprædati fuerint, non ſolum privatorum habitacula, ſed etiam Eccleſias incenderint, & Codices etiam Dominicos in flammas coniecerint, *num. 27.* Auguſtini vitæ inſidias ſtruxerint, *num. 29.* Idem innumera ſcelera ſub tyrannide Gildonis ab Optato patrata commemorat, *num. 40. 41.* Unde ob ſcelerum & violentiarum incrementa legem de decem libris auri allegari neceſſarium fuiſſe, oſtendit, *num. 42.* Criſpinum empto fundo octoginta incolas reluctantes rebaptizaſſe, enumerat *num. 51.* Quantam vim aliis Criſpinus intulerit Poſſidio, docet idem *An. Chr. 403. num. 2.* Maximianum Epiſcopum Catholicum Eccleſiæ Bagaienſis, quondam apud ordinarium judicem, dicta inter partes ſententia, obtinuerat baſilicam, quam Donatiſtæ, cum Catholica eſſet, invaſerunt, ſtantem ad altare, irruentes

Donatiſtæ ſcelerati & ſeditioſi.

ruentes horrendo impetu & furore crudeli, fustibus & huiuscemodi telis, lignis denique eiusdem altaris effractis immaniter ceciderunt, pugione etiam percusserunt in inguine, quo vulnere sanguis effluens eum exanimem redderet, nisi ei ad vitam major sævitia eorum profuisset. Nam cum graviter sauciatum per terram insuper traherent, exundanti venæ pulvis obstrusus sanguinem detinuit, cuius effusione ibat in mortem. Deinde cum ab eis tandem relictum, nostri cum Psalmis aufferre tentarent, illi ira ardentiori succensi, eum deportantium manibus abstulerunt, malè mulctatis fugatisque Catholicis, quos ingenti multitudine superabant & facile sæviendo terrebant. Inde in quandam turrim levatum, jam defecisse arbitrantur, cum ille adhuc viveret. Sed quodam molli aggere exceptus & à quibusdam nocte transeuntibus per lucernam conspectus, atque collectus & ad religiosam domum apportatus, adhibita magna cura post multos dies, cum ab illa desperatione recreatus esset, occisum eum tamen fama scelere Donatistarum etiam trans mare nunciaverat. *Ita ex August. ep. 50. Baron. An. Chr. 405. num. 22.* Episcopus Catholicus à Thubursicubure Servus nomine, cum in vasum à Donatistis locum repeteret, & utriusque partis procuratores proconsulare præstolarentur examen, irruentibus ibi illis armatis, vix vivus aufugit: à quibus pater ejus presbyter, ætate & moribus gravis, ea cæde, qua vehementer afflictus est, post dies paucos excessit è vita. *Ita ille ex Augustino contra Cresc. on. III, 43. ibid. n. 24.* Hinc, *inquit Augustin. ep. 60.* ad Comitatum nostri Episcopi ex Concilio legatos miserant, qui impetrarunt, ut non omnes Episcopi & Clerici Donatistarum partis condemnatione decem librarum auri, quæ in omnes hæreticos constituta est, tenerentur, sed hi soli, quorũ in locis aliquas violentias ab ipsis Catholica Ecclesia pateretur. Sic Aug. Quomodo Stilichone extincto Donatistæ jactaverint, latas contra se leges nequaquam ex voluntate extitisse Honorij, sed opera Stilichonis, adeóque denuò in Episcopos Catholicos grassari cœperint, Severo, Macario, Erodio, Theodosio & Victore cæsis, ut legatio ab Ecclesiis ad Honorium Imperat. destinata fuerit de confirmandis legibus, *ostendit Baron. An. Chr. 408. num. 17. 18.* Et extat de ea confirmatione sanctionum Augustalium *lex 43. de hæreticis. Cod. Theodos.* Omnia, quæ in Donatistas (qui & Montenses vocantur) Manichæos, sive Priscillianistas, vel in Gentiles à nobis generalium legum autoritate decreta sunt, non solum manere decernimus, verum in executionem plenissimam effectumque deduci. Hinc *& in Collat. III. cum Donatistis, addita edit. Optat. Mileuitani Parisiensi, pag. 569.* Epistola Episcoporum Catholicorum ad Septiminum Proconsulem producitur, facinorum Donatistarum deploratrix. *Æquitatem tuam postulamus, Septimine, Vir clarissime, Proconsulum summè subl. Multa contra divinas humanasque leges ab hæreticis de parte Donati Catholica Ecclesia sustinet: quæ si vel anterioribus vel recentioribus imperialibus jussis prohibenda & tollenda postulare vellemus, nequaquam audere deberent de nostris actionibus conqueri, scientes, se, cum nulla tali lege adjuvarentur, schismaticos tamen suos Maximianistas per judicum jussa locis ac sedibus eorum pellendos exturbandosque curasse. Verum tamen nos saluti eorum & ho-*

& nostræ existimationi pacificè consulentes propter charitatem, qua Christiani sumus, leniter eos volumus admonere, ut errorem suum cogitando & agnoscendo non negligant: aut si putant, se habere aliquid veritatis, non eam furiosis Circumcellionum violentiis, contra publicam quietem, sed tranquilla rationis redditione defendant &c. Quatenus ergo pacem publicam violarunt Donatistæ, meritò excidissent omnibus beneficiis & immunitatibus, si quæ ipsis indultæ fuissent.

Addimus autem II. nunquam factum fuisse, quod ab Honorio Imperatore factum esse, ex Baronio ait Ernestus, & ante eum Severinus Binius *in not. ad Concil. Afric an. pag. 593.* Franciscus à Longo Coriolanus *in Summa Concilior. p. 338.* aliique vestigiorum Baronianorum admiratores. Fundamentum, quo Baronius nititur, hoc est. Congregatum est, *inquit An. Chr. 410. num. 47.* hoc anno Concilium Carthaginense mense Junio, ex quo decreta est legatio Episcoporum ad Honorium Imperatorem: quid autem hi acturi cum eo forent, ejusdem Synodi præfatio declarat, nempe eosdem legatos Episcopos missos esse contra Donatistas. hæc enim habet Concil. Afric. cap. 75. *post consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorij octavum & Theodosii tertium Augustorum, decimo Calendas Iulias Carthagini in basilica regionis secundæ. In hoc Concilio legationem susceperunt contra Donatistas Florentius, Possidius, Præsidius, & Benenatus Episcopi, eo tempore, quo lex data est ut libera voluntate quis cultum Christianitatis acciperet.* hæc ibi, ac nihil præterea aliud hujus Synodi reperitur: sed & hæc obscura valde, nisi aliis hujus temporis rebus gestis elucidentur. Constat enim inprimis horum legatorum apud Honorium res agentium S. Augustinum mentionem facere in Epist. ad Italicam, ubi queritur, quod cum literis eius acceperit, omnia in Italia barbarorum invasione susque deque misceri atque ingenti motu turbari, ipsi legati nihil his de rebus scripserint in Africam: quibus planè insinuare Augustinus videtur, illas literas esse scriptas hoc anno, sed antequam urbs à barbaris caperetur, re tamen in ultimo discrimine collocata. Sed de occasione hujus mittendæ legationis jam aggrediamur enarrare. Accidisse vidimus anni hujus exordio, cum Attalus tyrannus invasisset imperium, & jam Africam esset tentaturus, ut Heracliani in Africa Comitis vel Macrobij in ea Proconsulis consilio leges adversas Donatistas silerent. Etenim in discrimine posita videbatur universa Africana provincia, si tot legibus exagitati & exasperati Donatistæ pro partibus Attali dimicarent. Quamobrem elicitum fuit ab Honorio Imperatore rescriptum, quo iidem liberentur, quam vellent religionem amplecti, sicque transacta res est. Cum autem periculum illud cessasset, Attalo exauctorato, Episcopi Africani, quod viderent, Honorij rescriptum in magnum Christianæ religionis dispendium vergere, collecto Carthagine Episcoporum conventu, una omnium sententia decrevere, mittendam esse ad Imperatorem Honorium legationem, quam ornarent quatuor Episcopi ad hoc munus electi, qui rogarent Imperatorem, ut pro Donatistis datum revocaret edictum. Et hoc est quod in hujus Synodi præfatione sic habebatur: *Lex data est, ut libero cultu quis Christianitatem acciperet.* At unde, dices,

Baronius confutatur.

ista

ista adeò concinnè disposita tibi vendicas? Ex divinatione, an conjectura? imò ex certa testificatione deducimus, nimirum ex rescripto Honorij Imperatoris, quo ipse annuisse comperitur petitioni eorundem legatorum Episcoporum: Etenim hoc anno de his ista rescripsisse apparet ad Heraclianum in Africa Comitem *l. 51. de haret. Cod. Theodos. Oraculo penitus remoto, quo ad ritus suos hæretica superstitiones obrepserunt, sciant omnes sancta legis inimici, plectendos se pœna & proscriptionis & sanguinis, si ultra convenire per publicum execranda sceleris sui temeritate tentaverint. Data IIX. Kalend. Septembr. Varane V. C. Cons.* En vides hac lege irritari præcedens Edictum, quo ad ritus suos redierant palam compressæ legibus antea hæreses. Sed & illud velim observes, lector, postridie eius diei, quo urbs capta est, eiusmodi datum esse ad Heraclianum, juxta petitionem Episcoporum, rescriptum, quo imminentem urbi extremam cladem averteret. Præsentissimum sanè fuit remedium, quo factum est, ut Alaricus urbem captam postriduum quasi fugatus reliquerit & in sui interitum concitus festinarit. *Ita commentatur Baronius.* Videamus, quo modo ad leges veritatis. Si rem penitus introspiciamus, aut supposititia sunt, quæ de illo Africano Concilio traduntur, aut corrupta est lectio. Sanè istam farraginem diversorum Conciliorum Africanorum primum in lucem protulit Petrus Crabbe Mechliniensis. Ex quo angulo, non commemorat. Unde ejus non est per omnia magna autoritas. Nec Barth. Carranza *in summa Concil. eam* expressit. Non potuit verò eo anno in favorem Donatistarum ob tyrannidis Attalicæ metum ejusmodi lex lata esse. Concilium dicitur habitam *X. Kalend. Iul. Anno post Consulatum Honorii IIX. & Theodosii III.* Non assignatur Consul ejus anni. Nam Kalend. Januarij eo anno Christi 410. nulli fuerunt creati Consules. Itaque in nonnullis fastis reperitur annus hoc modo notatus, P. C. Imperatoris Theodosij Junioris III. & Imper. Honorij VIII. Sed tamen constat, eo anno Kalend. Februar. in Oriente creatum esse Varanem Consulem, Romæ verò circa Kalend. Jul. Tertullum. Unde in Chronico Prosperi & Cassiodori scribitur, *Varane & Tertullo COSS. captam a Gothis urbem Romam fuisse.* In Chronico verò Marcellini Comitis, *Varane Cos. illam captam.* Sub Consulatu ergò Varanis Cons. Concilium illud habitum est mense Junio. Oportuit ergo legem illam, quæ sanxit, *ut libera voluntate quis cultum Christianitatis acciperet*, prius latam esse. At Kalend. Martij Varane Cons. Honorius & Theodosius jam contra hæreticos edicta sua repetiverunt, quæ ab Anno Chr. 395. varia præmulgarunt. Vide *Cod. Theodos. de hæretic. legem 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36.* usque ad Annum Christi 410. & Consulatum Varanis. Hoc ipso autem Consule ita rescribunt Kalend. Mart. *l. 48. de hæretic. Cod. Theodos. Montanistas & Priscillianistas & alia huiusmodi genera nefaria superstitionis per multa scita divalia diversa ultionum supplicia contemnentes, ad sacramenta militia, qua nostro obsecundat imperio, nunquam admitti censemus &c.* Solent autem Imperatores Donatistas Priscillianistis & similibus hæreticis aliàs expressè conjungere. *Cod. Theodos. haretic. l. 40. 41. & 43.* Quando itaque tandem lex data est, ut

Concilii Africani fragmentum discutitur.

est, ut libera voluntate quis cultem Christianitatis acciperet, si Kalend. Mart. præter antiqua in hæreticos decreta pœnæ novæ cumulatæ sunt adversus eos? Confer *l. 49. & 50. Cod. eod. tit. eod.* Adde Attalum nondum defecisse tempore celebrati hujus Concilij Africani ab Honorio. Nam Attalus defecit demum circa tempus urbis ab Alarico captæ. Ita disertè ZOSIMUS *lib. 6. in Theodosio & Honorio.* In Italia Alarichus pace conditionibus iis, quas proposuerat, non impetrata, nec obsidibus acceptis, Romam rursus invadit, minatus eam se per vim expugnaturum, nisi cives Romani conjunctis secum armis adversus Honorium Augustum expeditionem suscepissent. Illis ad hoc postulatum cunctantibus urbem obsidet, & ad portum profectus aliquot diebus in ejus oppugnatione consumtis, tandem eo potitus est. Ubi cum omnem urbis annonam reconditam invenisset, eam se minatus est in exercitum suum expensurum, ni celeriter iis Romani, quæ proponebat, satisfecissent. Itaque Senatus universus convenit, & instituta deliberatione, quid potissimum agendum esset, tandem omnibus assensus est, quæ Alaricus imperaverat. Nec enim mortis ullum erat effugium, postquam urbi nulla è portu annona suppeditabatur. Secundum hæc exceptis Alarichi legatis, ad urbem eum arcessunt, ac veluti jussi fuerant, Attalum præfectum urbis sublimem in augusto solio, purpura coronaque cinctum collocant. Is extemplo Lampadium præfectum prætorij declarat, & Martianum præfectum urbis constituit. Militares præfecturas tum ipsi Alaricho, tum Valenti tradit. Et Valens is erat, qui Dalmaticis antea legionibus præerat. Itidem aliis alias ordine potestates distribuit. Hinc regio cum satellitio pergit ad palatium, cum omina multa parum fausta se offerrent. Postridie Senatum ingressus, orationem singularis arrogantiæ plenam habuit, qua se Romanis universum orbem terrarum acquisiturum & his etiam alia majora magnificè jactitat &c. *hæc Zosimus.* Si itaque urbs capta est ab Alaricho tribus diebus ante revocatam legem, quæ ob tyrannidem Attali pro Donatistis lata fuerat, tunc revocatio legis non potuit facta esse IIX. Kalend Septembr. Nam illo tempore nondum expeditio in Africam ab Attalo decreta fuit. Illa enim post urbem captam demum cum Alaricho deliberata fuit. Ita Zosimus. *Cum autem Alarichus Attalo rectè consuleret, ut idoneas copias in Africam & Carthaginem mitteret, earumque opera Heracliano abrogaret imperium, ne per illum quoque partes Honorij sectantem aliquod impedimentum rebus institutis obiceretur, nihili admonitiones ejusmodi Attalus fecit, adeoque spes eas amplexus, quas vates ei facerent, ac sine certamine se Carthagine totaque potiturum Africa persuasus, non Drumam mittit, qui cum barbarorum copiis, quas ducebat, facile potuisset Heraclianum potestate deiicere, sed Alarichi consilio posthabito cuidam Constantino in Africanos milites imperium dedit, nec firmas tamen cum eo copias mittit. Interea verò, dum adhuc in dubio res Africanæ essent, expeditionem adversus Imperatorem, qui Ravennæ se continebat, suscepit. Ismet perterritus, cum missis legatis imperij societatem offerret, Iovius ab Attalo præfectus prætorij constitutus, ne nomen quidem Imperatoris Honorio relicturum ait Attalum &c.* Ita etiam tradit SOZOMENUS *H.E. IX, 18.*

Cum Alarichus legatione per Episcopos quosdam facta his frustratus esset, Romam reversus civitatem oppugnat, & portu ex altera parte occupato cogit Romanos, ut Attalum urbis tum temporis Hyparchum crearent Imperatorem. Romanis igitur ad aliud imperium translatis constituitur utriusque exercitus dux Alarichus, & sororis ejus maritus Ataulphus præfectus equitum, quos domesticos appellant. Attalus porro Senatu convocato orationem habuit prolixam ac splendidè elaboratam, qua Senatui promittebat, se patria omnia illi conservaturum, & Ægyptum insuper & universum Orientis imperium Italis subjecturum. Sed ille ut cunque sese jactitaret, ne integro quidem anno Imperator vocandus erat. Atqui tamen à vatibus quibusdam excantatus pollicitantibus, ipsum Africam sine pugna obtenturum, ne Alaricho quidem obtemperabat, suadenti, ut modicam manum Carthaginem transmitteret, ad interficiendos Honorij præfectos, si forte hi se ipsi opponerent: neque Johanni, quem stipatoribus suis præfecerat, qui monebat, oportere Constantem, quem ipse in Lybiam mittendum decreverat, quasi ab Honorio missum, rescripto, ut moris erat, Heraclianum principatu deponere, cui tum temporis militum in Africa præfectura commissa erat. Fortassis autem & hæc successissent. Nondum enim res Attali innotuerat iis, qui erant in Lybia, cum igitur Constans ex vatum sententia Carthaginem abnavigasset, Attalus usque adeò mente captus fuit, ut ne dubitare quidem indignaretur, sed planè sibi persuaderet, se Afros jam secundum prædictiones vatum habere subditos. Itaque Ravennam versus expeditionem movet. *Et post.* Interea temporis Heraclianus interfecto Constante vigiles constituit in portubus & litoribus Africæ, & mercatorum naves Romam proficisci vetuit. Ex quo cum fames Romanos invaderet, illi hac de re legatos mittunt ad Attalum. Ille verò cum huic rei nullum videret remedium, Romam reversus est, quasi cum Senatu super hac re consulturus. Fame interim in tantum invalescente, ut & castaneis pro frumento uterentur, & nonnullos etiam carnes humanas gustasse suspicarentur. Alarichus quidem suadebat, ut 500 Barbaros adversus Heraclianum mitterent; sed Senatui & Attalo videbatur non oportere concredi Barbaris Africam. *Hactenus Sozomenus.* Confer & SOCRATEM *H. E. VII*, 10. NICEPHORUM *H. E. XIII*, 35. Itaque contra veterum consensum insidiosè historiam contexit Baronius, quasi initio anni & Consulatus Varanis Attalus ad imperij fastigium conscendisset, & Roma post Attalum dejectum jam imperio demum in Alarichi manus pervenisset. Fefellit eum Sozomenus, qui postquam *in cap. 8. lib. 9.* recensuit, quo pacto Alarichus portu Romanorum occupato Attalum Romanorum Imperatorem constituerit, ipse Dux exercitus constitutus sit, magistro equitum facto Ataulpho, adeóque omnia in manibus suis habuerit, Roma etiam in potestate sua constituta, ubi & exercitus Dux fuit, & Attalo à consiliis, & ea autoritate præstans, ut Attalo ab expeditione Ravennensi Romam reverso & Alaricho votis refraganti imperium ademerit, & ad insignia imperij deponenda coram urbe adegerit. attamé c. 9. de Romæ obsidione; & per proditionem obtenta possessione

histo-

ſtoriam texit. Eandem fere telam habet etiam *Nicephorus l.c.* Etiam Proſper *in Chron. ad A.D.* 410. *ait*: Honorio IIX. & Theodoſio III. Coss. Attalū Romæ Imperatorem factum, qui mox privatus regno Gothis cohæſit. & A.D. 411. Flavio Varane V. C. Cos. Romam orbis quondam victricem ab Alaricho Duce capam. Marianus Scotus ſequitur Proſperum. Florentius Wigornienſis etiam, niſi quod pro *cohæſit* legit *ceſſit*. Sic & ex annalibus Jordanis Cuſpinianus ad Chronicon Caſſiodori, Anno Chriſti 409. A. A. V. C. 1163. Attalus Imperator Romæ per tyrannidem factus, & mox regno pulſus. Gothis ceſſit. Cùm ad annum Chriſti 410. & V.C. 1164. Romæ expugnationem referat. Similia habet Philoſtorgius *lib. XII*, 3. Olympiodorus *apud Photium*. Poſſumus hîc uti verbis Johannis Baptiſtæ Egnatii *Roman. Princip. libr.* 1. qui inquit: *Non potui non vehementer mirari, tantam vel temporum injuriam vel ſcriptorum tum veterum tum recentium inertiam fuiſſe, ut cùm Romani orbis reginam captam ab Alarico Gothorum Rege, anno poſt eam conditam 1164. certatim omnes memoriæ prodant, ſeriem tamen rei aut indagandam non cenſuerint, aut indagatam tanquam rem plane ignobilem nec ſcitu dignam oblivione involuerint. Proh Deûm hominumq; fidem! Vrbs orbis totius regina, quaq; eo auſpicio condita credebatur, ut caput orbis ſemper eſſet, & quæ toties de barbaris gentibus orbeq; triumpharat, capitur Gothico aſtu, & interim rei ſeries ordoque neſcitur.* Exiſtimamus tamen veritati maximè conſentaneum eſſe, ſi in manus Alarici Romam perveniſſe dicamus prius, quàm Attalus dominatum uſurpare poſſet. Clariſſimè id docet Socrates *H. E. VII*, 10. Sub idem tempus, *inquit*, Roma fortè fortuna à barbaris capta fuit. Nam Alaricus quidam barbarus, fœdere cum Romanis junctus, qui Theodoſio Imperatori in bellò contra tyrannum Eugenium adminiſtrato ſubſidio venerat, & propterea præclaris honoris inſigniis à Romanis ornatus erat, cùm ſecundum hunc & proſperum fortunæ ſtatum moderatè ferre non poſſet, tametſi ad Imperii gubernacula non aſpirare contenderet, relicta tamen Conſtantinopoli ad partes, verſus Orientem proficiſci maluerat. Ubi venit in Illyricum, confeſtim ſibi univerſum ſubegit. Ei verò iter longius facienti, Theſſali circiter oſtia Perei fluminis, unde Nicopolim urbem Epiri per montem Pindari iter eſt, reſtiterunt, factoque prælio Theſſali circiter tria hominum millia trucidarunt. Poſtea barbari, qui erant cum Alaricho, agris urbibuſque, in quas fortè inciderant, vaſtatis, tandem Romam occupârunt. Quam etiam populati, multa inſignia monimenta ſpectatu digniſſima incendere, pecuniam civiū vi rapere, complures ordinis Senatorii viros variis ſupplicii generibus cruciatos interficere cœperunt. Alarichus autem, quo imperii decus ludibrio exponeret, Imperatorem nomine Attalum declaravit, hunc ad unum diem veluti Imperatorem, ſatellitibus ſtipatum incedere, poſtridie ſervi habitu in publicum prodire jubet. His rebus confectis, Alarichus illicò fugere propterea cœpit, quod fama de copiis Imperatoris Theodoſii ad ipſum bello profligandum miſſis diſſipata, terrorem eius animo incuſſerat. *Ita Socrates*, disertè poſt Romam captam luſum cùm Attalus fuiſſe, tradit. Succedit *Hiſtoria Tripartita*

partita XI, 9. Per idem tempus, *inquit*, Innocentius primus Romæ Novatianos persequi cœpit, multasque eorum abstulit Ecclesias. Quo tempore Roma est à barbaris deprædata. Alaricus enim quidam barbarus ditionis Romanorum & Theodosii Imperatoris subjectus, atque contra Eugenium tyrannum auxilia largitus, & propterea Romanis dignitatibus honoratus, felicitatem suam non ferens, imperare quidem non elegit, sed discedere ab urbe Constantinopolitana venit ad partes Hesperias. Cùmque venisset in Illyricum, omnia pervertebat, & transiens Thessaliam, habitâ congressione circa fluvium Pinum apud Nicopolim Epiri, penè tria millia virorum eius Thessali peremerunt. Posthæc autem, quicquid eius occurreret, destruentes, novissimè Romam venerunt, quam vastantes plurima quidem miraculorum eius igne concremaverunt, pecunias abripuerunt, multosque senatorii ordinis diversis subdidêre suppliciis. Deridentesque Romanorum regnum Imperatorem fecerunt quendam nomine Attalum, quem uno die tanquam Imperatorem fecerunt procedere, altero verò servi schemate ministrare. Hæc cùm egisset Alarichus, repente in fugam conversus est &c. Facit huc locus OROSII *adversus Paganos* VII, 42. Quid, *inquit*, de infelicissimo Attalo loquar, cui occidi inter tyrannos honor, mori lucrum fuit? In hoc Alaricus Imperatore facto, infecto, refecto & defecto, citius his omnibus actis penè quàm dictis, mimum risit & lusum spectavit imperii: nec mirum, si jure hâc pompâ miser lusus est, cuius ille umbratilis Consul Tertullus ausus est in Curia dicere; Loquar vobis P. C. Consul & Pontifex, quorum alterum teneo, alterum spero. *Sic Osorius.* Si anno, quo Imperator factus est Attalus jussu (κατὰ τὸ κελευόμενον, ait Zosimus: Sozomenus, & ex eo Nicephorus, βιάζεται Ῥωμαίους) Alarichi, Consul designatus est Tertullus, ergo non sub Theodosio III. & Honorio IIX. Coss. Attalus Imperator factus est, quod tamen Prosper & qui sequuntur, voluit. Tertullus enim Varani circa Kal. Febr. in Oriente Consuli appellato circa Cal. Jul. Romæ collega datus est, ut notat etiam Francisc. Balduin. *delibat. Hist. Afric. pag.* 224. Quomodo verò Attalo Imperatore facto, infecto, refecto, defecto Alaricus mimum ridere & lusum spectare imperii potuit, si nondum Romam habuit, neque ingressus fuit? Ponderemus & verba *S. Hieronymi in epitaphio Marcellæ viduæ ad Principiam Virginem.* Dum hæc aguntur in Jebus, *inquit*, terribilis de Occidente rumor affertur, obsideri Romam, & auro salutem civium redimi, spoliatosque rursus circumdari, ut post substantiam vitam quoque perderent. Hæret vox, & singultus intercipiunt verba dictantis. Capitur urbs, quæ totum cepit orbem. Imò fame perit, antequam gladio, & vix pauci, qui caperentur, inventi sunt, ad nefandos cibos erupit esurientium rabies; & sua invicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti infantiæ, & suo recipit utero, quem paulò ante effuderat. Nocte Moab capta est, nocte cecidit murus eius &c. Apertè Hieronymus docet bina vice tentatam urbem, demum fame laborantem captam esse. Planè uti Zosimus, cùm de portu occupato & annona universa intercepta commemorat. Atqui hoc factum est, antequam Attalus Im-

lus Imperator designatus esset, quando scilicet Alarichum Romani, eius δεξάμενοι πρεσβείαν, ἐκάλουν περὶ τῆς πόλεως, accersiverunt, uti Zosimus loquitur. Annotavit istam rerum seriem *Onuphrius Panvinius* quoque *in Roma sua pag. 926.* Gothi *Stiliconis perfidia exagitati, cœptum in Gallias iter deserentes, Romam citato gressu contendunt, urbem IX. Calend Septemb. capiunt, incendunt & populantur, Varrone & Tertullo Coss. Anno Christi* 411. *Imperatorem per ludibrium Attalum quendam Senatorem creant.* Et Jacobus Gordonius Lesmoreus *Serie Chronol. anno Christi* 410. Dum *Honorius Alarici obsequium aliquod honoratum & conditiones pacis obstinatè repudiat, Alaricus capta Roma & modico incendio fœdata, jungit se Attalo novo Imperatori creato in opprobrium Honorii.* Manifestum est ex dictis, Alaricum sibi subjecisse Romam iteratâ obsidione in annonæ incredibiles difficultates conjectam, & eius jam dominum Attalum constituisse Imperatorem, atque ita demum consilia contra Africam agitata fuisse. Si verò post 9. Kalend. Septembr. Attalus demum concussit impertium Romanum & Africam aggressus est, quomodo X. Cal. Jul. potuerunt eodem anno Episcopi Carthagine congregari, &, quoniam ob tyrannidem Attali leges adversus hæreticos siluerunt, & rescripto contrario sancitum fuit, ut liberâ voluntate quis Christianitatis cultum acciperet, nunc sedatâ jam illâ tempestate & sublata indulgentiæ conniventiæque causa deliberare, quonam pacto apud Imperatorem rescissio Oraculi obtineri posset? Sopita ne fuit tyrannis duobus mensibus prius quàm orta esset? Sed ut de historicis *Philostorgio, Olympiodoro, Sozomeno, Nicephoro &c.* cum *Socrate* & aliis conciliandis aliquid conjiciamus, existimamus, fortassis tempus captæ urbis & à Gothis subactæ non satis certo fundamento cum tempore expilatæ & vastatæ conjungi. Ceperunt urbem IV. Calend. Septemb. Quanquam alii de Aprili dicant. *Vide Ioh. Aventinum Annal. Boiorum lib. 2. pag. 127.* eo facto lusum instituerunt Attali & per eum Honorium evertere conati sunt. Hunc cum imparem & refractarium consiliis Gothicis animadvertisset Alarichus, evertit, & specie benevolentiæ & pacis cum Honorio sua exequi instituta adornavit. Interea autem proculdubio, cùm universam militiam sub sua haberet potestate, urbem nequaquam è manibus suis dimisit. Postea cùm inter Alarichum & Sarum novæ simultates & hostilia molimina sererentur, indignati Gothi, & jam excedere ex Italia meditati, Romam nihil mali suspicantem invadunt & expoliant. Ita conjicimus, ac existimamus, quæ de obsidione dicit Sozomenus, haut propriè dici. Sed hæc ita hactenus. Progrediamur ulterius, & in medium proferamus eos, qui longè serius res Attali collocant. JOHANNES NAUCLERUS Præpositus Tubingensis *Chronographiæ part. 2. genera*. 14. *fol. 60. fac. b.* post mortem Alarici ait Attali constitutam tyrannidem: *Per idem tempus*, inquit, *Ataulphus gener Honorii Visigothorum Rex petitam iniquis conditionibus pacem ab Honorio non impetravit, quare intelligens Imperatorem Italiæ claustra ne in illa redire posset, communisse, ulteriorem Hispaniam capere, & inde in Africam transmittere adnisus est, Attalum quendam Romanum in Imperatoris simulacrum erexit, qui in Hispaniam usque Bæticam navigio advectus judice-*

judices in Africam misit, sed missus ab Honorio ad Africæ conservationem Heraclianus judices expulit, & classe parata in Attalum duxit, quem maritimo prælio superatum in terram fugere compulit &c. In eandem ferè sententiam *M. A. Coccius Sabellicus Ennead. IIX. lib.1. colum. 426.* Excesserant, *inquit*, Gothi Italiæ finibus, tanquam pacem, quam ipsi vellent, cum Romanis habituri: estque res de industria aliquando ultro citroque jactata. Cæterùm ob iniquas conditiones, quæ à barbaris ferebantur, pax nulla secuta est. Nec Honorius eiusmodi occasionem neglexit, sed dum, quibus potissimum legibus pax sancienda esset, disceptatur, Italiæ validis præsidiis obstruxit claustra, cuius bello repetendæ ubi spem omnem sibi ademtam esse senserunt Gothi, ac simul spe pacis destituti, citeriorem Hispaniam statuunt invadere, ex Hispania in Africam transmittere, cæterum ne barbarum nomen obstaret præsenti consilio, Attalum Romani sanguinis Ataulphus Gothorum Rex Imperatorem designat, ut Honorii opes infringeret. Attalus in Bœticam progressus, ex suis quosdam in Africam ire jubet, qui in ea provinciajus dicerent. His Honorius militibus occursurus Heraclianum misit in eam provinciam, cum valida classe, sub cuius occursum ejecti sunt totâ Africâ Attali judices. Ipse navali pugnâ victus, in mediterranea Bœticæ se trepidus recepit. Hispani, qui per id tempus Romano impensius favebant imperio, Attalum in custodiam redactum, sub custodia ad Honorium mittunt &c. Si sic se rerum Attali series haberet, jam maior in assignatione temporis synodici anachronismus commissus esset. Sed neque huic assignationi temporis synodici convenit cum Prospero, & qui eum sequuntur, cum in annum Christi 409. sub Consulatum Honorii IIX. Theodosiii III. Attali tyrannidem conjiciunt. Nam Anno Christi 409. Cal. Febr. & Calend. Jul. severissimè contra Donatistas & alios errones decretum est. Sic enim *Impp. Honorius & Theodosius A. A.* Theodoro PP. II. *l. 46. Cod. Theodos.* Ne Donatistæ vel cæterorum vanitas hæreticorum aliorumque error, quibus Catholicæ communionis cultus non potest persuaderi, Judæi atque Gentes, quos vulgò Paganos appellant, arbitrentur, legum ante adversum se datarū constituta tepuisse, noverint Judices universi, preceptis eorum fideli devotione parendum, & inter præcipua, quicquid adversus eos decrevimus, non ambigant exequendum. Quod si quisquam judicem loco cohibentiæ executionem legis præsentis omiserit, noverit amissa dignitate graviorem motum se nostræ clementiæ subiturum, officium quoque suum, quod saluti propriæ contemtâ suggestione defuerit, punitis tribus primatibus, condemnatione viginti librarum auri plectendum. Ordines quoque viri, si in propriis civitatibus vel territoriis commissum, tale aliquid siluerint, in gratiam noxiorum, deportationis pœnam & propriarum amissionem facultatum se noverint subituros. *Dat. XVII. Calend. Febr. Rav. Honorio IIX. & Theodosio III. A.A. Coss.* Iidem AA. Joviano PP. *l. 47.* Si quis contra ea, quæ multipliciter pro salute communi, hoc est,, pro utilitatibus SS. Ecclesiæ adversus hæreticos & diversi dogmatis sectatores constituta sunt, etiam cum adnota-

adnotationis nostræ beneficio venire temptaverit, careat impetratis. *Dat. VI. Calend. Iul. Rav. Honorio IIX. & Theodosio III. A. A. Coss.* ADNOTATIO est Principis ad preces rescriptum. Docet id Novella Valentiniani Imp. *tit. de homicidio casu facto, vers. merito ergo.* Adnotationis hoc sensu sæpius fit mentio *Cod. Iustin. l. non aliter 9. C. de palat. sacr. larg. lib. 12. l. 5. Cod. de emendat. propinq.* Adeò itaque Imperatores omnem relaxationem isto anno à legibus contra hæreticos latis abesse voluerunt, ut etiam *propriæ mansuetudinis adnotatione ab iisdem infringendis arceant.* Quando igitur tandem lex lata est, *ut libera voluntate quis Christianitatis cultum acciperet?* Non profectò ab Honorio. Is enim jam ab anno Christi 396. perpetuâ quadam legislatione contra ferociam sectarum & tumultus pugnavit, uti Theodosianus Codex testis est. Pertinet huc imperialis sanctio ad Marcellinum de collatione Carthagine inter Orthodoxos & Donatistas instituenda, ubi graviter Imperatores de zelo suo in conservanda religione loquuntur. *Imperatores, Cæsares, Flavius Honorius & Theodosius, Pii, Felices, Victores, ac triumphatores, Augusti Flavio Marcellino suo S.* Inter Imperii nostri maximas curas Catholicæ legis reverentia, aut prima semper, aut sola est, neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum Dei cultum orbis nostri plebs devota custodiat, ut etiam Donatistas vel terrore, vel monitu olim implere convenerant, qui Africam, hoc est, regni nostri maximam partem & secularibus officiis fideliter servientem, vano errore & dissensione superflua decolorant. Nos tamen eadem frequentius non piget replicare, quæ omnium retrò Principum devota in Deum definivit autoritas, ne temporibus nostris, si quid forte in injuriam legis Catholicæ fuerit generatum, justo judicio hoc nobis posset imputare posteritas. Nec sanè latet conscientiam nostram sermo cœlestis Oraculi, quem errori suo posse proficere scæva Donatistarum interpretatio profitetur, qui quamvis depravatos animos ad correctionem melius invitaret, aboleri tamen eum etiam ante jussimus, ne qua superstitionibus præstaretur occasio. Nunc quoque excludendam subreptionem simili autoritate censemus, illudque meritò profitemur, libenter nos ea, quæ statuta fuerant, submovere, ne in divinum cultum nobis se quisquam autoribus æstimet posse peccare. Et quamvis una sit omnium & manifesta sententia, Catholicæ legis plenam veritatem recto hominum cultu & cœlesti sententia comprobatam, studio pacis & gratiæ venerabilium virorum Episcoporum legationem libenter admisimus, quæ congregari Donatistas Episcopos ad cœtum celeberrimæ desiderat civitatis, ut electis etiam Sacerdotibus, quos pars utraque delegerit, habitis disputationibus superstitionem ratio manifesta confutet. Quam rem intra quatuor menses præcepimus explicari, ut conversos animos populorum etiam clementia nostra, sicut desiderat, celerius possit cognoscere. *Et post:* Cui quidem disputationi Principe loco te judicem volumus residere, quicquid enim ante in mandatis acceperis, plenissimè meministi, omnemque vel in congregandis Episcopis vel evocandis,

si adesse contemserint, curam te volumus sustinere, ut & ea, quæ ante mandata sunt, & quæ nunc statuta esse cognoscis, probata possis implere solertia, id ante omnia servaturus, ut ea, quæ circa Catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel nostra serenitas roboravit, novella subreptione submota, integra & inviolata custodias. Scribunt ista Impp. *sub Consulatu Varanus V. C.* Non malè istud expendit Franciscus Balduinus JCtus *in delibat. histor. Afric. ad Optatum Milevit. pag.* 224. Sedebat Honorius Ravennæ in summa rerum suarum non solùm perturbatione, sed etiam desperatione, præsertim mortuo Stilicone: Gothi Romam ceperant, totamque Italiam vastabant, omnibusque Imperii Romani provinciis imminebant. Neque tamen propterea infelix attonitusque Honorius non audit Ecclesiæ Africanæ preces. Multas & ipse paterno exemplo leges tulerat adversus Donatistas, sed tam suas, quàm paternas leges veluti suspendi patitur, cùm audit aliter cum Donatistis nunc agendum esse. Aliquot ante annis edixerat, quod ad earum executionem pertinebat, ne eas Donatistæ putarent refrixisse, aut saltem tepuisse, ut loquitur *l.* 46. *Cod. Theodos. de hæret.* sed & eo quoque tempore jusserat, ut publicè proponeretur, quod in Africam miserat, edictum de unitate *l.* 2. *C. Theodos. de relig.* Verùm Donatistarum schisma solis edictis tolli non posse audiebat, & Africanæ Ecclesiæ tamen unitatem omnibus modis restitui optabat. *Hæc Balduinus.* Quodnam ergo est illud oraculum, quo ad ritus suos hæreticæ superstitiones obrepserant. Id ante omnia & ex historia & ex Imperatoris verbis perspicuum est, non esse rescriptum aliquod Honorii, uti Baronius judicat. Augustinus *lib.* 2. *contra Petilian. cap.* 92. commemorat Julianum Apostatam libertatem Donatistis concessisse, & basilicas, quas Constantinus Imperator abstulerat, restituisse. Fovebat enim Apostata, quoscunque noverat aut apostatas, aut Ecclesiæ hostes. Indulgentiam istam notant Arcadius & Honorius A. A. rescripto ad Hadrianum PP. l. 57. Cod. Theodos. ad hæretic. *Rescriptum, quod Donatistæ a Iuliano tunc Principe impetrasse dicuntur, propositis programmate celeberrimis in locis volumus anteferri & gesta, quibus est hujusmodi allegatio inserta, subnecti, quo omnibus innotescat & Catholicæ confidentiæ stabilita constantia, & Donatistarum desperatio fucata perfidia. Dat. V. Calend. Mart. Raven. Stilic. & Aureliano. Coss.* Hoc rescriptum Juliani in favorem Donatistarum expeditum *& oraculum* & *cæleste oraculum* vocari, non mirantur illi, qui norunt indulgentiam etiam Principis vivâ voce concessam *cæleste oraculum* vocari *in l. ut emus* 10. *C. de SS. Ecclesiis.* Vocat tamen etiam subreptionem & novellam subreptionem. Falsis enim proculdubio narratis illud oraculum à Principe impetratum fuit. Quia autem lex 51. *C. Theodos. de hæret.* generaliter loquitur de oraculo, quo ad ritus suos hæreticæ superstitiones obrepserant, aut Julianus in favorem omnium ab Ecclesia dissentientium tunc similiter rescripsit, aut potest intelligi Gratiani edictum, *de quo superius ad rationem* 8. *tractavimus*, quo Valentis patrui sui edicto reprobato legem tulit, ut quisque liberè, quamcunque religionem

quem-

quemcunque cœtum vellet, sectaretur, exceptis Manichæis, Photinianis & Eunomianis. Hanc fortassis legem Donatistæ & alii hæretici tanquam antiquiorem opposuerunt Honorii rescriptis. Vivo sanè Stilicone solebant multi calumniari, leges, quæ in Africam mittebantur, tametsi Honorii nomen præ se ferrent, tamen magis abs Stilicone, quam à Theodosii filio mitti, ut Augustinus narrat *epist.* 129. Poterat autem D. Gratiani edictum, quo multis modis errones abutebantur, ad turbas & dissidia paci publicæ perniciosa, restringere Honorius. Sed certo consilio voluit planè istud removere & proscriptionis atque sanguinis pœnam omnibus sanctæ legis inimicis decernere. Innuit illud consilium, quod ad Marcellinum datum est edictum, ubi propositum edictorum eiusmodi esse significat, terrere & monitu implere. Et Marcellinus *in Coll. Afric. pag.* 443. ait esse, *sedare principalibus sanctionibus, & trahere ad unam fidei sententiam.* Non enim rigor ille proscriptionis & sanguinis exercitus est, nisi contra furibundos, seditiosos, & publicæ pacis nefarios effractores, quod & monet Franciscus Balduinus *in Hist. Afric. pag.* 207. Interim adhibere remedium collationum Imperatori placuit, quod proculdubio ab illa Synodo, quæ X. Calend. Jul. Carthagini habita est, decretum est, ut peteretur ab Honorio per legatos. Sub Varane Cons. namque edictum ad Marcellinum datum esse, cùm postea Varane Excons. collatio ipsa habita esset, conjicit Balduinus *pag.* 214. Itaque illa verba, *eo tempore, quo lex lata est, ut liberâ voluntate quis Christianitatis cultum exciperet*, litum merentur. Et frustra Baronius revocationem pacis religioni datæ exinde elicere conatur. Quem incautè Ernestus sublegit, ut stimulos ad revocanda saluberiter stabilita fundamenta pacis publicæ adderet. De rationibus autem agendi atque statuendi, quas secutus est Honorius, nobis profundius disquirere non licet. Temporum illorum historia manca est. Non potest autem, quod tunc actum aut edictum est in materia religionis, ad nostri imperii statum accommodari, cuius planè alia nunc ratio est.

Disceptatio X.

An Imperator Sigismundus abhorruerit à pace religionis?

SIGISMUNDUS Imperator ex intervallo subjungitur. De eo ita Ernestus. *Sigismundus Imperator cum post multas cædes ab Hussitis acceptas, nec inducias quidem ab illis impetrare posset, nisi religionis libertatem & utriusque speciei usum illis indulgeret, Ecclesiasticosque præterea bonis externis ablatis ad vitam scil. Apostolicam redigeret, nihil horum concessit in summa licet difficultate constitutus. Nihilominus, Deo constanter remunerante, iniquis postulatis maturioris deliberationis spe elusis, in urbem Pragensem receptus, & Rex Bohemiæ coronatus est, referente Bzovio Tom. 15. An. Chr.* 1420. *num.* 9.

num. 9. Vtinam sicut Protestantes Pacis quam desiderant ideam ab Hussitis cum multis erroribus acceperunt, ita Sigismundi successores negandæ eiusmodi pacis exemplum ab eodem sumerent. Ita Ernestus. Sed debuisset ille in evolvendo Bzovio pergere & cæterorum etiam gestorum Sigismundi Imperatoris seriem prosequi. Refert autem Bzovius *ad Ann. Chr. 1436. num. 31.* quid Sigismundus de capitulis circa negotium Bohemicum in Synodo tractatis pollicitus fuerit Synodo Basileensi. Num. 40. exprimit instrumentum legatorum Synodi Basileensis, in quo inter cætera: *Pronunciamus,* ajunt, *veram, perpetuam, firmam, bonam & Christianam pacem dictorum Regni & Marchionatus Moraviæ cum reliquo unico populo Christianitatis, mandantes autoritate Dei omnipotentis &c. universis Christiani orbis Principibus, & aliis Christi fidelibus universis, cuiuscunque status, gradus & praeminentiæ aut dignitatis existant, quatenus dictis Regno & Marchionatui bonam, firmam & Christianam pacem observent, neque pro causis dissensionum, pro difficultatibus aliquibus circa materias fidei, & quatuor articulorum dudum exortas & agitatas: cum jam sint perdicta capitula complanata: aut pro eo, quod communicarunt, communicant & communicabunt sub utraque specie, juxta formam dictorum capitulorum, eos invadere, offendere, infamare, aut injuriari permittant: sed ipsos Bohemos & Moravos tanquam fratres bonos & Catholicos Ecclesiæ Orthodoxæ filios, reverentes & obœdientes eidem habeant, & firma dilectione contractent.* Est post: *Cumque prout in dictis capitulis continetur, circa materiam communionis sub utraque specie sit hoc modo concordatum: Quod dictis Bohemis & Moravis suscipientibus Ecclesiasticam unitatem & pacem realiter & cum effectu, & in omnibus aliis, quam in usu communionis utriusque speciei, fidei & ritui universalis Ecclesiæ conformibus, illi & illæ, qui talem usum habent, communicabunt cum duplici specie, cum autoritate Domini nostri Iesu Christi & Ecclesiæ veræ sponsæ eius. Et articulus ille in S. Concilio discutietur ad plenum, quoad materiam de praecepto, & videbitur, quid circa articulum illum pro veritate Catholica sit tenendum & agendum, pro utilitate & salute populi Christiani. Et omnibus mature & digeste pertractatis, nihilominus si in desiderio habendi dictam communionem sub duplici specie perseveraverint, hoc eorum Ambasiatoribus indicentibus, S. Concilium Sacerdotibus dictorum Regni & Marchionatus, communicandi sub utraque specie populum, eas vid. personas, quæ in annis discretionis reverenter & devotè postulaverint, facultatem pro eorum utilitate & salute in Domino largientur, hoc semper observato, quod sacerdotes sic communicantibus semper dicant, quod ipsi debent firmiter credere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantùm, sed sub qualibet specie est integer & totus Christus. Hoc expresse declarato, quod per verbum fidei in articulis positum intelligunt & intelligi volunt veritatem primam, & omnes alias credendas veritates, secundum quod manifestantur in scripturis sacris ex doctrina Ecclesiæ sane intellectis. Item cum dicitur de ritibus universalis Ecclesiæ intelligunt & intelligi volunt, non de ritibus specialibus, quibus in diversis provinciis diversa servantur, sed de ritibus, qui communiter & generaliter circa divina servantur. Et quod, postquam nomine Regni & Marchionatus in uni-*

Sigismundus Imp. pacem religionis sanxit.

in universitate hoc suscipiatur, si aliqui in divinis celebrandis non statim suscipiant ritus, qui generaliter observantur, propterea non fiat impedimentum pacis & unitatis. Et post: *Universis quoque & singulis &c. districtè præcipiendò mandamus, quantum dictis Bohemis & Moravis, servantibus Ecclesiasticam unitatem & utentibus communione sub duplici specie, modo & forma prædictis, nemo audeat improperare, aut eorum famæ vel honori detrahere. Item quod Ambasiatores dicti Regni & Marchionatus ad S. Concilium Deo propitio feliciter dirigendi, & omnes, qui de eodem Regno vel Marchionatu dictum Concilium adire voluerint, securè poterunt ordinato & honesto modo proponere, quicquid difficultatis occurrat circa materiam fidei, sacramentorum, vel rituum Ecclesiæ, vel etiam pro reformatione Ecclesiæ in capite & in membro.* Hæc & alia in instrumento. Articuli autem Bohemorum fuerunt. I. Ut verbum Dei per regnum Bohemiæ liberè absque cujusquam interpellatione à Sacerdotibus annunciaretur. II. Ut item liberè sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie, panis videlicet & vini, omnibus Christi fidelibus, peccato mortali haud obnoxiis, ministraretur. III. Ut à Clero bonorum externorum possessio & in iis jurisdictio auferretur, & ordo illorum ut ad vitam Evangelicam & Apostolicam redigeretur. IV. ut omnia peccata mortalia & præcipuè publica & alia legi Dei contraria vitia in quovis statu, ritè & cum ratione per eos, ad quos pertinet, corrigerentur & prohiberentur. Illa pax à Legatis Concilij Basileensis Bohemis data, qua infamiæ eorum dogmata, hactenus hæreseos nota inusta, eximuntur, confirmatur postea à Gubernatore & ordinibus Regnis, ut habet Bzovius An. 1436. num. 42. 43. Imperator Sigismundus, cupidus regni paterni, ut Bohemos devinctiores sibi redderet, multa seorsim eis promisit & concessit, quæ à Legatis Basileensibus impetrare & obtinere minimè potuissent, *inquit Bzovius An. eod. n.* 44. qui & privilegia enumerat, inter quæ 2. Personæ spirituales & seculares extra Regnum & Marchionatum nec citabuntur, nec judicabuntur &c. 3. Communicantes sub una specie in sæpe tactis Regno & Marchionatu, ne confusa sequatur commixtio, contra proprias earum voluntates & libertates non sustinebuntur, sed duntaxat in locis, in quibus communio duplicis speciei temporibus retro actis non servabatur, sustinebuntur. His & similibus Bohemorum seu Hussitarum commemoratis privilegiis *Bzovius num.* 45. exclamat: *Hæc extorserant hæretici, more suo duplices, & quidem in compactatis obedientiam & reverentiam omnem Rom. Pontifici & Ecclesiæ universali exhibentes; in his autem posterioribus fere eodem die expressis, omni jurisdictione, honore & majestate tàm summum Pontificem, quam universum Clerum per summum scelus spoliantes: deinde in compactatis cum Legatis Basileensium libertatem communicandi sub una specie omnibus & singulis ubicunque existentibus relinquentes; in concordatis autem cum Imperatore eandem eripientes, sc. pacem in ore, gladium in manu gestantes: Mirandum ut sit, quomodo Imperator Sigismundus contra jusjurandum: quo se Eugenio Pontifici Romano & universali Ecclesiæ, nec non universo Clero defensorem & advocatum fore obstrinxerat, adeo probrosam schedam contra sacros Canones,*

 nes,

acquisita seu occupata, ab eis quorum erant propria abalienavit, & Bohemis in vim stipendij pro suis servitiis, contra leges & omnia jura, dedit & donavit, donationes tàm hæreditarias, quàm pro certis pecuniarum summis, licet nulliter factas, sigillis & literis suis patentibus Imperiali & Regia potestate roboravit, & talia bona ipsis jure tàm possessorio, quàm petitorio & causa proprietatis violenter confirmavit. Non obstante, quod sicut ipse Dominus Imperator, ita & ipsi postulantes certi essent, quod Dn. Imperatori nihil juris in illis bonis alienandis conferendi, donandi, seu aliis appropriandi competebat: tum quia Dn. Imperator cum Legatis S. Concilij compactata practicantibus certas & bonas habuit intelligentias, quarum occasione in hæc & alia attentis circumstantiis partes consentiebant. Hæc & alia plura ille Bohemus Catholicus, cui suffragatur Æneas Sylvius, qui memorat, Imperatorem ea fœdera, quæ cum hæreticis percussit, necessitate magis admisisse, quam voluntate. Voluisse illam paternam hæreditatem quoquo modo intrare, sensimque regni possessione accepta more majorum subter veram Christi religionem provinciam reducere. *Sic Bzovius.* Ubi planè Ernestina principia contra Pacem & Sigismundum. Tam abest, ut Ernestus de Sigismundo verum dixerit. Attendamus, quantas querelas de eodem habeat Bzovius *An. eodem, num. 49.* Dixeram, *inquit*, Imperatorem ad longè iniquiora pacta cum Thaboritis descendisse. Enimverò quos ad servanda compactata omni jure compellere poterat, atque omnibus rationibus debuerat, quosque propter læsam toties Majestatem non tantum suam, sed longè magis divinam ultore gladio exterminare opus fuerat; his arbitrio suo vivere, & ex arbitrio hæreticorum, qualis erat Petrus Anglicus homo ad fallendum versipellis, pendere permisit. Dixi pariter, Rochizanam Thaboritis in præjudicium Ecclesiæ Catholicæ multa concessisse, quale est illud, quod arbitrium fidei Catholicæ homini hæretico in horas mutanti, qui veritatem de Eucharistiæ sacramento aliquando professam silentio prodiderit, vel adeò negaverit ejuraveritque & præsertim ex libris hæresiarcharum, Wiclefi & Hussi, ex quibus pronum fuerat hæreses, præsertim Petro Anglico, Wiclefistarum primario, producere. Sanè quanquam Salvator mundi Jesus Deus verus & homo sciret, Dæmones se Jesum filium Dei vivi pronunciaturos, tamen quia etiam non ignorabat, dæmones mendacij architectos esse, non sinebat eos loqui, neque quanquam verum in eo articulo testificarentur, voluit eorum testimonio niti de sua divinitate, vel propterea, ne ab hoc unico exemplo illis mendacibus autoritatem conciliare videretur, ad seductionem multorum, qui promiscuè illis ipsis credendum esse existimarent. Non defuerant ab utero Ecclesiæ alij arbitri de rebus controversis fidei &c. Sed placuit Sigismundo inniti arundini vento agitatæ, ut ea contracta illius manum dextram ad defendenda, non discutienda fidei Orthodoxæ placita armatam, malignus enciaret. *Sic rursus Bzovius.* Commemorat ea, quæ Bzovius habet, etiam Joh. Dubravius Olmuzensis Episcopus, Hist. Boh. XXVII. pag. 225. Jacobus Piccolomi-

lomineus Cardinalis Papiensis, de Hussitis pag. 211. Æneas Sylvius Piccolomineus Histor. Bohem. cap. 52. Et extat der Majestät Brieff vber die Religion/ von Kayser Sigmund den Ständen in Böhmen vnd Mähren ertheilt/in Apologiæ Bohemicæ II. allegatis, num. 3. Et privilegium Pragensibus ob eodem Sigismundo Imperatore in eadem materia concessum, num. 4. Atque ita quidem malè conscientiis exemplo Imp. Sigismundi consuluit.

Disceptatio XI.

An Carolus V. & Ferdinandus I. Impp. privatis scriptis pacem religionis deploraverint?

Quæ *ex privatis scriptis & dispositionibus atque instructionibus* Caroli V. & Ferdinandi I. Imperatorum maximorum profert Ernestus, omnia ex publico pacis religiosæ decreto refutantur, in quo Ferdinandus tum Rom. Rex & suo & Caroli V. Cæsaris nomine, autoritate & potestate sanxit, adeóque ipsam etiam S.C. Majest. obligavit ad ea capita, quæ dispositionem circa causam discrepantis religionis concernunt. Ejusmodi autem publicum instrumentum, à quo nunquam Carolus V. aut Ferdinandus I. recessit, omnes sensus privatos abolet. Certè pro instrumento præsumitur. *l. cum precibus. C. de probat. de quo per Alexandr. cons. 134. col. fin. in ij. & cons. 23. col. 2. & cons. 53. col. 6. & cons. 116. in fin. in 3. vol. Andr. Sicul. consil. 43. col. 6. & consil. 50. in princ. in 1. lib.* Et facit, quod notant Petr. & Cyn. *in l. 1. in 6. quæst. C. de procur.* ubi dicunt, quod instrumentum habet probationem probatam. *de quo etiam per Socin. cons. 268. in 3. col. & habetur in l. minor 25. annis cui fideicommiss. ff. de minor.* Conf. Alciat. *de præsumt. reg. 3. præsumt. 13.* Confer & quæ supra ad rat. 3. resp. ad 5. p. 40. in contrarium adduximus.

Disceptatio XII.

Quid obstet Card. Otthonis protestatio?

Cardinalis OTTHONIS, Episcopi Augustani, protestatio conscientiam in hoc negotio suspensam remorari nequit, partim quia rationes ejus solidæ nullæ comparent, partim quia tot Archiepiscopi & Principes Ecclesiastici, imò Imperator ipse, tot in Italia, Hispania, Germania inferiori & superiori Theologis fretus à Cardinali dissenserunt. Vide dissert. meam de Aug. Conf. p. 65. &c.

Disce-

Disceptatio XIII.

An libertas religionis in Gallia paci religionis deroget?

GALLICANA *libertas*, Protestantibus in eo regno data, in facto ipso non dat normam ejus, quid in casu necessitatis fieri possit. Sit pacto perpetuo non firmata, non sequitur, quod tali firmari non potuerit. Sed nec Gallicana pacificatio evadit Ernesti crisin. Omnia ferè argumenta, quibus Germanicam labefactare voluit, etiam Gallicanam feriunt. Nam & de hoc dicet, quod indirectè & directè hæresi cooperetur. Indirectè quidem, quia quamvis Ernestus neget Gallicanam libertatem esse inconditionatam & perpetuam, tamen dissimulanter ita locutus est. Novit enim Gallicanæ libertatis edictum esse inconditionatum & perpetuum. Petrus Matthæus sanè non negavit esse tale. Notum autem est ex actis publicis tale esse. Sanè post *edict provisionnel de Ianvier 1562.* edictum provisionale Januarij, de quo plura in historia Gallicana occurrunt, alia edicta in Galliarum regno occurrerunt, quæ pacificationem in perpetuum extenderunt. Clara sunt verba Caroli IX. in edicto An. 1568. promulgato, quod habet *Iean le Frere de Laval in historia des troubles & Guerres civiles &c.* sub privilegio Regio, A. 1574. Parisiis excusa, cujus hæc sunt verba art. 1. *Que tous ceux de la Religion pretendue reformee jouissent du dict edict de pacification purament & simplement, & qu'il soit executé en tous ses poincts & articles, celon la premiere forme, & teneur, levans & ostans toutes restrictions, modifications, declarations & interpretations, qui ont esté faictes depuis le jour & datte d'iceluy, jusques à la publication de ces presentes.* & art. 14. p. 206. *Voulons, ordonnons, & nous plaist, que ne contenu cy-dessus ensemble, nostre dit premier edict de pacification, auquel ces presentes se referent & sont confirmatives d'iceluy, soyent inviolablement entretenus, gardez & observez par tous les lieux & endroits de nostre Royaume, jusques à ce qu'il ait pleu à Dieu nous faire la grace, que nous sujets soyent reünu en une mesme Religion.* Vult hoc edictum pacificationis inviolabile permanere & observari inter cæteras leges & decreta regni, donec Deus pleniori efficiat gratia, ut subjecti regni in unam religionem rursus conspirent. Sed clarius in edicto ad An. Chr. 1570. à Carolo promulgato, quod idem habet Lavalius pag. 512. vocatur *edict perpetuel & irrevocable*, quod uberioris assecurationis causa ita per territorium regni promulgatum est, ut quibusvis regiis ministris in aditu officiorum illius observantia juramento confirmando injungatur, *artic.* 44. *pag.* 517. & Anno Chr. 1595. in consilio Henrici IV. disputatum fuisse, an pacificatio religionis cum conditione, an verò inconditionatè promulganda iterum esset, refert Thuanus *Hist. lib.* 112. *Tom.* 5. *pag.* 526. ubi altera sententia, quæ sine restrictione promulgandum esse censuit, prævaluit, quæ & An. 1599. obtinuit *teste eodem lib.* 122. *pag.* 859. *& seqq.* Et Ludovicus XIV. in edicto A. 1616. 13. Jun. Parisiis apud F. Morel. & P. Meltayer excuso, statim in exordio vocat *edict perpe-*

tuel & irrevocable. Si itaque Gallicana pacificatio absoluta & inconditionata est, indirectè cooperatur hæresi. Cooperatur autem & directè, quia à Papismo desciscentibus conservat statum illæsæ dignitatis, quod & Ernestus notat. Sed & quia tuetur contra quemcunque eos, quos Papa hæreticos pronunciavit. Sic & in creatorem & veram religionem injuria est, quia hæretici & Catholici exæquantur in dignitate illæsæ famæ & libertate profitendi, quam fovent, religionem, atque etiam in defensione ac perpetuitate. Est causa perditionis animarum, quia libertatem transeundi ab una religione ad aliam tribuit, & alia, de quibus Ernestus supra rat. 3. membr. 5. Rursus libertatis religionis in Gallia concessio est usurpatio potestatis incompetentis. Prætendit quidem Henricus IV. sibi in edicti publicatione non adversari Papam. Sic enim in oratione, quam convocatis in Luparam regiam ex singulis classibus curiæ habuit, & commemorat Thuanus lib. CXXII. Tom. 5. pag. 859. *Sunt etiam, scio, qui Pontificis autoritatem & reverentiam obtendant. At illi sciant, tanta aquitate & prudentia Pontificem esse, mihi tam benè cum illo convenire, tamque arctam consiliorum conjunctionem inter nos intercedere, ut nihil ille nisi summa ratione à me fieri putet, nihil illum de me, nisi in bonam partem, accepturum existimem. Religionis dissidia armis accenduntur. Vt extinguantur, concordia inter civeis opus est: atqui non bellum bello, sed pace discordia sedatur. Qui a nobis desciverunt, cum supplicia & pœnæ metus intentatur, non a numine castigationem, sed ab odio ultionem proficisci putant. Si hoc nondum vobis constat, quid tot annorum calamitatibus profecimus? at enim jus patriæ potestatis in vos tanquam filios mihi arrogo. patris est consulere filiis, patris est furore abreptos, imprudentia lapsos, ignorantia errantes ad frugem revocare, monitis salutaribus instruere, in viam reducere.* Hæc Henricus; qui si in judicium Ernestinum aut ejus malè fatigati vehiculum incidisset, dixisset id, quod illa oratione sequitur: *Concionatores & ejusmodi seditionum tubas ad insanientis plebeculæ auriculas in urbibus personantes, nihil moror.* & rursus: *Valeant ergo importuna factiosorum, concionatorum ac mulierculárum voces, quas cum sciam generosè & prudenter contemsisse illustrissimum Cardinalem Pontificium Legatum neque magni me debere facere existimo.* Nihilominus Ernesto [illegible] usurpationem non probabit Henricus, nisi Pontificiam indulgentiam manifestè docuerit, quam tamen Rex non allegavit. Imò si vehiculi rigorem attendamus, *pag. 13.* non potest etiam Pontifex indulgere in hoc negotio. Quia [illegible] Galliarum Reges Christianissimi & primogeniti Ecclesiæ Filii sunt, obligati [illegible] sunt, judice Ernesto, Rom. Pontifici ipso jure, etiam nullo interveniente juramento, ut protegant defendantque Pontificem & S. R. Ecclesiam in omnibus necessitatibus & utilitatibus ejus custodiendo & conservando possessiones ejus, honores & jura; hinc D. Marta JCtus Neapol. tanquam apud Canonistas certissimum sæpissimè refert, *Regem Galliæ [illegible] in temporalibus Pontifici Romano subjectum,* inprimis *tract. 1. de Jurisd. cap. 20. num. 95.* Quod si [illegible], ergo dicit Ernestus, illũ, contra obligationem [illegible] religioni a Pontifice R. damnatæ libertatem & patrocinium sanxisse. Adhæc causabit Ernestus, etiam pacem Calviniani-Protestan-

testantibus in Gallia datam esse quovis bello periculosiorem adeóque frustratoriam: quia verebitur eorundem perfidiam, provocabit ad experientiam, quiritabitur de sensu hæreticorū, ad Josephi Halli Episcopi Anglicani Romam irreconcilabilem remittet, hereseos naturam in Calvinismo non interiisse protestabitur. Nec improbabit, quod scripsit Henr. Dormalius Leodius *An. Chr.* 1643. cum approbatione Vicesgerentis & Magistri S. Palatij, in explic. ad Poëm. Maphei Barberini f. 362. *Stultus ut Luna mutatur. Nihil autem stultius est circumciso; nihil infidelius Calvinista; nihil crassius Luthrano; nihil illotius Anabaptista; nihil impurius Puritano; nihil furiosius Zvvingliano; nihil denique pervicacius schismatico.* Neque denique meliorem ordinatioremque eam pacem Gallicanam faciet mendacio. Unde Ecclesiæ, Pontificum, Patrum, Veterumque suffragiis condemnabit. Licet autem Ecclesiastici nonnulli in Gallia sæpè contradixerint, plures tamen ei à Regibus latæ assenserunt.

Disceptatio XIV.

Quid Status Hungariæ contra pacem religionis?

Profert denique Ernestus epilogum protestationis alicujus, quam An. 1638. in Comitiis Posnaniensibus Pontifici Rom. addicti Hungariæ Status produxerunt & Cæsareæ Majest. obtulerunt, qua, Quæ cum ita sint, *aiunt*, M. V. obsecravimus per misericordiam Dei, per animæ suæ salutem, per inclytæ domus Austriacæ illibatam fidem, per æternum posteritatis de V. M. judicium, ut hanc libertatem religionis omnibus legibus regni nostri contrariam concedere non velit, articulisque includi non patiatur. Sed contenta sit V. M. tolerare, quod corrigere non licet. Si verò, quod absit, V. M. aliter statuerit faciendum, Nos omnes & singuli Prælati, Capitula, Conventus, cæterique omnium ordinum Status Ecclesiastici in Hungaria coram divina Majestate, gloriosissimaque Virgine Maria, item coram M. V. & toto mundo protestamur, Ordinem Ecclesiasticum nunquam consensisse, nec consensurum deinceps esse in hanc libertatis concessionem, atque adeò ante tremendum divinæ justitiæ tribunal rationem animarum, quæ occasione hujus libertatis æternæ damnationi adjudicabuntur, à se transcribere. Rogamus verò V. M. ut hanc nostram protestationem benignè ac clementer suscipere dignetur. Deus enim, qui corda scrutatur & renes, testis est, quod nullo alio fine hæc nostra reclamatio & protestatio à nobis profecta est, quam ut nostræ inprimis, quos Deus animarum saluti procurandæ præfecit, deinde verò & cæterorum conscientiæ consuleremus. *Sic illi.* Atqui verò libertas religionis Hungariæ jam olim concessa est. Quæ cum subverteretur, graviter contra intercessit Botscajus literis An. 1605. XVII. April. Serencij datis, quas habet Nicol. Istuvansi *Panon. Histor. l. XXXIV. pag.* 823. Tandem pax inter Cæsarem &

Botscajum facta, de qua idem videudus *pag.*842. Primò omnium, *inquiens*, religio libera ubique sit, ea lege, quæ absque Comitiorum consensu in acta irrepserat publica ante biennium, sublata, absque tamen religionis Catholicæ Rom. detrimento, cui sua jura intacta & libera maneant. Salvam & ampliatam hanc Pacem habent Hungari denuò confirmatione articuli I. Posoniensis, A. 1608. & renovatione articuli ult. Posoniensis, An. 1622. art. 1. conditione 6. Sopron. 1622. & rursus art. 22. Sopron. 1625. Habet hoc Auctor Refutationis originis motuum Hungaricorum An. 1620. cum ait: B. 4. a. An. 1606. *concessa fuit in Viennensi Pacificatione libertas religionum magnatibus, nobilibus, civitatibus, confiniariis militibus Hungaris, oppidis privilegiatis, immediatè coronam spectantibus: nulla tunc plebi rusticæ, nulla oppidis ac villis dominorum libertas data: postmodum An.* 1608. *tempore coronationis Matthiæ II. extensa hæc libertas fuit ad pagos & oppida, adeoque ad plebejos etiam ac rusticos dominorum &c.* & B. 1. *Nec verum est, à Clero & Catholicis Vos turbatos fuisse in negotio religionis. Paßivè, vel, ut Iuristæ dicunt, defensive sese Catholici habuerunt in omnibus, quæ de religionis negotiis ve.sata fuerunt, controversiis. Conceßiones vobis factas non oppugnarunt: summam illam quidlibet credendi licentiam, cum legibus permissam viderent, non sine ingenti commiseratione pereuntium patienter & quietè tolerarunt &c.*

SECTIO V.

Argumenta initio ab Ernesto pro arbitrio collecta & pro pace religionis firmanda allata expenduntur & illustrantur.

I.

Fundamentum.

Quod Pax Religiosa ex se non sit illicita.

I. Argumentum.

PAx Religionis non est ex se illicita. E. potest rebus ita exigentibus sanciri. Respondet Ernestus: *Esse illicitam, demonstratum a se esse superius.* Reponimus: Ostensum à nobis esse, illas demonstrationes conscientiæ in ancipitio rerum fluctuanti, & hinc innumerabilium hominum perniciem & patriæ vastitatem, & Ecclesiarum desolationem, & vitiorum ad immane fastigium excrescentiam immanitatem, & futurorum eventuum incertitudinem perpendentes, illinc ad dandam libertatem & jus constituendæ religionis, cujus usurpatio conscientiis benè maléve utentium relinquitur, sollicitatæ, atque sic ad pacis restaurationem contendenti, non satisfacere. Præsertim cum sanctio pacis, & libertatis in

religio-

religione constituenda relictio, neque indirectè neque directè hæresi, sub abusu illius libertatis introductæ, cooperetur, non magis ac Deus cooperatur vel directè vel indirectè introductioni peccati originalis, cum stabilit & roborat efficaci suo concursu bonum conjugale, & libertatem relinquit atque tuetur conjugialis copulæ: aut Moses dux populi Israëlitici cooperatus est illicitis & reprobandis penitus, imò jus naturæ impugnantibus repudiis, cum libertatem repudiandi concessit & abusum sub ea permisit. Imò longè minus, atque cooperatur Deus actibus malis, cùm, ex Dominicanorum sententia, hominem infallibiliter prædeterminat & præmovet ad illum aut illum actum sub talibus circumstantiis, sub quibus inevitabiliter peccaminosus fit ille actus, aut cùm Deus animam sine peccato creat & unit corpori, ex qua unione sine animæ culpa indubitatò sequitur eius inquinatio & conspurcatio. Quoniam etiam nullam Creatori aut veræ religioni injuriam infert; non illi, quia in rebus ad conscientiam hominis in materia fidei pertinentibus, ubi à solo lumine supernaturali dependet tota efficacia, tolerantiam divinam imitatur & exprimit: non huic, quia veritati non præjudicat, imò ad veritatem porrò vindicandam & discutiendam omnia subminicula atque incitamenta salva relinquit. Sed & animis corrumpendis eo ipso non dat occasionem, quia libertatem & defensionem pollicetur. Fluit ad hæc ex ea potestate, quam necesse est residere in republica, si magnæ & extremæ necessitates ingruant, qua etiam cùm aliqua mutua singulorum detritione & jacturâ universitas servanda est, quæ est maximè architectonica & fundamentalis potestas. Insuper juramenta Cæsaris & Ecclesiasticorum Papæ & Ecclesiæ præstita non violat, quia illa juramnnta, quatenus temporalitatem, ut vocant, concernunt, non obligant contra rempublicam. Præterea nec justus est metus frustrationis, cùm tot vinculis coitur ad publici egregii stabilimentum. Sed & nullam in se ostendit tantam turpitudinem, qualis est in mendacio. Tueri denique se potest exemplis Johannis Papæ, Patrum sanctissimorum monitis, factis laudatissimorum Cæsarum, Regum, Principum &c. Quocirca pax illa non solùm non illicita est, sed etiam amabilis. Cùm in universum *pax sit observanda ab omnibus*, ut dicit textus *cap. 1. extra de pact.* quia *est vinculum charitatis.* ut inquit Johannes Andreas, *in rubr. & cap. primò. extr. de treuga & pace.* Imò *est effectus ipsius charitatis*, juxta Thomam 2. 2. *art. 3. quæst. 29.* ut refert Corneus *consil. 185. fin. l. 3.* Et ideò favore pacis multa specialiter contra communes regulas conceduntur: ut pulchrè concludit Lud. Romanus *consil. 332. colum. ult. dub. 4.* quod & considerat Felinus *cap. quæ in Ecclesiarum. col. 22. vers. autem. de constit.* & Alexand. *post Angelum ibi ab eo relatum, consil. 136. colum. ult. vers. non obstat postremò. l. 1. & est textus singularis in cap. nisi essent, de præbend. quem ad hoc citat Felin. in c. ad audientiam. Conf. Catellian. Cottam Memorab. V. PAX.*

II.

Fundamentum.

Quod Deus etiam mala permittat.

II. Argum. Deus mala permittit. Ergo & hominibus licet imitari Deum. Respondet Ernestus : *Regiminis divini exemplum suffragari permissioni primi & secundi generis, non tertii. Nam etsi Deus peccata dissimulat ad tempus, & subinde impedit, ne contra sapientiæ suæ ordinem mala & mali intempestivè tollantur; peccatis tamen nequaquam cooperatur. Neque enim ulli concedit impunitatem perpetuam, aut secluso fine maioris boni: neque libertatem peccandi legibus confirmat, aut ad peccandum provocat vel impellit, neque vitia virtutibus æquat, vel eodem loco habet, nec quicquam cum peccantibus paciscitur, nihil præterea contra officium supremi Domini & Moderatoris Opt. Max. committit, cum naturæ rationali peccandi libertatem, quam liberam fecit, relinquit, ad bonum præmiis provocans, a malo suppliciis absterrens & nulla in re potestatem incompetentem usurpans. His conditionibus si Cæsar aut Status permittant hæresin, quam tollere non possunt, divinæ gubernationis exemplo rectè se defendunt. Ex duobus malis minus eligendum esse, cum absque eligentis peccato fieri potest, & præstare aliquid, quàm omnia perdere, nemo sanæ & bonæ mentis ambigit vel negat. Si vero minoris mali electio fieri nequeat, nisi cooperando peccatis, usurpando jus non suum, violando officium, aut aliter peccando, lucrum mundi cum detrimento animæ non quæratur, & perdamus omnia, ut servemus Dei gratiam.* Reponimus; Ostensum jam esse, nullam hîc esse cooperationem cum peccato, ad rat. 1. Non omnia impedimenta, grassanti errori efficaciter opponenda, hac pace tolli. Divina & extra controversiam posita pacis sanctione non esse sublata. Humana, consuetudine aut fallibili autoritate niti, quæ non semper uno modo sese habuerint; itaque sine conscientiæ violatione mutari possint. Etiam in disputatione apud sapientes versari, an belli continuatio inter ista piè recenseri possit. Non concedi impunitatem & immunitatem perpetuam, sed eam tantùm, quæ hominum vitæ cursu circumscribitur. Deo & foro Ecclesiastico interiori suum jus relinquitur. Exterior processus variabilis jam olim fuerat, & subinde remissior aut intensior. Pœnæ politicæ certis limitibus arctatæ, non semper eadem ratione dispensabantur. Unde hic orbis tranquillitati aliquid donari posse. Incertum esse, an maius bonum constanter defendi possit & servari, si restringamus libertatem. Perpendendum esse, quod postulata sit illa a violentis contra præsentis erroris executionibus perennis immunitas. Neminem, si aliter possit, tam imprudentem fore, qui in transactionem descendat, si alter tam diu solum de non offendendo cavere velit, quamdiu maius suum bonum sperat, aut maius suum malum timet. Libertatem & exemtionem legibus firmari, si ita [illegible]mur: si quis libertate & exemtione ad errandum abutatur, non legis culpam esse, sed

esse, sed abutentis. Esse autem profectò in potestate Cæsaris aut Statuum, libertatis & exemtionis gradus constituere. Nullum tamen hîc esse impulsum, nullam ad errandum provocationem. Positam esse illimitatam & irrestrictam indifferentemq; illam libertatem. Non æquari vitia virtutibus. Personis duntaxat nullam vim inferendam esse, decerni, si arguantur hoc vel isto errore infectæ. Vitia erroresque manere in censu suo. Censuram autem eorum suspendi quadantenus, aut altiori judicio reservari. Refert Thuanus *lib. histor. CXXII. pag. 863.* in Regio Senatu, cùm perorasset pro edicto Nannetensi Coquuleius, & de sectariis ad dignitates admittendis difficultas invidiosè à multis nihilominus reponeretur, & exemplo in antiquitate carere diceretur, ab aliis quietiora consilia amplectentibus contra disputatum fuisse: *In huiusmodi causis multa tranquillitati publicæ semper condonata fuisse à prudentioribus. Nam cùm Manichæi, qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerant, Theodosii & Valentiniani Cæsarum constitutione civitatibus pellendi & ultimo supplico tradendi essent, alii autem hæretici prohiberentur magistratum gerere, & habere dignitates, aut fieri causarum patroni, vel defensores aut patres civitatum, & Iustinianus etiam sanxisset, neminem errore constrictum hæreditatem vel legatum, sive fideicommissum accipere, idque ad ultimas militum, sive communi jure, sive militari testarentur, voluntates porrexisset, severitati tot legum exemtos fuisse Gothos, quanquam Arianâ peste essent infecti, quippe fœderatos, sicut & eos vocat Olympiodorus, qui, prout Imperatoriæ maiestati visum fuerat, quoslibet honores & dignitates ad ea consequuntur. Id ex constitutione Græca ad titulum Codicis de hæreticis & Manichæis, & Samaritanis ab Antonio Augustino viro optimo & doctissimo ICto addita constare.* Hæc Thuanus. Ad hæc Deum non versari in commercio & societate hominum. Homines autem inter homines versantes ad eas necessitates non rarò deduci posse, ut non attento peccato secum pacisci admittant, quos extra hunc rerum statum facile omissuri fuissent. Posito, paciscentibus ordinariè taliter paciscendi potestatem non competere, necessitati tamen hoc indulgeri, ut legitimè eâ uti possint pro salute publica.

III.

Fundamentum.

Quod Christus Zizania noluerit evelli.

III. Argum. Zizania non evellenda *Matth. 13, 29.* Ergo pro pace Ecclesiæ etiam cognita zizania toleranda, quod infert Augustinus *contra Crescon. II, 30.* Duo respondet Ernestus. *I. Paterfamilias non prohibet absolutè, ne eradicentur zizania, sed ne id fiat cum periculo tritici. Id enim significat particula, fortè. Periculo isto cessante, & alio urgente, ne zizania triticum lædant, non est expectanda messis, sed maturè oportet evellere. Neque huius rei judicium pertinet ad Principes, qui etiam servi sunt, sed ad patremfamilias, qui in terris non est alius, quàm Christi vicarius, sive* *Loc. Matt. 13, 29. dilucidatur.*

Pontifex

Pontifex Romanus. II. Vrgente licet periculo tritici, non aliam zizaniorum permiſſionem à patreſamilias injungi, quàm primi & ſecundi generis, quæ pœnam conniveat, & intempeſtive impedientes coërceat, non tertii generis, quæ cooperetur. Id verba apertè ſignificant, ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem; Non autem, ſpondete zizaniis abſolutam impunitatem, vel publici juris autoritate eos in agros recipite, vel facite poteſtatem triticum opprimendi, vel ipſi in gratiam zizaniorum illud eradicate, & zizania plantate, vel denique eodem pretio & loco utraque habete, & æquali curâ cuſtodite. Hæc omnia contra mentem cœleſtis Patris familias hæreticis à Catholicis ejuſmodi pacem ſancientibus ſpondentur. Reponimus, Erneſtum invertere textum divinum. Verba illa, *ne colligentes zizania eradicetis ſimul & triticum*, non ſunt limitativa, ſed rationalia: non, quando evulſio zizaniorum cum periculo eradicandi tritici conjuncta, omittenda eſt, ſed ideò omittenda eſt, quia ita ſeſe habet. Scilicet loquitur Dominus Jeſus (ut habet etiam Autor Reſponſ. ad Orthodoxos apud Juſtinum Martyr. *quæſt.* 1. *pag.* 307.) de peccato dogmatico, non autem de morali aliquo facinore alio, quo communitas læditur. De errantibus in fide, non de labentibus in vita diſponit. Sanè zizania ſunt oppoſitum ſemini, id eſt, verbo Dei, quod Chriſtus ex arcano Patris ſinu protulit, & in principio conſtituendi regni cœlorum diſſeminavit. Oppoſitum illis divinis myſteriis & revelationibus ſunt hæreſes. Prævidit Dominus partim hominum in judicio de opinionibus circa religionis negotium orituris præcipitationem, partim etiam animarum in imbibendis erroribus facilitatem. Itaq; cùm adverſus cætera peccata, quæ etiam ex lumine naturali dijudicari poſſunt, & ubi contra conſcientiam agunt homines, Magiſtratibus gladium dedit vindicem, & vim adigendi ad obſervantiam honeſtatis, in peccatis dogmaticis & erroribus circa religionis myſteria vim adhiberi vel gladium exerceri noluit. Ita hunc locum S. Patres tractant. Chryſoſtomus, quem in ea ſententia fuiſſe, *quod hæreticis nulla ſit vis inferenda*, fatetur hoc loco GUIDO PERPINIANUS, *homil.* 47. *in Matthæum*: Dominus, *inquit*, prohibet eradicare zizania, ne fortè ſimul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant, quod dicebat, ut bella & effuſionem ſanguinis prohiberet. Nam ſi trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit; altera, quia frumentis non parum nocerent; altera, quia niſi ſanarentur, extrema ſupplicia non evaderent. Quare ſi & puniri eos vultis, & frumentis nequaquam officere, oportunitas temporis congrua vobis expectanda eſt. Quid autem eſt, quod ait, *ne eradicetis ſimul cum eis triticum?* Certè aut quia ſi arma capietis, *inquit*, neceſſe eſt, cùm hæreticos trucidatis, multos ſanctorum ſimul interimere, aut quia ab ipſis zizaniis veriſimile eſt multos in triticum convertendos. Si ergo prævenientes evellatis, ea frumenta deperibunt, quæ à commutatis zizaniis provenirent. Non prohibet autem conciliabula hæreticorum diſſipare, ora obſtruere, libertatem loquendi concidere, verum interficere ac trucidare. *Et poſtea*: Parendum eſſe dicit zizaniis, quicunque una cum frumentis in agro ſunt, quia poſſunt in frumenti ſtatum commutari.

Si verò

Si verò hâc longanimitate Domini nihil lucrabuntur, & recesserint, tunc inevitabilis pœna eos necessariò excipiet. SIXTUS SENENSIS *lib. 6. Bibliothec. sanct. annotat. 6.* recitat aliqua ex S. Chrysostomi verbis, *& postea ait* : Hæc quidem Chrysostomi sententia, in qua cùm aliquando fuisset Augustinus, postea se eam mutasse testatur *in epist. 48. ad Vincentium Rogatianæ hæreseos assertorem sic scribens.* Mea primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne victos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus: sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primò opponebatur mihi civitas mea, quæ cùm tota esset in parte Donatistarum, ad unitatem catholicam timore legum imperialium conversa est: quam nunc videmus ita huius perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur, ita & aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac causa rectè posse intelligi, quod scriptum est; Da sapienti occasionem, & sapientior erit. *Hactenus Augustinus. Et postea* : Neque ab hac Augustini sententia discrepat Chrysostomus, sicut apertè ostendunt eiusdem verba, prædictis verbis præmissa, in hunc modum: *Dominus prohibet evelli zizania, ne fortè simul cum zizaniis herbam etiam tritici everta t. Decebat enim ut bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si tunc trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur.* Sic Sixtus S. Quicquid nunc sit de Augustini sententia, quem nonnunquam zelo religionis abreptum esse latius, nemo forsitan ibit inficias, attamen ad supplicium usque capitale & bellum procedere Magistratus noluisse, liquidum est. Ita enim *lib. 3. contra Cresconium cap. 50.* Nullis bonis in Catholica Ecclesia hoc placet, si usque ad mortem in quemquam hæreticum sævitur. *Epist. 127. ad Donatum Procons. de Donatistis* : Corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa illos negligi volumus, nec suppliciis, quibus digni sunt, exerceri. Et fatetur *R. Bellarminus Card. de Laicis III, 21. argum. 4. cum ait* : Augustinus retractat, quod aliquando senserat, non esse vi cogendos hæreticos ad fidem, & prolixè probat, id esse utilissimum. Semper tamen excipit supplicium mortis non quod illos hoc non mereri putaret, sed tum quia hoc decere Ecclesiæ mansuetudinem existimabat, tum etiam quia nondum extabat ulla lex Imperatorum, quâ hæretici juberentur occidi. Chrysostomi sententia si eadem est cum ea, in qua aliquando fuit Augustinus, Ergo omninò discrepat ab ea, in quam postea ille abiit. Anselmus Cantuariensis h. l. *Christus docet, non ita hominem constitutum in hac vita, ut possit esse certus, qualis quisque postea futurus sit, cuius errorem in præsenti cernit, vel quid etiam error eius conferat, ad provent um bonorum. Dicit ergo, non adhuc tales auferendos de hac vita, ne dum malos interficere conarentur, bonos interficerent, qui fortè futuri sunt, aut bonis obsint, qui etiam inviti fortè utiles sunt, sed tunc opportune fieri, cùm jam in fine non restat, vel tempus mundanæ vitæ, vel proficiendi ad virtutem ex alieni erroris occasione.* Ita Anselmus, qui licet postea concedat, à seculari potestate interfici posse hæreticum, communem

Sixtus Senensis notatur.

Augustinus explicatur.

tamen separationem eâ ratione faciendam esse negat. Theophylactus hoc loco: *Deus non permittit hæreticos bellis consumi, ne simul patiantur consumanturque justi.* Euthymius Zigabenus h. l. *Prohibuit Christus auferri hæreticos, ne simul etiam Orthodoxi auferrentur. Futurum enim erat, ut cædes & bella oriantur.* Confer & Cyprianum *epist. 51. & 52.* & Simonem Cassianum, *lib. 6. cap. 3. pag. 3.* Nemo itaque sanctorum bellum suadet ad restaurationem unitatis Ecclesiasticæ, omnes, si res eousque prolapsa sit, ut non aliter quàm inexplicabili bello res implicanda, abstinendum tradunt. Atqui eò jam res deducta est. Hæremus intricati ferè tricennali bello. Conflagravit pulcherrima pars Germaniæ. Incendium adhuc latè grassatur. Quis non hic dicet, *Sinite utraque crescere usque ad messem.* Dominus discernet zizania à tritico. Hic muscerda piper esse vult. *Volunt, etiam qui non sunt, simiarum more, quæ cum homines non sint homines tamen imitantur, Ecclesiæ Catholicæ autoritatem & veritatem sibi vendicare*, ut de Novatiani Cyprianus *epist. 73.* dixit.. *Faciunt favos & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionitæ*, ut ait Tertullianus *advers. Marc. 4. Cùm morbus plurimos occupaverit, nihil aliud restat, quàm dolor & gemitus. Itaque homo misericorditer corripiat, quod potest; quod autem non potest, patienter ferat, & ex dilectione gemat atque lugeat, donec ille desuper emendet atque corrigat, atque usque ad messem differat eradicare zizania & paleam ventilare*, uti suadet ex Augustino Thomas Aquinas, Doctor Cherubicus, *Comment. h. l.* Cogitemus illud Antonii Floribelli, quod extat *in orat. ad Germanos de concordia inter opera Card. Sadoleti, pag. 827. In cunctis temporum superiorum Conciliis [illegible] tantas res agitatas non fuisse, quot & quantæ res ætate nostra in controversiam sunt vocatæ, de quibus etiam, quod meminisse horret animus, ferro jam aliquoties, ferro, inquam, & instructis utrinque copiis, maxima hominum Christianorum strage, sed multò maiore Christiani nominis dedecore, acerrime dimicatum est. Quo [illegible] quid Sol unquam vidit indignius?* Et post: *Quanto est sapientia vestra [illegible] vobis gloriosius, excitatum incendium, antequam latius serpat, extinguere [illegible] mittere, ut vestris contentionibus augeatur, eaque paulò post tota conflagret [illegible] Germania? Quod quidem mihi credite futurum est, nisi cum fratribus [illegible] contentione & simultate depositâ in gratiam redeatis. Fratres enim & [illegible] vestri sunt, qui similitudine morum atque institutorum, qui religionis & [illegible] communione, qui omnis & divini & humani juris societate vobiscum junt [illegible] qui eundem, quem vos, in cœlo Patrem habent, qui denique eodem Christi sanguine in spem æternæ & cœlestis vitæ iterum sunt generati atque orti.*

Remissio compositionis rerum Germaniæ & Imperij ad Curiam Romanam [illegible].

Quod Ernestus illic ad Romanum Pontificem remittit, quem paterfamilias Maldonatus [illegible] contra veterum & recentiorum Interpretum consensum, qui dijudicare debeat, *utrum zizania toleranda, vel non?* non est ad [illegible] dum bonum publicum tutum. *Sic equidem*, inquit Advocatus Generalis in curia suprema Lotharingiæ & Barry *in disceptatione Iuridica super [illegible] communicatione serenissimi Lotharingiæ Ducis pag. 13. nomen Papæ altum sonat. Sed & hoc verum est, hoc eodem nomine compluries quæsitum, ut Maiestates imperiales &*

Catho-

Catholicæ personam & dominium Ducum diripiendum Galliæ, pretium pacis iniquissimum, relinquerent. Hoc eodem nomine Nuncii Bichius, Mazarinus, & alii Sanctitatis ipsius Ministri a longo tempore domus Lotharingicæ, tametsi oculos populi perstringere mire adniterentur, procurabant interitum: hoc eodem nomine Cardinalis Barberinus captata ex infortunio antiquissimæ & regiæ familiæ occasione, lubens suscitavit litigia adversus Principes propinquos & affines, ut honore & pro cathedra, quam Romæ, nemine unquam contendente aut excipiente, continuo possederat, deturbaretur: hoc eodem nomine Cardinalis Ginetti Legatus Coloniam missus ostendit propensiorem animum in Suecorum commoda & Protestantium, quam nostra, disertis verbis denuncians, quod suæ Sanctitas ad pacem communem articulos proponeret, Lotharingiæ restitutionem in nullo aut perquam exiguo momento collocare. Optime novi, Domini Ordines, vos testimonia istarum rerum non requirere; siquidem in partem regiminis adsciti non potestis ignorare, quid Legati Ducis Romæ, quid Hispaniâ, Angliâ, Viennâ, quid Ratisbonâ & Coloniâ pro fide sua retulerint? quid manifesta regnorum publicârint, quid hostes non potuerint tegere? Post signatam evidentiam inimicitiarum professarum supervacuum foret repetere, quod universo orbi innotuit, magno scandalo bonorum, scilicet tempore desolationis nostræ, cum ordo Ecclesiasticus Principis protectione orbatus à sancta sede auxilium speraret, illustris cuiusdam Ecclesiæ Lotharingiæ, quæ dotis & fundationis opimiores erant, partes discretas, non tantum ut alienigenæ contra leges sacras patriæ, sed & jurati hostes Ducis ius fruerentur: omnia beneficia, quæ à multis annis vacabant, ita prostituta contra jus electionis, ut boni & fidi incolæ posthaberentur, quorum zelus & amor in Principem, & patriam Romæ semper irregularitatis ferebant nomen, sicuti odium inimicorum characterem meriti. Si hæc & alia, quæ ad ordines Lotharingiæ auctoritate Principis differit Advocatus, Romæ aguntur, quomodo fortunas periclitantis Germaniæ in illius imperium resignabimus? Subscribimus alteri Lotharingo MARTINO MARLORATO, Procuratori Generali Barroducæo, qui *in tract. de orthodoxo & neoterico, seu Hugonotico baptismo cap. 2. fol. 8. ait: Si convincat hæreticus, certam esse viam, qua relicto errore ad rectam viam redire possimus, hæc non erit* unius hominis *doctrina, cum is errare possit in fide,* etiamsi Papali dignitate *fulgeat.* Sed quid opus est judicare de evellendis zizaniis doctrinæ per vim & per viam punitivam, cùm ipsa evulsio interdicta sit. Jam si divinum responsum est, eo modo non esse contra zizania procedendum, utique licebit modo saluberrimo de toto negotio disponere. Si aliter triticum servari & eius cultura promoveri non poterit, quam si de non evellendo & eradicando aliunde insito caveatur illis, qui zizaniorum nomine notantur, si aliter non possint tolerari, quam patrocinii publici jure, utique per dispensationem Salvatoris non recedendum erit a zizaniorum tolerantia. Potestas triticum opprimendi, aut tritico eradicato zizania plantandi per se paci illi non conjuncta est, in qua de ipsa libertate transigitur. Actiones oppressionis aut plantationis hostilis sequuntur beneficium compositionis, cuius dispensatio componentium arbitrio relinquitur.

IV.

Fundamentum.

Quod vasa sacra casu necessitatis alienari possint.

In casu necessitatis temporalia omnia potestati superioris subjacent.

IV. Argum. *Vasa sacra alienari possunt. Ergo etiam cedere in cæteris juribus & bonis in causa necessitatis evidentis possumus.* Respondet Ernestus ad prius, *id fieri posse, sed legitima autoritate, consequentiam non concludere posse a rebus mobilibus alienabilibus ad res immobiles. Prædia, pagos, oppida, seu ditiones Ecclesiarum, ad redimendam pacem hæreticis concedi non posse, quia simul per regulam alti seu meri imperii in imperio receptam concedi deberet jus in animas.* Reponimus ad 1. De legitima autoritate in casu necessitatis, quæ & penes quem sit, supra exposuimus. Et prudenter ponderandum est illis, quos in hoc negotio Pontificis Romani autoritas suspensos tenet, an repugnanti illi & Germaniam inter has flammas, [illegible] scentem redituum temporalium intuitu exaudire nolenti, in tantu deferendum sit? Ille enim procul à malis nostris & à sensu eorundem alienissimus, non intelligit necessitates nostras. Potest esse talis, qualis ANTONIUS MONTANUS, qui Cardinalis, adhuc Synodi Tridentini præses, *soluti ad omnem licentiam animi homo, cùm antiquæ consuetudinis sit, ut novus Pontifex galerum cui velit suum largiatur, eum juveni cuidam, cui Innocentio nomen, quique quia in familia simiæ curam gereret, Simiæ etiam post adeptam dignitatem nomen retinuit, cognomine etiam suo atque insignibus attributis donavit, quærentibus verò Cardinalibus, quod in [illegible] hominem ad tantam dignitatem evexisset, non inurbanè respondit* : Et vos, quid tandem in me meritorum comperistis, quem Christianæ reipublicæ Principem constitueritis? THUANUS *Histor. VI. pag. 181. & L. XV. pag. 453.* Potest [illegible] esse indolis, cuius Pius IV. qui, cum Cardinales ei ex neglecto Galliæ periculo [illegible] mum Romanæ sedi periculum imminere præsagirent, *Quid tum, inquit [illegible] urbis Episcopatum retinebimus, nihil ad victus lautitiam & fabricarum magnificentiam deerit.* Et addit: *Providere se, futurum, ut ob religionem regnum [illegible] rum se eius jacturam assi non facere.* THUANUS L. XXXII. pag. 152. Potest esse [illegible] qualem NICOLAUS CRASSUS *ICtus & Philosophus Venetus in Antiparænesi ad [illegible] Baron. Patavii Anno 1606. excusa pag. 9.* descripsit, cum ait : *Obstupescunt [illegible] pariter universus terrarum orbis summi Pontificis Pauli V. sensum & voluntatem [illegible] animarum curam a Christo Iesu præcipue sibi traditam & commissam negligentem [illegible] vosque omnes animumque in res terrenas atque caducas adeo intenderit, ut earum causa hominum salutem periclitari patiatur, & cum facili & benigna gubernatione eos omnes, qui vel a Christiana gubernatione penitus abhorrent, vel à recto tramite deflectentes, [illegible] quibuscunque artibus [illegible] ad rectam viam revocare, contra manibus ac pedibus obnixe contendere videatur, ut quos fovere debuerat, in sinu Ecclesiæ Catholicæ, vel natos vel iam pridem receptos, [illegible] summam injuriam exacerbati, alieniores tandem redditi ab ipso abstrahantur.* Potest

& esse

& esse erga bonum publicum eo animo', quem depingit ADVOCATUS DUCIS LOTHARINGI jam supra laudatus *in l. s. cpt. jur. p. 11.* scilicet *ministrorum libidine corruptum.* Pontificatum *a multis Ecclesia seculis, quantumvis felicem, ambitione propinqui aut libidine ministri alicuius perversi inconcussam non vidit.* Et post: *Ut verum dicam, optima mater Ecclesia iure nos socordia arguet, si honorem suum in eorum, qui ei male præsunt, turbulentis consiliis ignominioso destitueremus obsequio: imò læderetur, si justo hoc nostro dolore, quem sinister ille processus excitavit, putemus læsam. Verùm ut ipsa non tangitur, nisi ea ægritudine, qua videt suam gloriam profanarum contractu manuum marcessere, ita gratum habebit, ubi suam ab illorum causa sejunxerimus, universo mortalium generi clarum facturi, quod Ecclesia possit in medio corruptorum ministrorum absque macula consistere. Quod si eodem casu, quo sponsa in Cantico, obreptione aut vi Eam hodie è domicilio finibus juris sui dicundi scilicet extrahi contingat, ut imprudens in plateis erret & porticibus, huic nostro dominio quod facit imminens, Recordamini Domini ordines, eius custodiam vobis commissam, videte, ne vos aut timidos aut somnolentos offendat, sed advigilantes, armisque expeditis, non quidem ut verberibus & ignominia eam compingatis, quemadmodum illi alteri evenit, sed ut domum suam reducatis prorsus venerabundi.* Ab his affectibus, quibus etiam succumbere possunt summi Pontifices publicæ salutis restaurandæ moram tolerare, omninò summè iniquum esse, cordatus quisque censebit. Cùm in sinu habeamus flammam, qua Germania pessum it, tardum nimis est, ex Italia licentiam aquæ hauriendæ, qua eam obruamus, postulare. Quanta sit, etiam sacra periculo infundatur.

Id 2. negamus, *per regulam alti seu meri imperii concedi jus in animas.* Quod supra latius executi sumus. Nec forsan impertinens erit, indicare Ernesto, jam olim à Statibus Imperii contra protestatum fuisse, cùm accusabantur ab iis, qui Pontificem pro capite venerantur, quod suæ confessionis hominibus nullum domicilium, nullum patrocinium, nullum commorandi jus, sed potius emigrandi necessitatem imponant. Extat FRIDERICI IV. *Electoris Palatini*, ut jam alios prætereatn, hac de re diploma, sive programma, *in præfatione dedicatoria Gerhardi Vogelini ad libellum de Rectoribus Christianis Sedulii.* Ita autem se habet: Postquam Illustrissimus Celsissimusque Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus Comes Palatinus Rheni, S. R. I. Archidapifer, & Elector, Dux Bavariæ &c. de Christianorum quorundam afflictorum tribulatione ex certis nuntiis comperit, non solùm cuncta eorum ad vitæ huius sustentionem necessaria fortunarum commoda hincinde, ubi persecutionum hoc tempore perviget atrocitas, gravissimè periclitari; sed ipsos præterea cum conjugibus liberisque suis, non sine extremis incommoditatibus innumerisque detrimentis atque damnis, universaque adeò jactura & ruinâ rerum suarum, agris, domibusque ejici, & patriæ expelli: tum verò ab autoribus & artificibus eiusmodi persecutionum, tam Ecclesiasticis quàm Laicis, ad excusationem sui palliandam hoc prætexi nomine cœptum, quod simili prorsus ratione in Electorali Palatinatu, & a reliquis, qui

Status Imperii protestati sunt super accusatione de animis pace religionis turbatis.

 non

Botscajum facta, de qua idem videndus *pag.* 842. Primò omnium, *inquiens*, religio libera ubique sit, ea lege, quæ absque Comitiorum consensu in acta irrepserat publica ante biennium, sublata, absque tamen religionis Catholicæ Rom. detrimento, cui sua jura intacta & libera maneant. Salvam & ampliatam hanc Pacem habent Hungari denuò confirmatione articuli I. Posoniensis, A. 1608. & renovatione articuli ult. Posoniensis, An. 1622. art. 1. conditione 6. Sopron. 1622. & rursus art. 22. Sopron. 1625. Habet hoc Auctor Refutationis originis motuum Hungaricorum An. 1620. cum ait: B. 4. a. An. 1606. *concessa fuit in Viennensi Pacificatione libertas religionum magnatibus, nobilibus, civitatibus, confiniariis militibus Hungaris, oppidis privilegiatis, immediatè coronam spectantibus: nulla tunc plebi rustica, nulla oppidis ac villis dominorum libertas data: postmodum An. 1608. tempore coronationis Matthiæ II. extensa hæc libertas fuit ad pagos & oppida, adeoque ad plebejos etiam ac rusticos dominorum &c.* & B. 1. *Nec verum est, à Clero & Catholicis Vos turbatos fuisse in negotio religionis. Paßivè, vel, ut Iurista dicunt, defensivè sese Catholici habuerunt in omnibus, quæ de religionis negotiis versata fuerunt, controversiis. Conceßiones vobis factas non oppugnarunt: summam illam quidlibet credendi licentiam, cum legibus permissam viderent, non sine ingenti commiseratione pereuntium patienter & quietè tolerarunt &c.*

SECTIO V.

Argumenta initio ab Ernesto pro arbitrio collecta & pro pace religionis firmanda allata expenduntur & illustrantur.

I.

Fundamentum.

Quod Pax Religiosa ex se non sit illicita.

I. Argumentum.

PAx Religionis non est ex se illicita. E. potest rebus ita exigentibus sanciri. Respondet Ernestus: *Esse illicitam, demonstratum à se esse superius.* Reponimus: Ostensum à nobis esse, illas demonstrationes conscientiæ in ancipitio rerum fluctuanti, & hinc innumerabilium hominum perniciem & patriæ vastitatem, & Ecclesiarum desolationem, & vitiorum ad immane fastigium excrescentiam immanitatem, & futurorum eventuum incertitudinem perpendenti, illinc ad dandam libertatem & jus constituendæ religionis, cujus usurpatio conscientiis benè maleve utentium relinquitur, sollicitatæ, atque sic ad pacis restaurationem contendenti, non satisfacere. Præsertim cum sanctio pacis, & libertatis in religio-

religione constituenda relictio, neque indirectè neque directè hæresi, sub abusu illius libertatis introductæ, cooperetur, non magis ac Deus cooperatur vel directè vel indirectè introductioni peccati originalis, cum stabilit & roborat efficaci suo concursu bonum conjugale, & libertatem relinquit atque tuetur conjugialis copulæ: aut Moses dux populi Israëlitici cooperatus est illicitis & reprobandis penitus, imò jus naturæ impugnantibus repudiis, cum libertatem repudiandi concessit & abusum sub ea permisit. Imò longè minus, atque cooperatur Deus actibus malis, cùm, ex Dominicanorum sententia, hominem infallibiliter prædeterminat & præmovet ad illum aut illum actum sub talibus circumstantiis, sub quibus inevitabiliter peccaminosus fit ille actus, aut cùm Deus animam sine peccato creat & unit corpori, ex qua unione sine animæ culpa indubitatò sequitur eius inquinatio & conspurcatio. Quoniam etiam nullam Creatori aut veræ religioni injuriam infert; non illi, quia in rebus ad conscientiam hominis in materia fidei pertinentibus, ubi à solo lumine supernaturali dependet tota efficacia, tolerantiam divinam imitatur & exprimit: non huic, quia veritati non præjudicat, imò ad veritatem porrò vindicandam & discutiendam omnia subminicula atque incitamenta salva relinquit. Sed & animis corrumpendis eo ipso non dat occasionem, quia libertatem & defensionem pollicetur. Fluit ad hæc ex ea potestate, quam necesse est residere in republica, si magnæ & extremæ necessitates ingruant, qua etiam cum aliqua mutua singulorum detritione & jacturâ universitas servanda est, quæ est maximè architectonica & fundamentalis potestas. Insuper juramenta Cæsaris & Ecclesiasticorum Papæ & Ecclesiæ præstita non violat, quia illa juramnnta, quatenus temporalitatem, ut vocant, concernunt, non obligant contra rempublicam. Præterea nec justus est metus frustrationis, cùm tot vincuilis coitur ad publici egregii stabilimentum. Sed & nullam in se ostendit tantam turpitudinem, qualis est in mendacio. Tueri denique se potest exemplis Johannis Papæ, Patrum sanctissimorum monitis, factis laudatissimorum Cæsarum, Regum, Principum &c. Quocirca pax illa non solùm non illicita est, sed etiam amabilis. Cùm in universum *pax sit observanda ab omnibus*, ut dicit textus *cap. 1. extra de pact.* quia *est vinculum charitatis.* ut inquit Johannes Andreas, *in rubr. & cap. primò. extr. de treuga & pace.* Imò *est effectus ipsius charitatis*, juxta Thomam 2. 2. *art. 3. quæst. 29.* ut refert Corneus *consil. 185. fin. l. 3.* Et ideò favore pacis multa specialiter contra communes regulas conceduntur: ut pulchrè concludit Lud. Romanus *consil. 332. colum. ult. dub. 4.* quod & considerat Felinus *cap. quæ in Ecclesiarum. col. 22. vers. autem. de constit.* & Alexand. *post Angelum ibi ab eo relatum, consil. 136. colum. ult. vers. non obstat postremò. l. 1. & est textus singularis in cap. nisi essent, de prabend. quem ad hoc citat Felin. in c. ad audientiam. Conf. Catellian. Cottam Memorab. V. PAX.*

II.

Fundamentum.

Quod Deus etiam mala permittat.

II. Argum. Deus mala permittit. Ergo & hominibus licet imitari Deum. Respondet Ernestus : *Regiminis divini exemplum suffragari permissioni primi & secundi generis, non tertii. Nam etsi Deus peccata dissimulat ad tempus, & subinde impedit, ne contra sapientiæ suæ ordinem mala & mali intempestive tollantur, peccatis tamen nequaquam cooperatur. Neque enim ulli concedit impunitatem perpetuam, aut seclusio fine maioris boni: neque libertatem peccandi legibus confirmat, aut ad peccandum provocat vel impellit, neque vitia virtutibus æquat, vel eodem loco habet, nec quicquam cum peccantibus paciscitur, nihil præterea contra officium supremi Domini & Moderatoris Opt. Max. committit, cum naturæ rationali peccandi libertatem, quam liberam fecit, relinquit, ad bonum præmiis provocans, a malo suppliciis absterrens & nulla in re potestatem incompetentem usurpans. His conditionibus si Cæsar aut Status permittant hæresin, quam tollere non possunt, divinæ gubernationis exemplo recte se defendunt. Ex duobus malis minus eligendum esse, cum absque eligentis peccato fieri potest, & præstare aliquid, quàm omnia perdere, nemo sanæ & bonæ mentis ambigit vel negat. Si vero minoris mali electio fieri nequeat, nisi cooperando peccatis, usurpando jus non suum, violando officium, aut aliter peccando, lucrum mundi cum detrimento animæ non quæratur, & perdamus omnia, ut servemus Dei gratiam.* Reponimus; Ostensum jam esse, nullam hic esse cooperationem cum peccato, ad rat. 1. Non omnia impedimenta, grassanti errori efficaciter opponenda, hac pace tolli. Divina & extra controversiam posita pacis sanctione non esse sublata. Humana, consuetudine aut fallibili autoritate niti, quæ non semper uno modo sese habuerint; itaque sine conscientiæ violatione mutari possint. Etiam in disputatione apud sapientes versari, an belli continuatio inter ista piè recenseri possit. Non concedi impunitatem & immunitatem perpetuam, sed eam tantùm, quæ hominum vitæ cursu circumscribitur. Deo & foro Ecclesiastico interiori suum jus relinquitur. Exterior processus variabilis jam olim fuerat, & subinde remissior aut intensior. Pœnæ politicæ certis limitibus arctatæ, non semper eadem ratione dispensabantur. Unde hic orbis tranquillitati aliquid donari posse. Incertum esse, an maius bonum constanter defendi possit & servari, si restringimus libertatem. Perpendendum esse, quod postulata sit illa a violentis contra prætensos errores exemtionibus perennis immunitas. Neminem, si alicet possit, tam supplicantem fore, qui in transactionem descendat, si alter tam diu sibi non de non offendendo cavere velit, quamdiu maius suum bonum sperat aut minus suum malum timet. Libertatem & exemtionem legibus firmari, si ita poscimus; si quis libertate & exemtione ad errandum abutatur, non legis culpam esse, sed

esse, sed abutentis. Esse autem profectò in potestate Cæsaris aut Statuum, libertatis & exemtionis gradus constituere. Nullum tamen hîc esse impulsum, nullam ad errandum provocationem. Positam esse illimitatam & irrestrictam indifferentemq; illam libertatem. Non æquari vitia virtutibus. Personis duntaxat nullam vim inferendam esse, decerni, si arguantur hoc vel isto errore infectæ. Vitia erroresque manere in censu suo. Censuram autem eorum suspendi quadantenus, aut altiori judicio reservari. Refert Thuanus *lib. histor. CXXI. pag. 863.* in Regio Senatu, cùm perorasset pro edicto Nannetensi Coquuleius, & de sectariis ad dignitates admittendis difficultas invidiosè à multis nihilominus reponeretur, & exemplo in antiquitate carere diceretur, ab aliis quietiora consilia amplectentibus contra disputatum fuisse: *In huiusmodi causis multa tranquillitati publicæ semper condonata fuisse a prudentioribus. Nam cùm Manichæi, qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerant, Theodosii & Valentiniani Cæsarum constitutione civitatibus pellendi & ultimo supplico tradendi essent, alii autem hæretici prohiberentur magistratum gerere, & habere dignitates, aut fieri causarum patroni, vel defensores aut patres civitatum, & Iustinianus etiam sanxisset, neminem errore constrictum hæreditatem vel legatum, sive fideicommissum accipere, idque ad ultimas militum, sive commum jure, sive militari testarentur, voluntates porrexisset, severitati tot legum exemtos fuisse Gothos, quanquam Ariana peste essent infecti, quippe fœderatos, sicut & eos vocat Olympiodorus, qui, prout Imperatoriæ maiestati visum fuerat, quoslibet honores & dignitates ad ea consequuntur. Id ex constitutione Græca ad titulum Codicis de hæreticis & Manichæis, & Samaritanis ab Antonio Augustino viro optimo & doctissimo ICto addita constare.* Hæc Thuanus. Ad hæc Deum non versari in commercio & societate hominum. Homines autem inter homines versantes ad eas necessitates non rarò deduci posse, ut non attento peccato secum pacisci admittant, quos extra hunc rerum statum facile omissuri fuissent. Posito, paciscentibus ordinariè taliter paciscendi potestatem non competere, necessitati tamen hoc indulgeri, ut legitimè ea uti possint pro salute publica.

III.

Fundamentum.

Quod Christus Zizania noluerit evelli.

III. Argum. Zizania non evellenda *Matth. 13, 29.* Ergo pro pace Ecclesiæ etiam cognita zizania toleranda, quod infert Augustinus *contra Crescon. II, 30.* Duo respondet Ernestus. *1. Paterfamilias non prohibet absolutè, ne eradicentur zizania, sed ne id fiat cum periculo tritici. Id enim significat particula, forte. Periculo isto cessante, & alio urgente, ne zizania triticum lædant, non est expectanda messis, sed maturè oportet evellere. Neque huius rei judicium pertinet ad Principes, qui etiam servi sunt, sed ad patremfamilias, qui in terris non est alius, quàm Christi vicarius, sive* *Loc. Matt. 13, 29. dilucidatur.*

Pontifex

Pontifex Romanus. II. Vrgente licet periculo tritici, non aliam zizaniorum permiſſionem à patrefamilias injungi, quàm primi & ſecundi generis, quæ pœnam conniveat, & intempeſtive impedientes coërceat, non tertii generis, quæ cooperetur. Id verba apertè ſignificant, ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem; Non autem, ſpondete zizaniis abſolutam impunitatem, vel publici juris autoritate eos in agros recipite, vel facite poteſtatem triticum opprimendi, vel ipſi in gratiam zizaniorum illud eradicate, & zizania plantate, vel denique eodem pretio & loco utraque habete, & æquali curâ cuſtodite. Hæc omnia contra mentem cœleſtis Patris familias hæreticis à Catholicis ejuſmodi pacem ſancientibus ſpondentur. Reponimus, Erneſtum invertere textum divinum. Verba illa, *ne colligentes zizania eradicetis ſimul & triticum*, non ſunt limitativa, ſed rationalia: non, quando evulſio zizaniorum cum periculo eradicandi tritici conjuncta, omittenda eſt, ſed ideò omittenda eſt, quia ita ſeſe habet. Scilicet loquitur Dominus Jeſus (ut habet etiam Autor Reſponſ. ad Orthodoxos apud Juſtinum Martyr. *quæſt.* 1. *pag.* 307.) de peccato dogmatico, non autem de morali aliquo facinore alio, quo communitas læditur. De errantibus in fide, non de labentibus in vita diſponit. Sanè zizania ſunt oppoſitum ſemini, id eſt, verbo Dei, quod Chriſtus ex arcano Patris ſinu protulit, & in principio conſtituendi regni cœlorum diſſeminavit. Oppoſitum illis divinis myſteriis & revelationibus ſunt hæreſes. Prævidit Dominus partim hominum in judicio de opinionibus circa religionis negotium orituris præcipitationem, partim etiam animarum in imbibendis erroribus facilitatem. Itaq; cùm adverſus cætera peccata, quæ etiam ex lumine naturali dijudicari poſſunt, & ubi contra conſcientiam agunt homines, Magiſtratibus gladium dedit vindicem, & vim adigendi ad obſervantiam honeſtatis, in peccatis dogmaticis & erroribus circa religionis myſteria vim adhiberi vel gladium exerceri noluit. Ita hunc locum S. Patres tractant. Chryſoſtomus, quem in ea ſententia fuiſſe, *quod hæreticis nulla ſit vis inferenda*, fatetur hoc loco GUIDO PERPINIANUS, *homil.* 47. *in Matthæum*: Dominus, *inquit*, prohibet eradicare zizania, ne fortè ſimul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant, quod dicebat, ut bella & effuſionem ſanguinis prohiberet. Nam ſi trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit; altera, quia frumentis non parum nocerent, altera, quia niſi ſanarentur, extrema ſupplicia non evaderent. Quare ſi & puniri eos vultis, & frumentis nequaquam officere, oportunitas temporis congrua vobis expectanda eſt. Quid autem eſt, quod ait, *ne eradicetis ſimul cum eis triticum?* Certè aut quia ſi arma capietis, *inquit*, neceſſe eſt, cùm hæreticos trucidatis, multos ſanctorum ſimul interimere, aut quia ab ipſis zizaniis veriſimile eſt multos in triticum convertendos. Si ergo prævenientes evellatis, ea frumenta deperibunt, quæ à commutatis zizaniis provenirent. Non prohibet autem conciliabula hæreticorum diſſipare, ora obſtruere, libertatem loquendi concidere, verum interficere ac trucidare. *Et poſtea*: Parendum eſſe dicit zizaniis, quouſque una cum frumentis in agro ſunt, quia poſſunt in frumenti ſtatum commutari.

Si verò

Si verò hâc longanimitate Domini nihil lucrabuntur, & recesserint, tunc inevitabilis pœna eos necessariò excipiet. SIXTUS SENENSIS *lib. 6. Bibliothec. sanct. annotat. 6.* recitat aliqua ex S. Chrysostomi verbis, *& postea ait* : Hæc quidem Chrysostomi sententia, in qua cùm aliquando fuisset Augustinus, postea se eam mutasse testatur *in epist. 48. ad Vincentium Rogatianæ hæreseos assertorem sic scribens.* Mea primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne victos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus : sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primò opponebatur mihi civitas mea, quæ cùm tota esset in parte Donatistarum, ad unitatem catholicam timore legum imperialium conversa est : quam nunc videmus ita huius perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur, ita & aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac causa rectè posse intelligi, quod scriptum est; Da sapienti occasionem, & sapientior erit. *Hactenus Augustinus. Et postea* : Neque ab hac Augustini sententia discrepat Chrysostomus, sicut apertè ostendunt eiusdem verba, prædictis verbis præmissa, in hunc modum: *Dominus prohibet evelli zizania, ne fortè simul cum zizaniis herbam etiam tritici evertatis. Decebat enim ut bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si tunc trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur.* Sic Sixtus S. Quicquid nunc sit de Augustini sententia, quem nonnunquam zelo religionis abreptum esse latius, nemo forsitan ibit inficias, attamen ad supplicium usque capitale & bellum procedere Magistratus noluisse, liquidum est. Ita enim *lib. 3. contra Cresconium cap. 50.* Nullis bonis in Catholica Ecclesia hoc placet, si usque ad mortem in quemquam hæreticum sæviatur. *Epist. 127. ad Donatum Proconf. de Donatistis* : Corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa illos negligi volumus, nec suppliciis, quibus digni sunt, exerceri. Et fatetur *R. Bellarminus Card. de Laicis lib.* 3, 21. *argum. 4. cùm ait* : Augustinus retractat, quod aliquando senserat, non esse vi cogendos hæreticos ad fidem, & prolixè probat, id esse utilissimum. Semper tamen excipit supplicium mortis non quod illos hoc non mereri putaret, sed tum quia hoc decere Ecclesiæ mansuetudinem existimabat, tum etiam quia nondum extabat ulla lex Imperatorum, qua hæretici juberentur occidi. Chrysostomi sententia si eadem est cum ea, in qua aliquando fuit Augustinus, Ergo omninò discrepat ab ea, in quam postea ille abiit. Anselmus Cantuariensis h. l. *Christus docet, non ita hominem constitutum in hac vita, ut possit esse certus, qualis quisque postea futurus sit, cuius errorem in præsenti cernit, vel quid etiam error eius conferat, ad provectum bonorum. Dum ergo non adhuc tales auferendos de hac vita, ne dum malos interficere conarentur, bonos interficerent, qui fortè futuri sunt, aut bonis obsint, qui etiam inviti fortè utiles sunt, sed tunc opportunè fieri, cùm jam in fine non restat, vel tempus mundanæ vitæ, vel proficiendi ad virtutem ex alieni erroris occasione.* Ita Anselmus, qui licet postea concedat, à seculari potestate interfici posse hæreticum, communem

Sixtus Senensis notatur.

Augustinus explicatur.

tamen separationem eà ratione faciendam esse negat. Theophylactus hoc loco: *Deus non permittit hæreticos bellis consumi, ne simul patiantur consumanturque justi.* Euthymius Zigabenus h. l. *Prohibuit Christus auferri hæreticos, ne simul etiam Orthodoxi auferrentur. Futurum enim erat, ut cædes & bella oriantur.* Confer & Cyprianum *epist.* 51. & 52. & Simonem Cassianum, *lib.* 6. *cap.*3. *pag.*3. Nemo itaque sanctorum bellum suadet ad restaurationem unitatis Ecclesiasticæ, omnes, si res eousque prolapsa sit, ut non aliter quàm inexplicabili bello res implicanda, abstinendum tradunt. Atqui eò jam res deducta est. Hæremus intricati ferè tricennali bello. Conflagravit pulcherrima pars Germaniæ. Incendium adhuc latè grassatur. Quis non hic dicet, *Sinite utraque crescere usque ad messem.* Dominus discernet zizania à tritico. Hic muscerda piper esse vult. *Volunt, etiam qui non sunt, simiarum more, quæ cùm homines non sint homines tamen imitantur, Ecclesiæ Catholicæ autoritatem & veritatem sibi vendicare*, ut de Novatianis Cyprianus *epist.*73. dixit.. *Faciunt favos & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionitæ*, ut ait Tertullianus *advers. Marc.*4. *Cùm morbus plurimos occupaverit, nihil aliud restat, quam dolor & gemitus. Itaque homo misericorditer corripiat, quod potest; quod autem non potest, patienter ferat, & ex dilectione gemat atque lugeat, donec ille desuper emendet atque corrigat, atque usque ad messem differat eradicare zizania & paleam ventilare*, uti suadet ex Augustino Thomas Aquinas, Doctor Cherubicus, *Comment. h. l.* Cogitemus illud Antonii Floribelli, quod extat *in orat. ad Germanos de concordia inter opera Card. Sadoleti, pag.* 827. *In cunctis temporum superiorum Conciliis tot ac tantas res agitatas non fuisse, quot & quantæ res ætate vestra in controversiam sunt vocatæ, de quibus etiam*, quod meminisse *horret animus, ferro jam aliquoties, ferro, inquam, & instructis utrinque copiis, maxima hominum Christianorum strage, sed multò maiore Christiani nominis dedecore, acerrime dimicatum est. Quo spectaculo quid Sol unquam vidit indignius?* Et post: *Quanto est sapientia vestra* [illegible] *vobis gloriosius, excitatum incendium, antequam latius serpat, extinguere, quam permittere, ut vestris contentionibus augeatur, eaque paulo post tota* [illegible] *Germania? Quod quidem mihi credite futurum est, nisi cum fratribus* [illegible] *contentione & simultate depositâ in gratiam redeatis. Fratres enim & consanguinei vestri sunt, qui similitudine morum atque institutorum, qui religionis & sacrorum communione, qui omnis & divini & humani juris societate vobiscum sunt conjuncti, qui eundem, quem vos, in cœlo Patrem habent, qui denique eodem Christi sanguine in spem æternæ & cœlestis vitæ iterum sunt generati atque orti.*

Remissio compositionis rerum Germaniæ & Imperii ad Curiam Romanam nonsensa.

Quod Ernestus iste ad Romanum Pontificem remittit, quem patremfamilias Maldonatus facit contra veterum & recentiorum Interpretum consensum, qui dijudicare debeat, *utrum zizania toleranda, vel non?* non est ad salvandum bonum publicum tutum. *Sed equidem*, inquit Advocatus Generalis in curia suprema Lotharingiæ & Barri, *in disceptatione Juridica super* [illegible] *communicationum Serenissimi Lotharingiæ Ducis pag.* 12. *nomen Papæ altum* [illegible] *& hoc verum est, hoc eodem nomine compluries quæsitum, ut Maiestates Imperialis &*

Catholicæ personam & dominium Ducum diripiendum Galliæ, pretium pacis iniquissimum, relinquerent. Hoc eodem nomine Nuncii Bichius, Mazarinus, & alii Sanctitatis ipsius Ministri à longo tempore domus Lotharingicæ, tametsi oculos populi perstringere mire adniterentur, procurabant interitum: hoc eodem nomine Cardinalis Barberinus captata ex infortunio antiquissimæ & regiæ familiæ occasione, lubens suscitavit litigia adversus Principes propinquos & affines, ut honore & pro cathedria, quam Romæ, nemine unquam contendente aut excipiente, continuo possederat, deturbaretur: hoc eodem nomine Cardinalis Ginetti Legatus Coloniam missus ostendit propensiorem animum in Suecorum commoda & Protestantium, quam nostra, disertis verbis denuncians, quod sua Sanctitas ad pacem communem articulos proponeret, Lotharingiæ restitutionem in nullo aut perquam exiguo momento collocare. Optime novi, Domini Ordines, vos testimonia istarum rerum non requirere; siquidem in partem regiminis adsciti non potestis ignorare, quid Legati Ducis Româ, quid Hispaniâ, Angliâ, Viennâ, quid Ratisbonâ & Coloniâ propside suaretulerint? quid manifesta regnorum publicarint, quid hostes non potuerint tegere? Post signatam evidentiâ inimicitiarum professarum supervacuum foret repetere, quod universo orbi innotuit, magno scandalo bonorum, scilicet tempore desolationis nostræ, cùm ordo Ecclesiasticus Principis protectione orbatus à sancta sede auxilium speraret, illustris cuiusdam Ecclesiæ Lotharingiæ, quæ dotis & fundationis opimiores erant, partes discretæ, non tantum ut alienigenæ contra leges sacras patriæ, sed & iurati hostes Ducis iis fruerentur: omnia beneficia, quæ à multis annis vacabant, ita prostituta contra jus electionis, ut boni & fidi incolæ posthaberentur, quorum zelus & amor in Principem, & patriam Romæ semper irregularitatis ferebant nomen, sicuti odium inimicorum characterem meriti. Si hæc & alia, quæ ad ordines Lotharingiæ autoritate Principis differt Advocatus, Romæ aguntur, quomodo fortunas periclitantis Germaniæ in illius imperium resignabimus? Subscribimus alteri Lotharingo MARTINO MARLORATO, Procuratori Generali Barroducæo, qui *in tract. de orthodoxo & neoterico, seu Hugonotico baptismo cap. 2. fol. 8. ait: Si constaret hæreticus, certam esse viam, qua relicto errore ad rectam viam redire possimus, hæc non erit* unius hominis *doctrina, cùm is errare possit in fide,* etiamsi Papali dignitate *fulgeat.* Sed quid opus est judicare de evellendis zizaniis doctrinæ per vim & viam punitivam, cùm ipsa evulsio interdicta sit. Jam si divinum responsum est eo modo non esse contra zizania procedendum, utique licebit modo saluberrimo de toto negotio disponere. Si aliter triticum servari & eius cultura promoveri non poterit, quam si de non evellendo & eradicando aliunde insito caveatur illis, qui zizaniorum nomine notantur, si aliter non possint tolerari, quàm patrocinii publici jure, utique per dispensationem Salvatoris non recedendum erit à zizaniorum tolerantia. Potestas triticum opprimendi aut tritico eradicato zizania plantandi per se paci illi non conjuncta est, in qua de ipsa libertate transigitur. Actiones oppressionis aut plantationis hostilis sequuntur beneficium compositionis, cuius dispensatio componentium arbitrio relinquitur.

& esse erga bonum publicum eo animo, quem depingit ADVOCATUS DUCIS LOTHARINGI jam supra laudatus *in disc. pt. jur. p. 11.* scilicet *ministrorum libidine corruptum. Pontificatum a multis Ecclesia seculis, quantumvis felicem, ambitione propinqui aut libidine ministri alicuius perversi inconcussum non vidit.* Et post: *Ut verum dicam, optima mater Ecclesia jure nos socordiæ arguet, si honorem suum in eorum, qui ei male præsunt, turbulentis consiliis ignominioso destitueremus obsequio: imò læderetur, si justo hoc nostro dolore, quem sinister ille processus excitavit, putemus læsam. Verùm ut ipsa non tangitur, nisi ea ægritudine, qua videt suam gloriam profanarum contactu manuum marcescere, ita gratum habebit, ubi suam ab illorum causa sejunxerimus, universo mortalium generi clarum facturi, quod Ecclesia possit in medio corruptorum ministrorum absque macula consistere. Quod si eodem casu, quo sponsa in Cantico, obreptione aut vi Eam hodie è domicilio finibus juris sui dicundi scilicet extrahi contingat, ut imprudens in plateis erret & porticibus, huic nostro dominio quod facit imminens, Recordamini Domini ordines, eius custodiam vobis commissam, videte, ne vos aut timidos aut somnolentos offendat, sed advigilantes, armisque expeditis, non quidem ut verberibus & ignominia eam compingatis, quemadmodum illi alteri evenit, sed ut domum suam reducatis prorsus venerabundi.* Ab his affectibus, quibus etiam succumbere possunt summi Pontifices publicæ salutis restaurandæ moram tolerare, omninò summè iniquum esse, cordatus quisque censebit. Cùm in sinu habeamus flammam, qua Germania pessum it, tardum nimis est, ex Italia licentiam aquæ hauriendæ, qua eam obruamus, postulare. Quanta sit, etiam sacra, periculo infundatur.

Id 2. negamus, *per regulam alti seu meri imperii concedi jus in animas.* Quod supra latius executi sumus. Nec forsan impertinens erit, indicare Ernesto, jam olim à Statibus Imperii contra protestatum fuisse, cùm accusabantur ab iis, qui Pontificem pro capite venerantur, quod suæ confessionis hominibus nullum domicilium, nullum patrocinium, nullum commorandi jus, sed potius emigrandi necessitatem imponant. Extat FRIDERICI IV. *Electoris Palatini*, ut jam alios præteream, hac de re diploma, sive programma, *in præfatione dedicatoria Gebhardi Vogelini ad libellum de Rectoribus Christianis Sedulii.* Ita autem se habet: Postquam Illustrissimus Celsissimusque Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus, Comes Palatinus Rheni, S. R. I. Archidapifer, & Elector, Dux Bavariæ &c. de Christianorum quorundam afflictorum tribulatione ex certis nuntiis compertis, non solum cuncta eorum ad vitæ huius sustentionem necessaria fortunarum commoda hinc inde, ubi persecutionum hoc tempore perviget atrocitas, gravissimè periclitari; sed ipsos præterea cum conjugibus liberisque suis, non sine extremis incommoditatibus innumerisque detrimentis atque damnis, universaque adeò jactura & ruinâ rerum suarum, agris, domibusque ejici, & patriæ solo pelli: tum verò ab autoribus & artificibus eiusmodi persecutionum, tam Ecclesiasticis quàm Laicis, ad excusationem sui palliandam hoc prætexi nomine culpam, quod simili prorsus ratione in Electorali Palatinatu, & a reliquis, qui

Status Imperii protestati sunt super accusatione de animis pace religionis turbatis.

non sint Pontificii, Ordinibus, hi qui Romanæ religioni se devoverunt, domiciliis rebusque suis exuantur, & in exilium pellantur: Electoralis Celsitudo sua nequaquam ulterius connivendum ferendumve esse censuit, Clementiam suam commento in aliorum pericula prægravari, tamq; tetra calumnia passim traduci. In cuius rei fidem, & veritatis, ad quam propagandá nemo etiam non obstrictus est, certissimum testimoniũ Electoralis Celsitudo sua, publico hoc programmate universos cupit certiores fieri, recensitum modò prætextum illum nullo rei gestę fundamento niti: sed celsitudinem suam, quamdiu Electorali præfuerit gubernationi (quemadmodum nec de reliquis Statibus Ordinibusve Evangelicis aliter ipsa unquam compererit) tale quid adversus aliquem Pontificiæ religionis causa nec statuisse, nec in territoriis suis commissum nosse, neque verò etiam in posterum in animum suum inducturum esse, ut quàm latè Electoralis potestas sua pateat, ob religionem Romanam cum quopiam iniquè agatur. Persuasum quippe prægraves & enormes processus eiusmodi sacrosancto Dei Verbo & voluntati eius, charitati Christianæ, S. Imperii constitutionibus, inprimisque illi religionis ergo initæ & juratæ pacificationi non solùm non congruentes, sed etiam apertissimè esse contrarias. Quam ob causam Electoralem celsitudinem suam nunquam permissuram esse, subditos incolasve suos, qui quidẽ vitam honestam atque integram professi, æqualem eam ac parem verbis egerint, qui obœdienter, fideliter, pacificeque sub imperio fuerint, utut Pontificiæ religioni addictos, ullo exilii metu angi, ullis vitæ huius, quantum in se sit, ex animo transigendæ commodis à quoquam privari, aliove turbari modo, quo minus quieta omnium fortunarum suarum possessione plenè semper perfruantur; haud incertâ irritâve in omnibus Celsitudinis suæ spe, Deum Omnipotentem, qui unos bene mane, alios sero vespere ad cognitionem sui convocat, & à quo solo omnia bona dona desuper veniunt, ignaros adhuc, nec dum conscios voluntatis suæ atque errantes salvifica etiam fide veritatisque notitiâ, quo primum ipsi placuerit momento, ex gratia & misericordia illustraturum. *Datum Haidelb. Cal. Iul. Anno Christi* 1608. Itaque animabus libertatem ista transactio, non jus accersit deficiendi. Aliàs de immobilium rerum Ecclesiæ non alienationis licentia vide differentem Guil. Redoanum *D. R. E. N. A. quæst. 12. per tot.*

V.
Fundamentum.

Quod Ecclesiasticorum obligatio & fundatorum intentio pacem requirat.

V. Argum. *Ecclesiasticorum obligatio & fundatorum intentio ad religionis conservationem vel maximè tendit. Si igitur pax aliter obtineri nequit, nisi cessione bonorum Ecclesiasticorum, eam recusare non debent.* Respondet Ernestus: *Episcopos aliosq-*

aliosque Ecclesiasticos obligationi suæ & fundatorum intentioni satisfacere, si legitima autoritate & causa exigente thesauros Ecclesiarum partemque fructuum promte & liberaliter in subsidium religionis & imperij conferant. Ad Ecclesias verò & animas hæresi ac diabolo tradendas seu prodendas, salva obligatione & fundatorum intentione in id consentire non posse. Reponimus: Jam responsum esse ad ista omnia. Quia verò fundationi tantopere inhæret, audiamus, quo pacto fundationis legibus Pontificij inhæreant. P. Gregor. Tholozan. de Repub. lib. XIII. cap. XVII. num. 6. 7. 8. 9. satis prolixè contra fundatorum neglectum perorat & abusus turpissimus notat. Abutuntur, *inquit*, personæ Ecclesiasticæ bonis in conservatione, quando fructus eorum non expendunt juxta intentionem & legem fundationis beneficiorũ, vel donationis bonorum, sed vel in suos usus conservant, vel parentibus proximisq; aliisque personis elargiuntur (de quibus non cogitarunt largitores) imò aliquando in aliis negotiis, quam Christi no dignis consumunt. Arguuntur ut sacrilegi, qui habentes, unde possint ex patrimonio vivere, sibi beneficiorum Ecclesiasticorum usum reservant. *Clericos*, ut scribit Damaso Papæ D. Hieronymus, *illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur. Qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiant, sacrilegium pro facto committunt, & per abusionem talium judicium sibi manducant & bibunt.* Refertur *& in c. fin. 6. quæst. 21. Can. Clericos. 1. q. 2.* docetur & *in d. c. fin.* quod quicquid habent Clerici, pauperum est, & quod domus illorum jure hospitalitatis debeant esse communes. Bona Clericorum etiam esse pauperum dicitur *in c. conventor. 23. q. 8.* nempe pauperibus tempore necessitatis distribuenda, *cap. sunt hi. 47. dist.* ut res Ecclesiæ. *c. quod autem 23. q. 7. c. aurum Ecclesia habet. 12 q. 2.* ut & patrimonium Christi, *c. cum ex eo, de electio. in 6.* & religionis: *in l. jubemus nulli. 14. de sacrosanct. Eccles.* imò Constantinus *in l. 2. C. de Episcop. & Cleric.* cum indulget rebus Ecclesiæ privilegia ab exactionibus, addit rationem huic causæ accommodam: *Si quid enim*, inquit, *vel provisione vel mercatura, honestati tamen conscia, congesserint, id in usum pauperum atque egentium ministrari oportet.* Posset tamen tolerari usus Ecclesiasticorum bonorum in Clericis pro victu, vestitu & moderatis in res necessarias expensis, sed magis in [illegible] Magis damnandus abusus profusionis horum bonorum in accipitres, canes, apparatus equorum, & curiæ, & in sumtuosas operas, quæ omnia damnantur *in cap. cum Apostolus. lib. 6. de censib.* Quia & ipsa venatio, & canes & accipitres vetantur cum maximis pœnis personis, Ecclesiasticis, maximè Episcopis *cap. 1. & 22. de Clerico venator. libr. 5. titul. 24. Can. quorundam. 34. distinct.* ubi & contumax Episcopus in relinquenda venatione excommunicatur, & [illegible] à ministerio ejicitur. Damnabilis illa voluptas venationis in Clericis, qui [illegible] & contemplationi studiisque sacrarum literarum & pietati jugiter intentos esse debent. Sed eo damnabilior, quod bona Ecclesiæ & fame pereuntium [illegible] impinguent, quod labentibus ædificiis sacris, cultu divino diminuto, subtractis alimentis & stipendiis Clericis, divitiæ impiis & nihili hominibus

Tholozan. de abusu bonorum Ecclesiasticorum.

nibus venatoribus dico, *c. Eſau. 86. diſt.* concedantur. Qui venatoribus donant, non homini donant, ſed arti nequiſſimæ. Nam ſi homo tantum eſſet, & venator non eſſet, non donares: honoras in eo vitium, non naturam, *ut ait D. Auguſt. in Pſ. 102. ad verſ. faciens miſericordias, relatus in cap. qui venatoribus* 8. *& ſeq.* 86. *diſtinct.* Et rurſum *in Pſal. 147. & in c. qui vident.* 10. *eadem 86. diſtinct. Qui vident venatorem, & delectantur, videbunt Salvatorem & contriſtabuntur.* Quare abuſus profuſionis in venationem habet peccata, profuſionem pecuniæ præter intentionem fundatorum, ſacrilegium, quia bona Eccleſiæ: impietatem, ratione artis damnatæ & tranſgreſſionem, ratione prohibitæ venationis Eccleſiaſticis. Quibus dictum eſt à Chriſto: *Faciam, ut ſitis piſcatores hominum, non venatores beſtiarum.* Sumptuoſæ epulæ habent ſacrilegium quoque & abuſum in ſuperflua, ſubductis neceſſariis pauperibus & cultui divino: & delictum eſt perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ voluptuosè & contra vitæ ſuæ decus & modum vivit, ſeque quodammodo ipſum ad luxuriam & mundi perniciem impellit. De quibus judicium eſt D. Hieronymi *ad cap. 2. in Micheam relati in c. 4. Eccleſiæ principes. 34. diſtinct.* cujus hæc verba: *Eccleſiæ principes, qui deliciis affluunt & inter epulas atque laſcivias pudicitiam ſervare ſe credunt, propheticus ſermo deſcribit, quod ejiciendi ſunt de ſpatioſis domibus lautiſque conviviis, & multo labore epulis conquiſitis: & ejiciendi propter malas cogitationes & opera ſua: & ſi vis ſcire, quo ejiciendi ſunt, Evangelium lege: in tenebras ſcilicet exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium. Annon confuſio & ignominia eſt, Ieſum crucifixum magiſtrum pauperem atque eſurientem, fartis prædicare corporibus, jejuniorumque doctrinam, rubentes buccas, tumentiaque ora proferre. Si in Apoſtolorum loco ſumus, non ſolum ſermonem eorum imitemur, ſed converſationem quoque & converſationem amplectamur.* Hæc ibi Hieronymus. Quæ verba certè rubicundiores galero vultus primorum & aliorum ordinum Eccleſiaſticorum, præ pudore & confuſione, reddere poſſunt. Si nolint reſipiſcere, nec putent hoc ſine ſcandalo fidei Chriſtianæ, populique fidelis eſſe, quod omnium oculis, cum latere non poſſit, ſubjicitur. Et quamvis qui talia agunt, judicium ſuum procul dubio portabunt; adhuc tamen exemplo ſuo inferioris ordinis Clericos turbantes, vel à regula & diſciplina benè vivendi dimoventes expectare debent à Deo durius judicium & ſeveriorem condemnationem. Nonne dignum hoc erit reformatione, vidiſſe vilem quendam ante Clericum, ad dignitatem Eccleſiaſticam promotum, qui vix antea in domo paterna pane ſaturabatur furfureo & aqua, nunc ita ſplendidè vivere, ut ſeculares principes aulaſque regum æquet: quaſi verò Eccleſiæ data ſint bona eam ob cauſam, ut adipem Epiſcopi & ſervorum ſuorum ſuorum mollitiem nutriant: aut quaſi Eccleſia eſſet Epicureorum collegium. *Quibus tegamur & vivamus, contenti eſſe debemus*, inquit D. Paulus 1. *ad Tim. 6.* v. 8. Debent nutriri plures Clerici & perſonæ Eccleſiaſticæ cum Epiſcopis, digne tamen, & quibus ad verbum Dei diſſeminandum uti poſſit, ſed illæ etiam cum Epiſcopis honeſtè, parcè, non ad voluptatem nutriendæ. Epiſcopus ex paupere factus, non mutat inteſtina, ut pluribus eſcis, aut delicatioribus, quam antea

indi-

indigeat, nec etiam, qui cum eo ſunt, lautius penes Epiſcopum expenſis pauperum, quam penes ſe ipſos vivere expetere debent. Et ſi in vinea Domini laborent, non debent remunerationem in vili cibo petere, ut Eſau, Geneſ. 25. ſed idoneo victu, ad levandam famis neceſſitatem contenti, à Domino expectare mercedem & præmium. Quod ſi mihi quidam Epiſcopi objecerint, quod ex nobili illuſtrive proſapia orti fuerint, & aliqui ex regum ſemine, & oportere illos domus ſuæ ſplendorem retinere in famulitio & victu ſplendido. Reſpondet Eccleſia, *ſuis impenſis primum illos idipſum facere debere, ſi tanta ſeculi adhuc voluptate detineantur; ut pluris faciant inanis mundi gloriolam, quam veram, cui ſe manciparunt perſonæ Eccleſiaſticæ, in quorum albo ſe deſcribi voluerunt. Si divitiæ in Eccleſia ſunt, ſi Comitatus, Ducatus, & ſimilia, ea certè Eccleſiæ addita ſunt, ad ſplendorem domus Dei, ex gratitudine Principum, non autem ad mutandam aut deſtruendam formam diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſed potius ad eam retinendam, augendum cultum divinum, ad benefaciendum pluribus meritis & indigentibus piis. Nec honor eſt, imò dedecus Eccleſiæ, habere propoſitum, quo non regulis Eccleſiaſticis velit ſubjici, ſed velit ſeculari modo vivere. Vileſcit ſpiritualis dignitas cuipiam commiſſa exercenda loco Dei, ſi ſe ad temporalia curanda & potius colenda demittat. Non enim retinet honorem, cuius perſonam gerit.* CHRISTVS *non elegit multos nobiles, aut inter ſeculares præſtantes, ſed ignobiles, ut fortia quæque confunderet, & doceret reipſa, ſe non egere auxilio mundano ad fidem ſuam ſeminandam & conſervandam, niſi quatenus illud vocat & diſponit, cum poſſit ſuæ Eccleſiæ rector & conſervator ſufficere ſine humana illa vanitate & extollentia inani, quæ plus eſt Eccleſiæ ſcandalo, quam ædificationi.* CHRISTUS & ejus diſcipuli, Apoſtoli, & poſt eos pluribus ſeculis præpoſiti, habuerunt quidem loculos & bona, ſed tamen pauperem vitam voluntariam & frugalem gerebant, & verè, niſi Eccleſiaſtici redigantur ad eandem, conſervatis nihilominus in Eccleſia bonis, & ſi fieri poſſit in ea, quibus deſtinantur, impendendis, futurum vereor, ne ſtatus Chriſtianæ fidei indies magis ab improbis & hæreticis, inde occaſione ſumta, impugnetur, quamvis expugnari nunquam poſſit, utpote firmæ & inviolabili petræ innixæ. Scio quidem, hæc quæ dico, non omnibus grata fore. At parcant, obſecro. Non enim ad ſingulorum opiniones ſcribendum eſſe ipſi norunt, propoſui & mihi veritatem ante oculos & Dei honorem. Quod ſi me exiſtiment non omnia, & cauſas, ob quas aliter vivatur hodie, quam vivendum cenſeam, fuiſſe aſſecutum, parcendum quoque mihi putent, meliora ſi mihi occurriſſent dicturo. Cupio de me id arbitrentur, quod teſtor coram Deo veriſſimum, eam mihi ineſſe conditionem, & permittant dicere, ſcribendi conſuetudinem, ut nunquam odio vel invidia cujuſquam in univerſum, vel in ſingulari ſcripſerim, aut malitioſè. Fallique tamen aut errare me poſſe, nunquã negaverim. Et ſi de rebus, quæ non forſan conveniant ſecundum eorum ſententiam, voluerim dicere, recordentur, quandoque olitorem opportunè verba locutum, & quod ſpiritus Domini, ubi vult, ſpirat. Jacuit aliquando ſtatus Eccleſiæ ſub negligentibus præpoſitis, hoc negari non poteſt, ſed vexatio dedit

 intel-

intellectum, permisit Deus perpetuò Ecclesiam habere adversarios, ut magis sollicitè suo muneri præpositi vacarent, & à somno suscitarentur, & sat scio ingenia multorum Prælatorum, quæ aliquando vivendi modum vulgarem sequuti sunt, ad disciplinam Ecclesiasticam pervenisse, & nihil prohibet, quin & reliqui, si velint, id ipsum faciant: judicium ultimum recogitantes, in quo reddituri omnes, cujuscunque dignitatis sint, rationem, de his quæ fecerint, vel facere debuerint. Scio, plures illustrissimos Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos & alios Prælatos summa cum laude regere populum sibi commissum, quamvis dignitate seculari & apparatu splendido utantur extrinsecus. Quare & digni sunt laude qui ita inter seculi delitias possint munere suo fungi. Nec quemquam reprehendo. Cæterum permittent, me illud adjicere, futurum, ut meliores & sanctiores sint, si ea, quæ perfectionem Ecclesiasticam impediunt & obtenebrant, quæve possunt esse scandalo, circumcidant & reforment, & sumtus illos in utilitatem Christianæ Reipublicæ impendant. Vident hæresibus regna vexari: vident Turcam fines Christianorum invadere: vident Clericos in opprobrium Cleri mendicare, vident pupillos ope carere, pauperes fame mori, virgines quod non habeant unde nubere possint, se prostituere studiosis ob penuriam. Quæ omnia, si auxilium ab iis ex superfluis & in luxum impensis aliquod caperent, certissimè coronas & remunerationes apud Deum sibi acquirent in æternum permansuras: non sufficit illis, quod boni sint, nisi & meliores sint. *Estote perfecti*, inquit Deus, & non proficere in via, deficere est. Morituri, sat certum habent, se omnia relicturos, vanam hanc gloriam extinguendam, in terram prosternendos, non secus ac pauperes ac inopes, escam vermibus futuros, corrumpendosque. Si autem quippiam gesserint, quod Deo gratum fuerit, hoc in æternum permansurum; *opera enim illorum sequuntur illos*. O quantò major est gloria æterna, quam gloriola hæc momentanea, quæ omittenti Dei opera, est potius dedecus & condemnatio, quam gloria. Quod si quis sit, qui differat hæc superflua rejicere & reformare, quod vereatur corrupti populi irrisionem, ut potest persuadere Dæmon, qui delectatur nostra damnatione, & Ecclesiæ vituperio; consideret quæso, non esse verendum à gloria in majorem gloriam conscendere, & imperfectiorem vitam consideret, quanto major erit confusio in die ultimo & generalis judicii, quando coràm omnibus hominibus utriusque sexus, Deo, Angelis & Dæmonibus, manifesta erunt delicta, quæ nunc coràm paucis emendare nolumus. Consideret item, quod per electionem vitæ præstantioris Ecclesiasticæ, jam valedictum seculo, *neminem Deo, & Mammonæ servire posse. Nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, si omnibus placeat, animæ autem suæ detrimentum patiatur*; Reprobatos plures, *quod dilexerint magis gloriam hominum, quam Dei*: finem, gloriam hominum, eumque sæpè citissimum habere, at Dei gloriam aut mortem æternam, in æternum permanere debere, multa testimonia hic ad hanc sententiam conjungere possem, sed quia peritioribus & præceptoribus sapiens loquor, sufficit hoc omnium solam cujusque conscientiam in medium proferre.

ferre, ut excutiant. Sed rursus recordabuntur, si placet, & inquirent, ne sint ex pastoribus, quos sacra pagina maledixit ex sententia Dei per Zachariam pronunciata, cap. 11. v. 4. & seq. *Hæc dicit Dominus Deus meus, pasce pecora occisionis, quæ, qui possiderant, occidebant, & non dolebant, & vendebant, dicentes: Benedictus Dominus, divites facti sumus, & pastores eorum non parcebant eis. Et ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus. Ecce ego tradam homines unumquemq; in manu proximi sui, & in manu regis sui, & concident in terram, & non eruam de manu eorum &c.* Magna ibi est comminatio, quæ levis non considerantibus videtur, ut pro castigatione pastorum Ecclesiæ, det Deus eos in manu regis sui, h. e. ut Ecclesiæ bona committat solicitudini regis & potestati laicali. Non enim aliud remedium videtur, quando personæ Ecclesiasticæ abutuntur bonis Ecclesiasticis, & in alios usus, quam destinata fuerunt, quam ut cura & solicitudo principis ad ipsum illos cogat. Debent enim hoc Christiani Principes sanctæ Ecclesiæ matri, ut quemadmodum religionem, sic & patrimonium ejus tueantur, & conservent etiam gladio temporali contra usurpantes. Exemplum 4. *Reg. c.12.* ubi Joas Rex Israël permisit Sacerdotibus pecuniam Sanctorum, quæ illata erat in templum Domini à prætereuntibus, quæ offerebatur pro pretio animæ, & quam sponte & pro arbitrio cordis sui inferebant in templum Domini, accipere, juxta ordinem suum, ut instaurarent sarta tecta domus, si quid necessarium vidissent instauratione. Cum autem usque ad vigesimum tertium annum non instaurassent sarta tecta domus Templi, vocavit Rex Joas Jojadam Pontificem & Sacerdotes, dicens eis: *Quare sarta tecta non instauratis templi? Nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi reddite eam:* prohibitique ultra Sacerdotes accipere pecuniam, & præsente & scribente Scriba Regis, à Pontifice numerabatur postea pecunia operariis & instauratoribus templi. Hoc ipsum Ecclesiastica jura probabunt, ut in Concilio Toletano *9. cap.1. & in cap. filiis 31. sub 16. quæst.7. Filiis,* inquit, *nepotibus vel honestioribus propinquis ejus, qui construxerit, vel ditaverit Ecclesiam, licitum sit hanc bonæ intentionis habere solertiam, ut si sacerdotem seu ministrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honestæ conventione compescant, aut Episcopo vel Iudici corrigenda denuncient. Quod si talia Episcopus agere tentet, metropolitano eius hæc insinuare procurent. Si autem metropolitanus talia gerat, regis hæc auribus intimare non differant.* Facit *cap. constitutum 60. in fin. 16. quæst. 1.* Permittunt & Canones, Regem eum posse corrigere, quem Judex Ecclesiasticus corrigere non potest, *cap. petimus 11. quæst. 1. cap. nec licuit. 17. quæst.* vel quando etiam judex deest vel negligens est. *cap. ex transmissa de foro compet.* cum aliter adiri regulariter pro Ecclesiasticis secularis judex nequeat. *cap. placuit. cap. ut quisquis. 11. q.1. cap. at si Clericus. de ju. &c.*

Hæc Tholosanus & plura alia prudenter & cordatè.

VI.
Fundamentum.
Quod necessitas faciat omnia communia.

VI. Arg *Necessitas facit omnia communia. E. bona temporalia obstare non debent, quo minus pietati & honestati pax detur.* Respondet Ernestus: *Bonorum temporalium divisionem & appropriationem ex jure humano procedere, non autem curam animarum. Quare necessitas illas communes non facit, ut cum pagis, prædiis, oppidis in discrimen fidei & salutis conjici possint. Neque jura religionis & Ecclesiæ, quibus subditi & bona Ecclesiarum subjiciuntur, potestas secularis intra sphæram suam continet, ut adeò in illum recidere non possint, sub qua nunquam fuerunt.* Reponimus. De animarum jactura & Ecclesia ipsa non agi pacis illius sanctione, ut exinde aliquid depereat. De potestatis circa Ecclesiastica bona sphæra, jam supra actũ esse. Quod jam olim transactionibus & cessionibus bonorum Ecclesiasticorum parum profectum est, ut conquestum esse Matth. Tympium, ait Ernestus, eò referendum esse censeri posse videtur, quod in illa cessione perpetuæ lites obversatæ fuerint, quæ fructum omnem suffocarunt. Sic & in Pacis Pragensis sanctione contigit: de qua igitur jam melioribus cogitationibus & conclusionibus firmanda, nolumus disputare. Aliàs annotari possent, quæ nonnihil indicarent, non in cessionibus factis, sed aliis in recessibus fuisse infortuniorum in cunabula.

VII.
Fundamentum.
Quod absq; remedio eiusmodi transactionis omnis pax desperanda.

VII. Arg. *Absque hoc remedio pax desperanda.* Ita jam olim Imperatores, Reges, Archiepiscopi, Electores, Episcopi, Principes, & alij, toto orbe cordatè prudentes censuerunt. Quemadmodum jam supra latius. Respondet Ernestus: *neque cedendum esse Ecclesiasticis cum læsione conscientiæ, neq; pacem desperandam Germaniæ. Quam enim mundum dare non potest, aut non vult, Deus dabit, si magna divini auxilij fiducia quæramus in primis regnum Dei & justitiam eius. Vel enim concedet victoriam de hostibus, vel animos inflectet ad pacem non iniquam, si ab eius legibus deflectere, eius patrimonium ac honorem prodigere cessemus.* Addit exemplum Victoriæ miraculosæ Cæsareanis concessæ, *dum in bonorum Ecclesiasticorum cessione hæsitare cœperunt*, cladẽ Gallo-Vinariensiũ propè Duttlingam. Reponimus I. promissionem pacis aliter, quam per prudentiam politicam & media cœlitus præscripta, dandæ, nullã adesse. Nec eos, qui Pontifici R. adhærent, huc usq; causæ communis stabiliendæ pacis debitam impendisse diligentiam. Pleriq; consulunt totius ordinis Ecclesia-

clesiasticis reformationem. Ad Conzen de pac. c. 9. p. 481. vocat rem summè necessariam, sine qua pax nulla unquam constituetur, constituta non perdurabit. Pertexit idem negotium c. X. ubi p. 499. inquit: *Abusus ille jamdudum Ecclesiam afflixit, & familias nobiles evertit, dum malis artibus opes Ecclesia compararunt, quas deinde justo Dei judicio cum propriis amiserunt.* Sed hîc summũ otium. Et in his rerũ turbis aula Romana ad reformationem tot annis, imò seculis postulatam adigi nequit. Quid igitur? Ideóque pax negligenda? Vide Henrici M. Galliarum Regis verba superius exarata. Notemus & illud, illum flexum animorum ad pacem pertinere ad particularem gratiam, qualis est gratia efficax, quæ est vel ex prædeterminatione Dei, quod Dominicanæ familiæ, vel ex alta atque secreta vocatione, quod Bellarmino Cardinali & sequacibus arrisit. II. Miracula miraculis opponi, si id, quod fortuitò contingit, & belli quodam errore, inter miracula recensere fas sit. *Augustinus* prudenter de civit. Dei cap. 23. *Non magni pendamus terrenam felicitatem, quæ malis etiam plerunque conceditur, nec eam rursus quasi malam arbitremur, cùm etiam in eam multos bonos ac pios unius Dei cultores præpolluisse videamus.* Et de Civ. Dei XIIX, & 54. *Ambæ civitates (terrena & cælestis) terrenis vel bonis pariter utuntur, vel malis pariter affliguntur, diversa fide, diversa spe, diverso amore, donec ultimo judicio separentur, & percipiat unaquæque suum finem, cuius non est finis.* Donec pendemus ab ancipitibus illis eventibus, pendemus in belli periculis. Judicent cordati, an in conscientia tuti sint; qui affulgentibus feliciorum successuum radiis intenti, & aliquâ spe multiplicandi exercitus lactati, & in adversa parte observatis aliquibus peccatis militaribus læti, sanguinis Christiani prodigalitatem sistere negligunt.

VIII.

Fundamentum.

Quod bona sit paciscentium intentio.

IIX. Argum. *Bona intentio. Cæsar & Status optimâ intentione conservandi religionem eiusmodi pacem sanciunt. Mala autem per accidens evenientia aut hæresis promotionem vel approbationem nequaquam intendunt. Non ergo in ea remagis peccant, quàm bellum justum aliaque gerendo, cum quibus per accidens & præter intentionem multa scelera aliaque mala conjunguntur.* Respondet Ernestus: Pacem de se illicitam esse, ideoque bonâ intentione cohonestari non posse. Bello adjuncta mala non solùm per accidens habere sese ratione operantis, sed etiam respectu operationis, quæ ex se bene fieri potest. Pacem in Imperio à Protestantibus desideratam sancire, esse ex natura actus & objecti cooperari hæresi. Sed id supra discussum est.

IX.
Fundamentum.
Quod pacis religionis dentur in Antiquitate exempla.

IX. Argum. Exempla: *S. Iohannes Papa I. urgente Theodorico Rege Italiæ Ariano libertatem religionis pro Arianis à Iustino Imperatore petiit, teste Anastasio in Iohan. S. Athanasius, teste Sozomeno, III, 19. instante Constantio Imperatore Arianis Ecclesiam Alexandriæ concedere paratus fuit. Concilium Basileense concessit Bohemis, ut Basileæ in suis hospitiis divina celebrarent. Christiani Imperatores olim sæpius ejusmodi libertatem religionis concesserunt. Ferdinandus I. & alii Catholici Principes transactionem Passaviensem Anno 1551. & pacem religionis Anno 1555. sanxerunt. Eam Petrus Canisius cum aliis e societate Iesu Anno 1566. probavit, & Legato Apostolico, ne obsisteret, persuasit, ut fertur in eius vita eodem anno. Ferdinandus II. Pacem Pragensem in 40 annos ex Theologorum consilio jam pepigit. Accedit tolerantia Iudæorum, & permissio usurarum & lupanarium. Contraria sententia infaustos sæpe exitus habuit tum alibi, tum in Germania, quando Anno 1630. pax à Theologis impedita fuit, ut non dissimilis videatur consilio, quod Roboamo dederunt juvenes 3. Reg. 12, 10.* Respondet Ernestus ad singula. De Johanne Papa repetit, quæ supra rat. 8. §. 2. disseruit, ubi & nos in errore Ernestum deprehendimus.

Athanasii exemplum vindicatur. §. 1. De S. Athanasio respondet: *S. Athanasius Constantio viribus impar dixit, se Arianis templum Alexandriæ daturum, cum præsertim maius bonum inde speraret, si vicissim pro Catholicis templum Antiochiæ obtineret, quod advertentes Ariani permissionem templi Alexandrini libenter remiserunt. Nec si hæretici ex aliqua urbe penitus expelli nequeant, nihilque præterea in præjudicium religionis illis tribuatur, illicitum erit, aliquod templum exercitio hæreseos assignare, ubi minori cum periculo Catholicorum & exacerbatione suâ, quam in privatis ædibus conveniant. Locus enim se valdè extrinsecè ad peccatum habet, ideoque licere usurario aut meretrici domum locare, cum aliis tenet Sanchez Tom. I. lib. 1. in Decal. cap. 7. num. 20. Quod de templo quoque exemplo Athanasii inductus concedit Malderus 2. 2. quæst. 10. art. 11. eo nominatim casu, quando hæretici multa munita loca occupârunt, in quibus & ex quibus multos [illegible], ad [illegible] in ipsis exercitium religionis Catholicæ, si aliqua ipsis vicissim Ecclesia [illegible]. Quod non magis illicitum, quam cum urgente necessitate templa in [illegible], vel alios profanos usus convertuntur.* Reponimus I. Si viribus ex potestate Papæ prætensa in temporalibus res æstimanda, dubitari posse, an Athanasius Constantio viribus impar fuerit? Sed de eo negotio hîc disserendi locus non est. Disputavit illud Johannes Roffensis Episcopus pro Guil. Barclaio Pontimussano JCto contra Cardin. Bellarm. *de potest. Papæ in temporalib. lib. 2. cap. 1 pag. 31[illegible]. & seqq.* II. Athanasius non tantum maioris boni intuitu, multò minus eluden-

eludendi causa, ut ait Card. Baronius *Tom. 3. Annal. anno 349. num. 15.* sed etiam subjectionis respectu Imperatori templum cedere voluit Alexandriæ. Sic enim ait: *Maxime, ô Imperator, quandoquidem æquum, mò verò necessarium est, tuis mandatu obtemperare, neque profectò ibi contradicam.* Μᾶλλον βασιλεῦ δίκαιον καὶ ἀναγκαῖον τοῖς σοῖς προστάγμασι πείθεσθαι, καὶ οὐκ ἀντιλέγω. Itaque potestatem mandandi Constantio Imperatori, etiam hæretico, in basilicarum traditione Athanasius largitur. III. Athanasius hoc ipso impunitatem hæreticis permittit & defensionem, neque infamia eos prægravat, & alia multa præstat, quæ supra pacis desideratæ in Germania sanctioni opposuit Ernestus.

§. 2. De Concilio Basileensi respondet, *illo tolerantiam ad breve tempus Hussitarum exercitio datam.* Reponimus: Quod per se illicitum est, illud etiam ad breve tempus illicitum est. Dicit autem Ernestus, tolerantiam exercitii hæretici, qua impunitas & defensio illi præstatur, per se illicitum esse, quia sic directè illi exercitio ea cooperatur. Sed de Hussitis satis, cùm de Sigismundo Imperatore egimus.

§. 3. Non est autem prætermittenda HILARII libera postulatio apud Constantium Augustum exposita: Intelligit singularis & admirabilis sapientia tua, *inquit*, non decere, non oportere cogi & compelli invitos & repugnantes, ut se his subjiciant & addicant vi oppressi, qui non cessant adulterinæ doctrinæ semina spargere corrupta. Idcircò laboratis, & salutaribus consiliis rempublicam regitis, excubatis etiam & vigilatis, ut omnes, quibus imperatis, dulcissimâ libertate potiantur. Non aliâ ratione, quæ turbata sunt, componi, quæ divulsa sunt, coerceri possunt, nisi unusquisque nullâ servitutis necessitate adstrictus, integrum habeat vivendi arbitrium. Certè voces exclamantium à tua mansuetudine exaudiri decet. Catholicus sum, nolo esse hæreticus: Christianus sum, non Arianus: & melius est mihi in hoc seculo mori, quàm alicuius privati potentia dominante castam veritatis virginitatem corrumpere. Æquumque debet videri Sanctitati tuæ, gloriosissime Auguste, ut qui timent Dominum Deum & divinum judicium, non polluantur aut contaminentur execrandis blasphemiis, sed habeant potestatem, ut eos sequantur Episcopos & Præpositos, qui inviolata conservant fœdera charitatis, & cupiunt perpetuam & sinceram pacem. Nec fieri potest, nec ratio patitur, ut repugnantia congruant, dissimilia conglutinentur, vera & falsa misceantur, lux & tenebræ confundantur, dies quoque & nox habeant aliquam conjunctionem. Si igitur, quod sine dubitatione & speramus & credimus, hæc permovent non insitam, sed ingenitam tuam bonitatem, præcipue ut non studium, non gratiam, non favorem locorum rectores gravissimis hæreticis præstent; permittat lenitas tua populis, ut, quos voluerint, quos putaverint, quos elegerint, audiant docentes, & divina mysteriorum solemnia concelebrent, & pro incolumitate & beatitudine tua offerant. Non quisquam perversus aut invidus maligna loquatur. Nulla quidem suspicio erit, non modò seditionis, sed nec asperæ murmurationis. *Ita Hilarius.* Addamus etiam id, quod *contra Arianos &*

Hilarius poscit pacem religionis.

nos & Maxentium Mediol. disputat: Miserari, *inquit*, licet nostræ ætatis laborem, & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione seculari laboratur. Oro vos, Episcopi, qui hoc vos esse creditis, quibusnam suffragiis ad prædicandum Evangelium Apostoli usi sunt? Quibus adjuti potestatibus Christum prædicaverunt, gentesque ferè omnes ex idolis ad Deum transtulerunt? Anne aliquam sibi assumebant è palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere, inter catenas & post flagella cantantes? Edictisne Regis Paulus, cùm in theatro spectaculum ipse esset, Christi Ecclesiam congregabat? Nerone se credo, aut Vespasiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur: quorum in nos odiis confessio divinæ prædicationis effloruit. Illi manu atque opere se alentes, intra secreta ac cœnacula cœnantes, vicos & castella, gentesque fere omnes terra ac mari contra SCta & Regum edicta peragrantes, claves credo regni cœlorum non habebant. Aut non manifesta se tum Dei virtus contra odia humana porrexit: cùm tantò magis Christus prædicaretur, quantò magis prædicari inhiberetur? Proh dolor, divinam fidem suffragia terrena commendant, inopsque virtutis suæ Christus, dum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur. Terret exiliis & carceribus Ecclesia, credique sibi cogit, quæ exiliis & carceribus est credita, pendet à dignitate communicantium, quæ persequentium est consecrata terrore, fugat sacerdotes, quæ fugatis est Sacerdotibus propagata. *Ita & Hilarius* ex sancta antiquitate contra hodiernos mores & postulata tyrannica perorat. Illo prior etiam Tertullianus petit pacem religionis pro Carthaginiensibus & aliis Christianis à Scapula præside Africæ cap. 2. *Humani juris*, inquit, *& naturalis potestatis est, unicuique, quod putaverit, colere: nec aliis obest aut prodest alterius religio. Sed nec religio is est, cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi, cùm & hostiæ ab animo libenti postulentur. Ita etsi nos compuleritis ad sacrificandum, nihil præstabitis Diis vestris. Ab invitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi si contentiosi sunt. Contentiosus autem Deus non est. Denique qui est Deus verus, omnia sua ex æquo & profanis & suis præstat. Ideoq; & judicium constituit æternum de gratis & ingratis.*

Tertullianus petit pacem religionis.

§. 4. De Imperatoribus dicit Ernestus, *antiquorum exempla gratis producit. Quosdam enim non fuisse Christianos, quosdam fuisse hæreticos, quosdam, qui orthodoxi fuerunt, incautis consiliis, aut necessitate compulsos, aliquandiu eam concessisse religionis improbatæ pacem cessante necessitate aut saniora edoctos severissimas postea leges contra hæreticos prodidisse. Nullam perpetuam cum iisdem iniisse pacem, ante Ferdinandum I. Pacem ab eo factam facem fuisse mali exempli, quæ aliis Principibus præluxit, qui hac in re deliquerunt, aut delinquere videntur. Ferdinandum I. deplorasse suam pacem. Nuncium Apostolicum privatim coram Notario & testibus protestatum esse. Hujus facti posse esse autores Iesuitas, si plus fecerunt, solâ temporum necessitate sibi proposita, pacis autem qualitate non intellecta falli potuerunt. Petrum Canisium eam pacem non approbasse, inde verosimile esse, quia Card. Otthoni intimus & Magistri spiritualis loco fuerit, a quo nec in negotio pacis dissensit.* Pacem Pragensem, quatenus temporaria

taria est, probat; quatenus pacem religionis stabilit, & regulam alti imperii, quosdamque Episcopatus hæreticis restituit, & denique conditiones hæresi cooperantes & potestatis incompetentis usurpationem continet, absolvi posse negat. Addit denique alia, quibus summas in terris maiestates conculcat perpetuis accusationibus ex suppositione disputatorum superius fluentibus. Reponimus I. de Imperatoribus veteribus à nobis superius disputatum est. Non ob cessantem necessitatem, aut agnitum consiliorum errorem eos revocasse pacis sanctionem, sed ob turbas imperio à seditiosis hæreticis datas, aut etiam ob hæreticorum usurpatam licentiam nimiam: sed & ob diversitatem & numerum invalescentem leges certas pacem illam circumscripsisse ex absolutæ potestatis plenitudine: non ad transactionis compulsos necessitatem, ex historia temporum liquet. Absolutè loquendo & opinione sola contraria considerata, atque Ecclesiæ bonorum possessione in sexagesimum, septuagesimumve annum aut ultra continuata, bello cumprimis pertinaci & funesto, diversum sentientes non censuerunt esse aggrediendos. Sic sanè *Valentinianus senior, Valens & Gratianus* ad Senatum de Malef. & Mathem. & his sim. *l. 9. Cod. Theodos. Testes sunt leges à me in exordio imperii mei datæ, quibus unicuique, quod animo imbibisset, colendi libera potestas tributa est.* Quod & testatus est Ammianus Marcellinus *lib. 30. pag. 463.* Hoc *moderamine principatus Valentinianus inclaruit, quod inter religionum diversitates medius stetit, nec quenquam inquietavit, neque ut hoc coleretur imperavit, aut illud: nec interdictis minacibus subjectorum cervicem ad id, quod ipse coluit, inclinabat, sed intemeratas reliquit has partes, ut reperit.* Et hæc fuit illorum & anteriorum temporum sententia, atque in Arianis, tanquam indicium malæ causæ, notatum est, quod vim adhiberent propugnandis sententiis. Athanasius *in epist. ad solit. vit. agentes,* ait: *Invitos ad mutationem sententiæ coëgerunt, quod hominum est minimè sua causa confidentium. Non enim gladiis aut jaculis, aut militari manu veritas prædicatur, sed suadendo & consulendo. Quæ autem ibi suadendi libertas, aut consulendi ratio, ubi qui contradicit, pro mercede aut exilium, aut mortem reportat?* Et post: *Nova autem ista & execrabilis hæresis cum rationibus obruitur, cum ipsa veritate pudefacta concidit, quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusque ad se pertrahere nititur, atq; ita se ipsam, quam non sit pia & cultrix Dei, manifestat.*

Valentinianus concedit pacem religionum.

§. 5. II. Ferdinandum I. pacem religionis, autoritate suâ toties confirmatam & commendatam, lacrymis deplorasse, quis Hosio credat? Confer *supra p. 48.* Commendârunt eam pacem plurimi, qui zelo propugnandæ religionis Hosio non cesserunt. Georgius Ederus Ferdinandi I. Consiliarius & JCtus in Evangelischer inquisition part. 2. tract. 4. med. 17. pag. 396. Was den äusserlichen Frieden belanget / ist kein zweiffel bey / weil damals kein andere Hoffnung gewest / den Religionstreit gantz hinzulegen / daß die frommen Herren Keyser sampt den löblichen Ständen deß Reichs nicht allein ursach gnug gehabt / auff solche Weg und Mittel zu gedencken / wie doch mittlerweil biß zu desselben völliger abhandlung und Vergleichung / gemeiner Friede im Reich möchte erhalten / und dardurch

Ferdinandi I. pacem qui laudârint.

Georgius Ederus IC.

mehrere Unruhe verhütet werden / sondern daß sie auch die äusserste Noth darzu bewegt und getrieben hatte/und derowegen gantz billich seye/daß solcher Beschluß von männiglich behalten und vollzogen werde &c. ROBERTUS PERSONIUS Jesuita sub nomine Andreæ Philopatris Presbyteri Romani, ut testatur Ph. Alegambe in *Cat. script. Ies. pag. 45. in responso ad edictum Angliæ. August. Anno 1592. excusum p. 58. Si persuaderi*, inquit, *sibi à Cæcilio Consiliario præcipuo permiserit Elisabetha Regina, hanc tantam subditorum carnificinam carere omni periculo, imprudentia est insignis. Saltem debebat Gamalielis consilium Actor. 5, 39. sequi. Benevolentia & tolerantia res tentanda est, quod Germaniæ Principes utplurimum faciunt. Nam persecutionibus & pressuris, tantaque hominum strage & laniená usus satis edocuit, nil proficì posse.* GUIL ALANUS *postea Cardinalis, in Apologia pro Sacerdotibus & seminariorum alumnis contra edict. Elisab. Reg. Angl. quæ est in concertat. Eccles. Angl. fol. 246. f. b. Illud plurimum auget*, inquit, *dolorem nostrum, quod cùm oculos nostros ad externas regiones & respublicas, Germaniam videlicet, Helvetiam, Sueciam, Poloniam, Bohemiam & alias plures convertimus, nullum in iis inter tot tamq; varias hisce postremis annis ortas ibidem religionis mutationes sic ad ulterius religionis professionem compelli videmus, quin possit, si non in hac vel illa civitate, regione, Ecclesia aut parœcia, saltem in vicina aliqua juxta fidei suæ conscientiæque præscriptum exercere officia. Nec solùm in locis iamdictis, sed etiam in regnis & provinciis Turcæ Persæque subjectis veteres Christiani liberè suá religione uti permittuntur. Præterea cum similes Catholicorum calamitates ob oculos ponimus, quæ olim sub Arianis Imperatoribus, præcipuis hujus erroris fautoribus, aliisque sectariis Ecclesiæ illatæ sunt, videmus eos naturali quadam benignitate inductos fuisse, ut Ecclesias aliquas & Oratoria in cœmiteriis locisq; contiguis Catholicorum usibus assignarent. Sic Constantius Arianus Imperator & Valens Athanasio & eius sectatoribus Alexandriæ locum non denegavit, graviterque à Deo Valens postea punitus dicitur, quod idem Catholicis Antiochiæ non concederet. Valens etiam minor S. Athanasio Mediolani obtulit conditionem. Quam solam gratiam si à Principe nostra impetrare potuissemus, nulla nos regionum fertilitas, aut exterarum civitatum luxus; nullus ab extraneis oblatus honor vel dignitas extra Britanniam tam nobis charam diu detinere potuisset.* Autor Responsi ad Justitiam Britannicam *adversus persecutores Anglos in ead. concertat. pag. 394. Si vel partem aliquam Angliæ Catholici potuissent adipisci eius libertatis, quam habent Catholici in Germania, Helvetia, aliisque locis, ubi potestas summa est penes Protestantes, aut quam habent Hugenoti in Gallia, imo si ea cum humanitate fuissent tractati, quam Christiani experiuntur inter Turcas, vel Iudæi inter Christianos &c.* Et pag. 396. *Considerent* (Ordines Angliæ) *in hoc ab eis, quoad civilem prudentiam, fuisse erratum maximè, quod vel ab initio, vel postea conscientiæ libertatem non concesserint Catholicis, quorum in regno numerus erat maior, & conditio honoratior, ideoque & maiori indulgentiâ dignior, quemadmodum Protestantes in Germania aliisque provinciis finitimis magno suo commodo fecerunt.* Justus Lipsius *adversus Dialogistam pag. 86. Annon fas tempora paulisper Principi inspicere? Ego censeo. Nam honestè cedit, qui tempori cedit. Plures veterum Principum*

Robertus Personius pacem religionis laudat.

Guil. Alanus consentit.

Autor respons. ad justitiam Britann. consentit.

fecêre.

fecêre. Ecclesiasticæ historiæ docebunt. Tum maximè Valentinianus. Et post Marcellini de eo verba à nobis supra recitata. *Idem aut simile, Constantius, Theodosius, alii, & nonne nuper in Germania Carolus V. De cuius facto qui calidè aut protervè pronunciat, injuriam facit maximo Principum à multis retrò annis.* Autor deß Calvinischen Models / homo qui totus Pontifici Romano addictus, qui se Christian Gottlieb von Friedberg appellat, & extat apud Lundorp. Act. publ. Tom. II. adducit in laudem pacis religiosæ, & quod à Pontifice Romano retractari nec ullâ disputatione convelli possit, D. Ederum, Dn. Erstenbergerum, cui Autonomiam sub Fr. Burkardi nomine vulgatam adscribit, D. Windeccium, D. Lorichium, P. Rosenbusch &c. Vide p. 275. Ut jam Lazari à Schwenden Viri illustris, & eminentissimi JCti Sig. Seldeni V. Cancellarii judicia silentio involvam. Si illi Patres societatis falli potuerunt qualitate pacis non intellecta, etiam Criticus Armonensis falli potest, qui qualitatem Pacis profectò non intelligit. *I. Lipsius subscribit.*

§. 6. Ad Tolerantiam Judæorum respondet Ernestus: *Iudæos ideò tolerari ab Ecclesia, quia testimonium fidei nostræ habemus ab illis, licet fidei hostibus, & quasi in figura per ritus suos nobis repræsentant, quod credimus, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 10. art. 11. & quia in fine mundi credituri sunt. Denique esse eam tolerantiam simplicem, absq; omni cooperatione illicita, cum Christianis non æquentur, sed infames habeantur, nec potestatem habeant Christianos pervertendi, aut ad se pelliciendi &c.* De ea re actum à nobis ad rat. 1 §. 2. num. 4. Addimus, illam rituum Judaicorum exercitationem tamen esse rem illicitam, Deo adversariam, mortiferam, in Christum Jesum injuriam, cum horrendis religionis nostræ sanctæ blasphemiis conjunctam, & tamen quia est error mentis & opinionis, non contra conscientiam, tolerari. 2. Nullam esse necessitatem aliam tolerandi Judæos; nam quod ista gens scriniaria est Christianorum, baiulans legem & testimonium ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut ait B. Augustinus contra Faust. XII, 23. in hac Ecclesiæ luce non amplius necessarium est. Et figuratione eorum, quæ credimus, per ritus Judaicos, opus non habemus. Sed & conversio circa finem mundi Judæis obventura, probabiliter à nonnullis asseritur, certâ & invictâ ratione non constat. Oseæ 3. de decem tribubus in Assyriam abductis, non autem de Judæis inter nos commorantibus interpretantur post multos Sanctius & Cornelius à Lapide *in comment. h. l.* Quicquid sit, Judæis tolerantia non simplex & restricta, sed perpetua, cum defensione & vindicatione contra injurias conjuncta, imò etiam contra infamiam assertio conceditur. Neque enim ullo jure infames habentur. Licet namque ab honoribus submoveantur *per l. ult. C. de Iudæis*, cùm antea *per l. Generaliter. ff. de Decurionib.* decurionatus capaces judicati sint, non id ideò est, quòd infames sint, sed ne in Christianos exercendæ alicuius potestatis ad vindictam occasionem arripiant. Vide Covarruv. *Tom. 1. pag. 573.* Unde hoc argumentum à tolerantia Judæorum etiam urget pro se Guil. Alanus *loc. cit. pag 246. cùm ait*: Illam conditionis nostræ miseriam meritò dolemus, quod cùm nec Judæi, nec Turcæ, nec Pagani lege divinâ vel naturali, vel jure gentium cogi possunt, ut

Tolerantia Iudæorum consistere nequit, si tolerantia diversæ religiõis impugnatur.

relicta secta sua falsaque opinione, ad aliam se, quam nec illi, nec majores eorum ulla promissione & professione acceperunt, transferant, nec sibi, contra jus divinum & humanum, atque adeo Protestantium ipsorum doctrinam, non modo privemur iis, quæ jure Christiani nominis nobis debentur, sed etiam cogamur variis modis illisque planè violentis illos ritus & religionem suscipere, cui nec nos, nec parentes, vel majores nostros unquam consensisse constat.

Usurarum & diversæ religionis tolerantia confertur.

§. 7. *Ad tolerantiam* USURARUM respondet Ernestus, 1. *eam licitam esse, tum ut alii ab hoc peccato velut infami abstineant, tum ut pauperes Christiani habeant, unde in necessitate mutuum sumant, juxta S. Thomam 2.2. quæst. 78. art. 1. 2. esse verò latum discrimen inter pacem, de qua agimus, & hanc permissionem, si legitime fiat, tum quia directè non permittitur usura Judæis, sed mutui acceptio Christianis, quæ, uti & ipsa mutuatio, est actus secundum se licitus, etsi usurarius sumat inde occasionem peccandi ex malitia cordis sui. Pax verò, quam protestantes volunt, est cooperatio cum hæresi, exequatio quædem cum religione Catholica &c.* Respondemus I. nulla necessitas est permittendi usurarum peccati vel propter majus bonum promovendum, vel propter majus malum avertendum. Neque enim necessariò Judæis ab usurariis exercitiis summotis alij implicabuntur, quod esset majus malum avertere, neque necessario Christiani pauperes Judæis non existentibus non habebunt, unde mutuum petant, quod esset majus bonum promovere. Unde enim petunt ibi, ubi Judæi non tolerantur, & tamen usuræ licitæ non sunt? II. responsio [illegible] coincidit cum illa Henrici IV. Galliarum Regis apud Thuanum H. S. T. lib. CXXII. pag. 861. qua ait, *Edictum, quod tantopere exagitatur, non tam Pacis Protestantibus dandæ causa factum esse, quam ne bellum habere Catholici [illegible].* Sed & nos diximus supra, non permitti & tradi bona & privilegia hac pace, erroneæ opinionis promovendæ causa, aut ut ad veritatem cœlestem supprimendam [illegible] gentes illis abutantur, sed ut liberè utantur & independenter a [illegible] variis. Hæc permissio rebus ita exigentibus magis licita est, quam illa, qua permittitur usurarum ex actio Judæis, ut Christianis constet mutui acceptio. Illius enim objectum est libertas jurium religionis constituendæ, quæ [illegible] est res licita. Hujus objectum est usura Judaica, res nomine ipso [illegible] & damnata. Imò ibi libertas conceditur circa objectum non nisi supernaturali lumine dignoscendum, adeoque obscurum, abstrusum, & erga quod naturalis est nobis inimicitia. *Rom.* 8. v. 7. ubi profecto mentibus humanis indulgendum aliquid & condonandum, tanquam contra conscientiam non peccantibus. Hic libertas conceditur circa rem jure naturali æstimabilem, & gentium consensu determinandam, & evidentibus ex lumine naturali principiis confutandam.

Tolerantia lupanariū quibus placet, etiam diversæ rel-

§. 8. *Ad tolerantiam* LUPANARIUM regerit, *eam fieri* 1. *ad [illegible] nes a gravioribus flagitiis, quæ alias in quibusdam locis invalescerent.* 2. *[illegible] omni illicita cooperatione, cum nec infamia detrahatur, nec scortatio [illegible] parat, nec libertas detur ad ea compellendi, aut integros [illegible] tendi.* 3. *cum onere tributi, ne magis alliciat gratuita [illegible]*

centia

centia parentibus reliqua, ut liberos exinde evocent, & delinquentes castigent. 5. cum excitatione odiorum adversus lupanaria, & consultatione de emendatione delinquentium: in pace religionis proposita non concurrere. Respond. quicquid sit de illis limitationibus, tamen longè majus est, lupanaria autoritate publica permittere, meretricibus domos & regiones assignare, elocare, contra vim externam sceleratos defendere, imò scortatores ad solvendum precium meretricibus adigere, quam permittere diversæ religionis homines, Christum tamen profitentes & pleraque mysteria religionis Christianæ agnoscentes, & eum habentes Dei cultum, sub quo innumeri salvantur. Memores decet esse eos, qui hic dissentiunt, eorum, quæ de necessariis ad fidem disputant. Est ab ipsis distincta duplex necessitas; *quædam sunt necessaria necessitate medij, quædam necessitate præcepti.* Quoad necessitatem medij dicunt; *Fidem merè naturalem ad salutem non sufficere, supernaturalem & ex divina illuminatione oriundam in quovis hominis respectu necessariam fuisse in omni statu necessitate medij, fuisse necessitatem fidei implicita Christi & SS. Trinitatis: imò in omni statu necessariam fuisse necessitate medij explicitam fidem Dei liberatoris: & quamvis multi graves Doctores absolutè doceant, etiam post Evangelium sufficienter in orbe promulgatum fidem explicitam Christi redemtoris & SS. Trinitatis, non esse necessariam omnibus necessitate medij, neque ad salutis initium, neque ad consummationem, uti Richardus Mediavillanus in 3. distinct. 25. art. 4. quæst. 1. Domin. à Soto lib. 2. de Nat. & Grat. cap. 11. & in 4. distinct. 5. quæst. un. a. 2. Vega lib. 6. in Conc. Tridentini cap. 17. & 20. docent, & significat Thomas 3. part. quæst. 96. art. 4. ad 2. post Gulielm. Antisiodorens. lib. 3. tract. 3. cap. 1. quæst. 5. & Gulielm. Parisiens. tract. de fid. & quamvis etiam Canus Relect. de Sacram. in gen. part. 2. & Dominic. Bannes in 2. 2. quæst. 2. a. 5. negent, fidem Christi explicitam esse medium necessarium ad primam salutem, & si fateantur, necessarium esse ad ultimam salutem, & quamvis denique Azorius Tom. 1. lib. 8. cap. 6. quæst. 6. dicat, si quis ob ingenij hebetudinem Trinitatis articulum nequeat percipere, satis esse, si credat explicitè alios clariores, nimirum, Christum filium Dei, natum ex Virgine, passum, crucifixum &c. tamen ad summum eam in Novo Testamento esse necessariam, quia Christus est primaria causa moralis & meritoria salutis nostræ, ut planè conveniens sit, luce Evangelij patefacta eius explicitam fidem requiri: quod & ad SS. Trinitatis cognitionem accommodatur meritò, quandoquidem sine ea Christi filij Dei incarnatio credi & concipi non potest, & præterea eiusdem mysterij in ipso sacramento baptismi publica statim & solennis sit protestatio. Imò & necessariam esse necessitate medii explicitam fidem seu cognitionem articulorum divinitatis, vid. Deum esse Creatorem, Salvatorem, seu Iustificatorem, Glorificatorem, ut in Symbolo continentur.* Quoad necessitatem præcepti, præter ea, quæ necessaria cognitu tradunt necessitate medij, ajunt 1. *in statu legis Evangelicæ & ex ipso statim tempore, quo cœpit ea obligare, teneri omnes tàm majores, quàm minores, mysteria Trinitatis & incarnationis explicitè credere. 2. multos tamen propter ignorantiam invincibilem à peccato infidelitatis & jam olim excusatos fuisse, atque etiam nunc, saltem inter barbaros, degentes, excusandos esse. 3. in eodem statu omnes*

gionis placere debet.

De necessariis ad salutem ostenditur ea in religione A.C. tradi.

adultos teneri explicitè scire & credere omnes articulos fidei in Symbolo Apostolico contentos, saltem quoad substantiam. 4. *teneri etiam scire ea, quæ & communiter Christianis omnibus, & cuique juxta suum statum necessaria sint ad rectè vivendum: itaq; scire debere substantiam & rationem baptismi, Eucharistiæ, pœnitentiæ, modum orandi, inprimis per orationem Dominicam, præcepta Decalogi, & præcepta misericordiæ.* Ajunt tamen contra Erasmum & Cassandrum, *etsi absolutè loquendo cætera implicite credere sufficiat, non esse tamen in iis, si sufficienter ac præsertim Ecclesiæ nomine proponantur, liberum cuique credere, quod libeat, sed teneri prorsus omnes sub peccato mortali, quantum in se est, nihil fidei contrarium credere, adeoque saltem quoad specificationem actus, omnia, quæ Ecclesia proponit, explicitè credere. Quia qui unicam fidei veritatem contra Ecclesiam pertinaciter negat, is tum Deum ipsum, quantum in se est, mendacij arguit, tum Ecclesiæ autoritatem convellit.* Ita ex P. Ad. Tannero *Tom. 3. Theol. Scholast. disp. 1. q. 7. dub. 3.* Jam quæ necessitate medij ad salutem credere tenentur, à quacunque dissidentium parte creduntur. Neque hic Ernestus aliquid opponere potest, quod solidum sit. Licet autem quantum ad necessitatem præcepti quædam non credantur ab una dissidentium parte, quæ altera illâ necessitate credenda esse tradit, non tamen audet ea pars dicere, illam partem, aut qui illi adhærent, propterea præcisè damnari, si præsertim hoc non faciant ex malitia, sed quia persuasi sunt, regulæ fidei istam sententiam congruere. Licet & quædam credantur ab altera dissidentium parte, quæ illa necessitate præcepti divini credenda non sunt, quæque cum creditis necessariis, si consequentia Theologica agatur, pugnant, non tamen audent illi, qui sic sentiunt, illi alteri dissidentium parti adhærentes omnes indifferentur damnare, tum propter allegatam causam, tum quia potens est Spiritus Sancti operatio, & non semper error operatur in praxi, quod ex ipsa consequentia Logica fluit, & vis seminis immortalis sæpè suffocat zizaniorum excrescentem luxuriam, ut dominari fructifera salvationis virtus queat, tum insuper, quia in extremum agonem deducti facile ea deserunt & abjiciunt, quæ in tentationis rigore contra satanã subsistere nequeunt. Jam consideremus permissionis æquitatem. Deducta est Romana Respublica tricennali ferè bello in eas necessitates, ut finis illi sine concessione libertatis ad constituendam religionem imponi non possit, quantum post omnem deliberationem indagari potest. Quæritur an ista concessio licita sit, etsi sciamus, apud aliquos, quibus ea continget, religionem improbatam aut retentam aut introductam iri? Respondet Ernestus, negativè. Et tamen censet, ad retrahendos homines à gravioribus flagitiis concessionem lupanarium fieri posse. Atqui primum hic non est concessio libertatis; quam sequi potest aliquis error mentis, qui in tanta intelligentiæ humanæ obfuscatione & ad cœlestia aversatione conscientiam ligat: sed ejus, quam sequitur grande flagitium pudendæ scortationis, quam toties lux naturæ confutavit. Audiamus Salvianum Massiliensem *lib. 7. de Gubernat. Dei, pag. 289.* Diximus, *inquit*, plenas fuisse impuritatibus monstruosis Africæ civitates & præcipuè illic reginam & quasi dominam: Wandalos autem iis omni-

omnibus non fuisse pollutos. Non tales ergo isti, de quibus loquimur, barbari ab emendandam nostrarum turpitudinum labem exstiterunt. Abstulerunt enim de omni Africa sordes virorum mollium, contagiones etiam horruerunt meretricum, nec horruerunt tantum aut temporariè submoverunt, sed penitus jam non esse fecerunt. O pie Domine, ô Salvator bone, quantum efficiunt per te studia disciplinæ, per quæ mutari possunt vitia naturæ, sicut ab illis sc. immutata sunt, at quomodo immutata? Interest enim non solum effectus rerum, sed etiam effectuum causas dicere. Difficile est quippe, impudicitiam verbo aut jussione tolli, nisi fuerit ablata: & difficile est pudicitiam verbo exigi, nisi fuerit exacta. Quod utique isti scientes sic impudicitiam submoverunt, quod impudicas conservarunt, non interficientes mulierculas infelices, ne vitiorum curam crudelitate respergerent, & dum peccata auferre cuperent, ipsi in peccatorum resectione peccarent. Sed ita errantes emendarunt, ut factum eorum medicina esset, pœna non esset. jusserunt siquidem & compulerunt omnes ad maritalem thorum transire meretrices; scorta in connubia verterunt, implentes sc. Apostoli dictum atque mandatum, ut una quæque mulier virum habeat suum, & unusquisque vir conjugem suam, ut quia contineri incontinentia sine hac carnalis usus permixtione non posset, ita legitimum usum calor corporalis acciperet, ut peccatum incontinentia non haberet. In quò quidem non id tantummodò provisum est, ut viros feminæ haberent, quæ sine viris non esse possent, sed etiam, ut per conservatores domesticos salvæ essent, quæ se ipsas servare nescirent, & adhærentes jugiter gubernaculo maritali, etiamsi ad improbum eas facinus consuetudo anteactæ impuritatis alliceret, conjugalis tamen custodia ab improbitate prohiberent. Addiderunt quoque hoc ad libidinem comprimendam, severas pudicitiæ sanctiones decretorum, gladio impudicitiam coërcentes, ut puritatem sc. utriusque sexus & domi connubij servaret affectus, & in publico metus legum, ac sic duplici præsidio castimonia niteretur, cum & intus esset, qui amaretur, & foris, quod timeretur. Leges enim illorum nequaquam illis sunt legibus consentaneæ, quæ ita partem improbitatis removent, ut partem obscœnitatis admittant, ut Romana illa decreta, quæ scortatores quidem ab alienis uxoribus removerunt, ad omnes autem solitarias passim admiserunt, adulteria vetantes, *Lupanaria* ædificantes. Timuerunt, vid. ne nimis casti homines ac puri essent, si ab omni eas penitus impuritate prohiberent. At non barbari, quoniam Romani non sunt. Parum est, quòd dicimus. Quæ nobis rogo ante Deum aut vitæ esse aut veniæ spes potest, quando castitatem in barbaris cernimus, & nos sic casti sumus? Erubescamus quæso & confundamur. Jam apud Gothos impudici non sunt, nisi Romani, jam apud Wandalos nec Romani. Tantùm apud illos profecit studium castimoniæ, tantum severitas disciplinæ, non solum quod ipsi casti sint, sed, ut rem dicamus novam, rem incredibilem, rem pene etiam inauditam, castos etiam Romanos esse fecerunt. Si infirmitas id humana pateretur, exclamare super vires meras cuperem, ut toto orbe resonarem: Pudeat vos, Romani ubique

populi,

populi, pudeat vitæ vestræ, nullæ pene urbes lustris, nullæ omnino impuritatibus vacant, nisi illæ tantum, in quibus barbari esse cœperunt. Et miramur, si miseri, qui tam impuri sumus, miramur, si ab hoste viribus vincimur, qui honestate superamur. Miramur, si bona nostra possident, qui mala nostra execrantur. *Ita Salvianus graviter.* Si ejus datur non impunitas duntaxat, sed etiã libertas, quod lege naturæ & insitis luminis congeniti scintillis convellitur, quomodo illud non permittemus, in quo non nisi supernaturali lumine dirigente recta incedere via licet. Deinde lupanariũ concessio non est concessio alicuius necessitate aliqua nos compellentis, & ad deteriora evitanda disponentis. Res ipsa loquitur. Consuetudo maligna urget, nulla instat necessitas. Sed postea eadem re audiemus Navarrum Azpilcuetam. In negotio pacis versatur ingens & præsentissima necessitas. Instant tot rudera civitatum, tot templorum busta, tot collegiorum cineres, tot animarum dispendia. Multas myriadas infernus absorpsit hoc tricennio, quo sine duce, sine conservatore errarunt miseri & plurimi in angentibus difficultatibus ad occulta cum impurissimis dæmonibus fœdera prolapsi sunt. Hem pietatem & prudentiam! Quæ potestatem Rom. Pontificis, amplitudinem Catholicæ Ecclesiæ, jura Ecclesiarum, Episcoporum patrimonia disputat. Lupanaria permittit, & pessundari sinit Rempublicam, ordines conculcari, leges premi, licentiam grassari, lædi honestatem, & multa millia eorum, pro quibus Dominus Jesus sanguinem fudit, ad tartara cum gratia & privilegio mittit. Quid est muscam percolare & elephantum deglutire, si hoc non est? Una anima cœlitus redempta pluris æstimanda est, quam omnes omnium Episcopatuum reditus. Adde quod dum lupanaribus libertas datur, non talis status conceditur, in quo æterna salus sperari possit. At etiam concessa libertate cum determinatione ad improbatam religionem, in tali statu constituti sunt illi, quibus sub istius libertatis exercitio vivendum est, ut, si omninò nolint sequi eius religionis, quam habent, publicam professionem, etiam in illis, quæ credi necesse est tàm necessitate medii, quàm necessitate præcepti, non sint extra spem æternæ salutis positi, uti ex hypothesibus proximè deductis audivimus. Quæ est igitur inter istam & hanc libertatem comparatio? quam immane discrimen? quam parata extat pro hac, quam pro illa defensio? Unde etiam *de lupanaribus* inter Doctores est dissensio. Nota illa est disputatio, quam habet Martin. ab Azpilcueta Doctor Navarrus *Manual. c. 17. num. 19[illegible]. pag. [illegible]4.* Primò, *inquit*, licet potestati publicæ permittere, ut in aliqua civitatis parte sint meretrices, secundum Augustinum *lib. de ord. II,* 4. relatum à S. Thoma communiter recepto 2. 2. *quæst. [illegible] a. 11.* dicente, *quod ut Deus permittit aliqua mala, ne majora vitentur, vel majora bona sequantur, ita potestas humana [illegible] facere potest.* Secundò, non licet permittere lupanaria eo modo, quo alicubi permittuntur, videlicet constituendo eis patronos & locando domos carius, quam locarentur honestis, eò quod magis lucrantur, quam illa, & recipiendo aliquam turpis lucri partem, quia hic modus continet participationem lucri provenientis ex peccato, & ut eruditè dixit Cajetanus, *nulla permissio peccati*

Disputatio inter Navarrum & Ludov. de Beja de Lupanarium tolerantia.

cati

nati est licita cum participatione lucri præcedentis. Tertiò, non licet locare meretricibus domos in ea parte Civitatis, in qua illa non permittit eas habitare, quia legem & consuetudinem justam transgreditur, *contra cap. Quæ contra mores. dist.* 8. Quartò, difficile defendi potest, quod non peccet mortaliter, qui facit vel locat meretrici domum ad meretricandum, etiam in ea parte civitatis, in qua permittitur habitare: tum quia non licet locare domum usurario ad exercendum fœnus, *cap. 1. de usur. l. 6.* tum quia nullatenus licet dare occasionem peccandi juvando: tum quia quamvis possit potestas publica permittere meretrices, consultores & adjutores earum & accedentes ad eas, non tamen potest efficere, quò hi & illi non peccent; & negari non potest, ei, qui facit vel locat domum meretrici ad meretricandum, juvare ipsam ad illud, tum quia fundamenta, quibus contrarium defenditur, solvuntur, concedendo primo, quod licet cuique uti jure suo rem suam locandi licitè, sed non tamen illicitè: secundo, quod quamvis liceat locare domum ei, quem credit aliquo modo in ea peccaturum ad alium finem, quam peccandi, & ad exercendam artem, cujus exercitium non habet peccatum inseparabiliter admixtum, non tamen ad finem peccandi, nec consequenter ad exercendam artem, cujus exercitium habet in se peccatum admixtum: & ita quamvis liceat locare domum peccatoribus, puta concubinario, pejeranti, aleatori, & id genus aliis non excommunicatis, ad vivendum honestè, etiamsi credantur peccaturi, non tamen ex eo consequitur, quod liceat locare meretrici domum ad utendum meretricando & exercendum artem, cujus exercitium inseparabiliter habet peccatum admixtum: quia id nulla humana potestate fieri potest licitum, cum sit contra legem naturalem & divinam. *cap. sunt quædam. 25. quæst. 1.* licet justa de causa permitti possit. Contrarium tamen sine scrupulo affirmat Joh. Major, *in 4. sent. distinct. 15. quæst. 35.* pro quo facit, quod id servat consuetudo totius orbis ferè Christiani. Et quod prædictum dictum Augustini ab omnibus receptum, vix potest exequi sine domuum locatione. Et quod Romæ sciente & patiente Papa locantur & semper consueverunt locari domus meretricibus. Et Confessarij absolvunt, & semper absolverunt locatores earum sine proposito abstinendi à tali locatione. Et quod ad contraria, quæ urgentissima sunt, responderi potest, procedere in eis, qui locant eo fine principali, vel minus principali, ut meretricentur, non autem in iis, qui locant ad vivendum tantum, cum displicentia coram Deo vera meretricij & artis meretricandi. (At hunc cum propriæ domus locatione consistere, impossibile est) & quod hoc significare videtur dictum *cap. 1. de usur.* quatenus vetat locari domos usurariis ad fœnus exercendum, & quatenus non vetat locari indigenis, sed tantùm alienigenis, quamvis replicari possit, probari quidem ibi, quod permittitur locatio usurariis indigenis ad fœnus exercendum in foro exteriori, non tamen quod liceat in interiori, de quo agimus, Quin & magis expediret, non permittere. *Primò* quidem, quod difficile est defendere, quod liceat eis facere vel locare domus, in quibus meretricentur, & quod raro locantur ad tam purum fi-

nem vivendi, quod non misceatur aliquis finis saltem minus principalis meretricandi vel de lucro participandi. *Secundò*, quod multi pueri incipiunt hac occasione prius peccare, quam alioquin inciperent. *Tertiò*, quod libido non extinguitur, nec refrenatur, imò accenditur ejus usu, *secundum Mag. lib. 1. distinct. 24.* addito malæ inclinationi sensualitatis habitu malo: quia duo vincula fortiora sunt uno. *cap. 1. de treuga & pace.* *Quartò*, quod castitatis habitu resistendi illi malæ inclinationi refrenatur illa, non autem lupanari. *Quintò*, quod finis per eum prætensus, puta ne honestæ sollicitentur, non attingitur. Viri enim prudentes ajunt, eos, qui ad eas sollicitandas sunt apti, non adire meretrices; imò postquam malè sunt eis assueti, tanto magis honestas sollicitant, quo majore impetu naturæ & vitij feruntur. *Sextò*, quod ipsemet novi pueros castissimos, venientes ad Academias externas ex locis, ubi non est hujusmodi occasio fornicandi, ob eam, quæ in illis se offerebat, animos, studia & corpora ipsa contagio infecta perdere. *Septimò*, quod meretrices ipsæ, posteaquam desinunt esse ad illud turpe lucrum aptæ, mille malorum instrumenta fiunt. *Octavò*, quod mares majore sunt vigore ad resistendum libidini, quam feminæ, *cap. indignantur. 32. quæst. 6.* & fœminis nusquam hac permissione succurritur. *Nonò*, quod verum remedium contra libidinem, est ardens amor castitatis, vitatio ejus perdendæ occasionis, vigilantia ad resistendum conjunctis cum abstinentia, sobrietate, & labore assiduo, & super omnia gratia divina, quorum omnium contraria lupanaria requirunt. *Sic D. Navarrus.* Insurrexit contra eum *Ludov. de Beja*, respons. cas. consc. congregat. IX. casu tertio, quem sequitur *Iod. Lorichius, thes. Cath. voc. Meretrix.* Sed nihil solidi attulerunt. Johann. Mariana *de Spectaculis, cap. 16.* hanc materiam in sententiam postremam Azpilcuetæ persequitur, & quidem pro parte affirmante proponit Augustini tritum illud, *Aufer meretrices de rebus humanis, turbabis omnia libidinibus*: Aquinatem 4. *de Reg, Princip. cap. 14.* cum aliis Theologis & Lyranum in *Gen. 19. Deut. 24. 1. Reg. 17.* consentientes: devitationem graviorum luxuriæ criminum: exemplum Thamar, quæ veste meretricia sumta cum socero Juda concubuit: litigantes coram Salomone meretrices: multas meretrices ætate Maccabæorum *2. Maccab. 6. v. 4.* Christi *Matth. 21, 31. 32. Luc. 11. 30.* *Pauli 1. Cor. 6. 11. 16.* quod cum Hussitæ inter alia Catholicam Ecclesiam acriter eo nomine reprehendissent, *Pio II. histor. Bohem. cap. 50. teste*, quod publica lupanaria permitteret, hanc ob causam à Constantiensi damnata non essent: à Patribus & à Conciliis paucissima extare decreta adversus lupanaria: Jure Romano hæc esse permissa. *D. de concub. l. 25. tit. ult. C. de Spect. l. 11. tit. 40. C. Theodos. l. 15. t. 8. de lenon.* Cæterum quia ipse in negativam sententiam probè concedit, urget inprimis locum *Deut. 23. v. 27.* Non *erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.* addit testimonium Philonis *l. de Ioseph. & l. de special. leg.* Clementis Alexandr. *Stromat. 3.* Origenis *contra Celsum lib. 3. & 4.* asserentium, nullas apud Judæos meretrices fuisse seu feminas vendentes florem ætatis & pestes juventutis: non satis occurri masculæ libidini permissis meretricibus, quoniam ubi ea labes viget, ibi major meretricum sit numerus,

ac in

ac utramque partem ab altera libido inflammetur, S. Ludovicum Regem universa ditione sua meretrices publicas & lupanaria prohibuisse cum histrionibus, Gaguino *annal. Gall. l.* 7. & Paul. Æmilio *l.* 7. testibus: Ubi lupanaria non sunt, multò continentiores juvenes esse, adulteria pauciora, nulla aut vix ulla de turpioribus vitiis; libidinis enim flammas copia non extingui, licentiave voluptatum, atque difficilius restringi libidinem à conjugibus, qui ei assueverunt, quam ab illis, qui cœlibatum coluerunt, ut judicat Tertullianus *lib. ad uxor.* 1. & contemtis meretricibus ac sordenti copia semper ad pejora contendere semel corruptum voluptate animum, præsertim cui suppetant facultates. Lactantij opinione *VI.* 23. invecta esse ad adversario nostro lupanaria. Et Hieronymi *ep. ad Oct.* sententia, non à Christo aut Paulo, sed à Cæsare atque à Papiniano viris impudicitiæ fræna laxata permissaque lupanaria. Imò judicio Augustini *C. D lib.* 2. *cap.* 20. *& l.* 11. *cap.* 18. à terrena civitate adversus terrestrem ac leges divinas licita scena facta. *Ita Mariana.* Unde, ut hoc in transcursu moneamus, S. Augustini *l.* 2. *de ord. cap.* 4. hæc sententia non est, quasi ad cavendas libidines meretricibus libertas data sit aut danda. Disputat eo loco Augustinus, quomodo ex contrariis ordo sit, etiam ubi vitium honestati oppositum est. Ex discrimine vitiorum emergere virtutum lumen. Et dum animadvertimus acerbiori castigatione in turpia, honestis ornamenta & commendationem accrescere. Ubi extinguitur illud solidum & necessarium discrimen honestorum & turpium, virtutum & vitiorum, ibi sine observantia omnia perverti. Sic & eventurum, ut si, quomodocunque expletæ libidinis causa, nulla meretricis, nullus scortatoris, nullus cinædi nomine dehonestetur, promiscua fiat libido & confusanea, neque honestatis ordine atque discrimine prolis causa suscepta matrimonia commendata sint. Ex quo Augustini sensu tamen non sequitur, meretricibus lupanaria permittenda esse. Quod enim in genere de turpibus dicit, uti non facit ad conciliandam exercitio turpium atque inhonestorum quorumvis licentiam, ita etiam nec quod de meretricibus dixit, eo fine capiendum aut torquendum est. Johan. Lorinus Jes. *Comm. ad Deut.* 23. *pag.* 197. *Equidem,* inquit, *ut magis posterioris partis firma sint fundamenta, vereor, ne quantum debent, non persuadeant, & plus desiderii, quam spei animis ingerant, etiam illorum, qui quantum valeant autoritate potentiaq; hac in parte, nondum forsitan satis experti sunt; quod si experirentur, felicior, ut existimo, ipsorum opinione exitus succederet. Profectò majores Christianis vires à divina gratia suppetunt, pluraque exempla, adjumenta, sacramenta, quam Iudæis: & ab illis quam ab his longè major vitæ probitas morumque sanctitas exigitur.* Hæc & plura alia Lorinus contra lupanaria perorat. Ernestus præclarè instituta plura commendat, quibus in odium lupanarium & delinquentium emendationem laboretur. Non negat, aliquando in permissione lupanarium graviter peccari posse, cum alij semper in ea re peccari judicent. Sed in libertate religionis, quæ præsenti pacificatione petitur, gravissimè peccari, hoc ex zelo, qui totus inardescit, contendit. Integras provincias, civitates amplissimas, & ditiones populosas in con-

Augustini sententia exponitur.

scientia premi & contra conscientiam angi, placet Ernesto. Tolerandum negat, nisi sub durissimis conditionibus, ut Imperator libertatem circa religionem, quæ SS. Trinitatem & Christum cum sacramentis palmariis & verbo salvifico non negat, errare tamen in cæteris videtur, tantæ multitudini populorum concedat. Procacibus & in fœdissimam libidinem proruentibus juvenculis aliquot contra conscientiam, sine ullo solido fundamento, scortationem in lupanaribus publica autoritate tutis, aut extra vindictam magistratus positis permittere potest. Pati potest, ut juvenculæ Christo in baptismo fœderatæ, corpora sua, membra nuper Christi facta, bona longè maxima & cœlorum gloriæ consecrata, prostituant in lupanaribus, tanquam latrinis & cloacis, sordibus publicis excipiendis destinatis. Ut bona territorialia aliqua libertati eorum & conscientiæ permittantur, qui sanctè protestantur, se illa in gloriam Dei & Ecclesiæ commodum usurpaturos, intolerabile judicat. At inquit, *libidini non detrahitur infamia*. Rectè. Ex lumine naturæ illa resultat. Improbatæ doctrinæ humano arbitrio imposita est, ex repressionis consilio: Eodem tolli potest. Non tamen infamia notantur edicto, lege, aut judicis sententia in illis locis, ubi lupanaria licita sunt, qui ea frequentant, aut frequentarunt. Commoverentur aliàs magni alicubi ordines. Ait, *tributum imponi arcendi causa*. Egregius sanè prætextus. Azpilcueta dicit, hoc esse peccatum mortale, quærere lucrum vel tributum ex meretricio & fœdis meretricum opera & lucro, quod Sixti IV. tempore, *uti Balæus in eius vita refert*, ad 40000. florenos in ærarium Papæ intulit. Quare non immeritò Nicephorus *l. 16. c. 20. Hist. Eccles.* hujusmodi lucrum & tributum appellat vectigal & portorium impurum, detestabile, absurdum, Deoque invisum feris quibusque barbaris indignum, & execrandum piaculum. Summisque laudibus effert Anastasium, quod Imperiali magnificentia illud omninò sustulit. Cæteri prætextus ex superioribus dissipati sunt, ut adeò nihil habeat pro lupanaribus Ernestus, quibus magis favet, quam conscientiæ libertati.

§. 9. Ad objectum periculum exemplo *facti Roboamici* respondet Ernestus, *se Consiliarios à sua parte Senes, Christum, Paulum, Ambrosium, Chrysostomum, Catholicos Afros, Iohannem I. Papam & Martyrum, Paulum III. Paulum IV. Pium V. Vrbanum IIX. Imperatores & antiquos & recentes, Catholicos, Status Imperii & Hungariæ, & omnis Theologiæ Veteris solidæque sectatores habere. Infelices autem successus exercituum Imperatoris & ei addictorum Statuum ab An. 1630 Theologis paci, qualis à Protestantibus desideratur, adversantibus non adscribendos, sed victoriarum abusui, divitum luxui, perfidiæ, & partim desidiæ, partim imperitiæ, pulcherrimarum occasionum neglectui, commeatuum rerumque necessariarum nulli provisioni, licentiæ militari nec lectæ, nec auditæ, per quam justissimum bellum in latrocinium degeneravit &c.*

An ad pacem religionis procedere nol-

Putamus nos, eum, qui ista Roboamici exempli collatione usus est, ad duo respexisse, tum ad *causam*, tum ad *consilium*. CAUSA Roboamo renunciantis populi est *nimia tributorum exactio*, intuitu divitiarum à Salomone relictarum & majestatis longè latéque terrentis, severius justo instituta. Putabat deductis in sum-

ſummum gloriæ culmen regni rebus, non poſſe ſubditos imperatis reſiſtere. Ni-mium rigorem in exigendis tributis Roboamicum, qui ad diſceſſionis defectionisque conſilia agitavit decem tribus, comparat cum nimio Cæſaris & ordinum conjunctorum rigore in limitandis & reſtringendis de religionis exercitio datæ libertatis terminis, item in repetendis aut retinendis bonis Eccleſiaſticis. Si iſte rigor, qui de rebus tanti momenti non erat, (Alf. de Toſtato Abulenſis Epiſcopus quidem putat, *jure Iſraelitas à Roboamo defeciſſe, propter onerum impoſitionem iniquam non remiſſam*, ſed caſtigat eum propterea Jac. Salianus *Annal. V. T. ad Ann. M. 3060. num. 15. & 24. & ann. 3061. num. 3.*) ad extrema præcipitare tribus X. potuit, quantò magis rigor circa arctandos religionis & conſcientiarum libertatis, item utendorum bonorum Eccleſiaſticorum terminos, Statibus Imperij extrema ſuggeret? Eſt enim in conſcientiæ libertatem & religionem illata vis & coactio tenerrimi ſenſus & animadverſionis acerbiſſimæ apud eos, qui ab alterius partis ſententia toto pectore abhorrent & ſincerè Deo ſervire cupiunt. Semel irritatos ex cauſa tam ſancta Status, privilegiis & ſanctionibus Imperij tutos, quidvis potius arrepturos fuiſſe illi cenſuerunt, quam ut illi rigori ſubſcribant. Sic fortaſſis *cauſam* diſceſſionis applicabat CONSILIUM *Roboamicum* ex juniorum ſuffragiis conſtabat. Idem putabat, qui Roboami exemplum propoſuit, fieri in diſputatione ſuper pacis formam præſenti. Jam ferè ſeculum eſt, quando pax iſta ſancita eſt, cujus hodie in controverſis aliquibus articulis explicatio quæritur & aliqua etiam auctio, pro tranquillanda Germania. Et ecce juniores ſeculo in dubium vocant, quæ extra controverſiam concluſa & tranſacta fuerant à Senibus ſapientiſſimis, Reipubl. Chriſtianorum columinibus maximis & incomparabilibus, quibus Chriſtus JESUS cum Paulo, Ambroſio, Chryſoſtomo & Sanctis cæteris non erat incognitus, nec Imperatorum antiquiſſimorum decreta incomperta. Ait Erneſtus, *iſtam quæſtionem tum non fuiſſe ſatis diſcuſſam*. Sed hæc opinio junioris eſt, cui an fas ſit aſſentiri qui ſcimus? cum ſoliditate ſua recens diſcuſſio ſe nobis non multum commendet, & multum audaciæ habeat contra Majeſtates uſurpatæ.

le, ſed bellum præferre, ſit Roboamiſſimum.

Illud nos non inconvenienter annecti poſſe putamus, permiſſionem impunitatis in illa apoſtaſia X. tribuum, altius ponderandam. Prævidit Deus, decem tribus defecturas, non ſolùm ab obœdientia regia, ſed etiam à ſinceritate religionis. Defectio ſecuta eſt. Apoſtaſia ſecuta eſt, conſtitutus idololatricus cultus in Dan & Bethel, ut jam contra *Fr. Monteii vitulum* ſupponimus *ex ſchola communi ſententia*. Deus Opt. Maximus permiſit decem tribubus autonomiam, ratione regni Juda & ſummi Pontificis in eo reſidentiam ſuam habentis, 1. Reg. 11. Autoritas permittentis allegatur: *A me*, inquit JEHOVA, *factum eſt verbum hoc*. Ratio permittentis: *non adſcendetis, neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſraël*. Eam ferè exprimit Anton. Floribellus ſupra. Conſequens permiſſionis erat, receſſus ab obœdientia S. Pontificis, & abnegatio poteſtatis Eccleſiaſticæ, conſtitutio religionis alicujus ex arbitrio, uſurpatio bonorũ Eccleſiaſticorum, quæ paſſim

Permiſſio circa factũ Ieroboami expenditur.

sequebatur, etiam defensio præstabatur contra turbatores pacis pro apostatis & vitulicolis. Pacem illam causam fuisse perditionis multarum millium animarum, eâdem ratione dicere licebit, qua id de pace à Protestantibus desiderata dicitur. Nam Jeroboamus sub illius pacis vigore potestatem sibi sumsit, hæresin in decem tribubus stabilire, & veram religionem evertere. Et sic decem tribus, quantum erat ex officio Regis Juda & Pontificis Hierosolymitani, vi pacis illius diabolo oppignorabantur, quamdiu regnum durabat. Habebat etiam Jeroboamus exinde jus subditis imponendi necessitatem aut amplectendi hæresin, aut emigrandi. Facultas apostatandi etiam tum aliis tum Levitis dabatur. Si hoc illicitum est, & animarum perditionem causans, pax illa cœlitus imperata Roboamo illicita fuit. Jeroboamo etiam impunè relinquebatur usupatio potestatis incompetentis. Jeroboamum enim in regno constituebat, quod pertinuit ad S. Pontificem Hierosolymitanum, uti disputat Martinus Becanus *Tom. 3. opusc. I. de Pontifice sum. V. T. cap. 8.* cuius potestatem se etiam ad regnum Israël extendisse, licet sine documento, asseruit. Adhæc pax ea juxta principia Ernestina bello quovis fuit periculosior. Adigi bello potuissent ad religionis avitæ conservationem Israelitæ, & sic in unius templi, cultusque Hierosolymitani observantiam conciliari. Pace concessa & bello per Prophetam suspenso, non tantùm jura politica pereunt, sed etiam Ecclesiastica. Idque ex hæreseos natura & hæretici Jeroboami sensu. Qui enim in Ægypto profanam religionem suæ miscuit patriæ pietati, adeóque apostasiâ sese contaminavit, aliter respici non poterat, quam hæreseos pruritum secuturus, & sensum suum ad tribuum adhærentium corruptionem adhibiturus. Denique permissio eiusmodi pacis peior fuit permissione mendacii, uti rursus quiritatur Ernestus. Læsit ordinem naturæ, religionis, charitatis Dei & proximi, fidelitatis &c. Neque illud fortassis excusabit, quod eam Propheta suaserit. Ernestus, si in Roboami consilio fuisset, Prophetam illum in dubium vocasset, nisi satis evidentibus miraculis missionis fidem fecisset. Imò contra Deum mussitasset, quod necessitates imminentes & mutuas cumprimis fratrum lanienas avertendi causa, pacem tam undique injuriosam permittendam censuerit. Nec illud prætexi potest, Roboamum non fuisse pacto obligatum Jeroboamo ad illa præstanda. Nam quicquid sit de eo, ita tamen decreto divino vinciebatur, ut nullo pacto vinciri potuerit fortius. At nec Deus ad ea obligare potuisset Roboamum, si tantam accusationem meruissent, quanta ferè ex Ernestinis hypothesibus onerari queunt. Audiamus Jacobum Salianum *in Annal. V. T. anno mundi 3061. num. Eximium,* inquit, *& admirabile Regis & Principum eius, & universi exercitus obœdientiæ exemplum. Nam si rem ipsam intuemur, agebatur de re omnium maxima, de qua homines inter se contentiosissimè disceptare solent, eamque rebus omnibus anteferre, rati, regnandi causa, ut aiebat cum Eteocle Iulius Cæsar, jus omne violari posse, cæteris autem rebus pietatem colendam. Quantò hic magis ad bellum inflammabantur animi, cùm ad commune illud Principum desiderium vindictæ cupiditas & ignominia amissi regni accederet, quibus quasi gladiis ignis ille fodicaretur?*

Si geren-

Si gerenda rei opportunitatem; collectus jam erat exercitus maximus atque validissimus, stabant in armis acies; si finem quærimus, causam justam defendebant, injustam defectionem punituri, ut meritò victoriam sperare possent? Si personam à bello revocantem; unus homo prohibebat, qui se Dei jussu loqui profitebatur, qui nullam pro se rationem, nullam causam, nullum miraculum proferebat. Quem plerique ut delirum senem cum contumelia procul amandassent, imò & ut proditorem & ab hostibus subornatum, malè mulctatum in crucem egissent. Quid ipse Rex Roboam? Nonne admirabilem exhibet patientiam, animique demissionem, qui ne verbo quidem uno contradicit Prophetæ? non opponit belli æquitatem, agi non de iniustè acquirendo, sed iustè recuperando regno. Non queritur iniuriæ sibi factæ atrocitatem, ereptam maximam regni partem, interfectum quæstorem regium, seipsum conviciis appetitum, & ad fugam compulsum. Non objicit collectum jam magno labore magnisque sumtibus exercitum, si dimittatur, hostes in armis quamprimum fore, aut etiam jam esse, qui reliquam jam regni partem eripiant &c. Sic expendit Salianus negotii gravitatem. Nos non habemus quidem in pacis nostræ compositione Dei revelationem, quâ suâ permissione ista fieri asserit, ratio tamen adest. *Non adscendetis neque bellabitis contra fratres vestros filios Israël. Revertatur quisque in domum suam.* Fratres etiam nunc inter se diuturno bello dimicant. Christiani Turcis se deridendos & expugnandos propinant. Ne fiat inter nos deinceps, ut adscendamus & bellemus invicem fratres, filii spiritualis Israël, filii Abrahæ patris credentium. Agamus negotium per Prophetas, non per exercitus, de quo dissidemus. Ita contra vitulos, ita contra Baal quondam actum est.

X.

Fundamentum.

Quod paci huic patocinetur multiplex ratio & autoritas.

X. Argum. *Patrocinantur huic paci multiplex ratio & autoritas, ut illicita secundum se dici non possit, sed tuto in tantis præsertim necessitatibus. Theologi eam suadent, & Principes sequuntur.* Autores Comp. Pac. *cap.5. quæst.29. num.52.* etiam fœdus perpetuum cum sectariis per aliquas circumstantias cohonestari posse credunt. Tanner. *Tom.3. disput.1. quæst.9. dub.3. ass.2.* id quidem non affirmat, sed neque negat. Plurium Theologorum suffragia haberemus, si occasio hac de re scribendi se pluribus obtulisset. Quæ in diversum afferuntur, merè scholastica sunt. Consiliis & Theologis practicis nunc opus est. Ernestus resp. I *non esse sententiam, posse talem fieri pacem, sed opinationem, nulla ratione Theologica, neque autoritate legitima, sed praiudiciis ex pace religionis conceptis malè nixam. Rationes allatas veritatis larva detracta falsitatis convictas esse, autoritates autoritatibus S. Pontificum, SS. Patrum & DD. qui ante pacem vixerunt, elisas.*

Repo-

Reponimus: Rationes & autoritates pro pace, vindicatas esse: autoritates contra eam prolatas, confutatas. Præjudicium ex ipsa pace sumi maximum tot autoritatibus circa illud concurrentibus, tot causis pro eadem pugnantibus.

Resp. II. *Post pacem religionis non posse aliquem produci Theologum, qui conditionibus pacis examinandæ operam impenderit, & scripto eandē publico comprobaverit. Hosium Card. ad Paulum IV. Antonium Possevinum ad Stephanum Polon. R. Franciscum Burkardum in Autonomia, Becan. in Comp. & Manual. lib. 5. cap. 6. num. 1. pacem damnare.* Reponimus. De Hosio & Possevino suprà jam dictum. Et rationes eius atque confutationes totus Senatus Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ opere ipso confutavit, aut saltem vilipendit, eratque tum Hosius ipse membrum Comitiorum, in quibus id actum est. Sic autem habent verba Generalis Statuum Poloniæ *in Comitiis Warsaviensibus* Anno 1573. initæ institutæque confœderationis: *Nos Senatores Regni seu Coronæ, Spirituales & Seculares Equestris Status, Ordinesque reliqui unius & indivisæ Reipublicæ Maioris & Minoris Poloniæ, ex Magno Ducatu Lithuaniæ, Kiovia, Volinia, Podlasia, nec non terrarum Russiæ, Prussiæ, Pomeraniæ, Samogitiæ, Livoniæ, nec non civitates Reipublicæ - - - - - V. cùm in Republica nostra non parvū, sed magnum dissidium in causa religionis Christianæ, esset, qua occasione inter dissidentes seditiones damnosæ emergere possent, uti in aliis externis regnis nunc videre licuit, hoc modo obviandum duximus I. pollicemur nobismetipsis inter nos invicem & successoribus nostris* IN PERPETUUM *sub vinculo juramenti, fide, honore & conscientia nostris, quod nos, qui sumus dissidentes in religione, pacem inter nos conservabimus, & ex hac causa religionis & mutatione Ecclesiæ sanguinem nunquam profundemus. 2. Neque ut alius alium affligat, confiscatione bonorum, carceribus, exilio vexet, consentiemus & admittemus. 3. Neque ullum Magistratum sive superioritatem ad talem progressum ullo modo adjuvare debebimus. 4. Imò, si quis ea ex causa huiusmodi progressu uti & sanguinem perfundere vellet, opponere nos omnes debebimus, etiamsi sub prætextu alicuius decreti, sine processu aliquo juridico, id facere conaretur. 5. Sic tamen, quod per hanc nostram confœderationem superioritati sive jurisdictioni Domini in subditos tam Dominorum spiritualium quàm secularium nihil derogatum esse voluimus, neque obœdientiam subditorum erga Dominos infringimus: quin imò si alicubi talis licentia sub prætextu religionis esset, tunc uti semper licuit, licebit & nunc unicuique Domino in subditum ob non præstitam obœdientiam pro merito animadvertere, tam in secularibus quàm in spiritualibus. 6. Et ut omnia beneficia juris Patronatus Regii, Prælaturarum Ecclesiasticarum, ut Archiepiscopatus, Episcopatus, & alia omnia beneficia, conferantur non aliis, quàm Romanæ Ecclesiæ Clericis, indigenis Polonis, iuxta statuta Regni &c.* Franciscus Burkardus personatus, revera Andr. Ernstenberger Secretar. Aul. Vienn. in Autonomia sua non vult videri, quod religionis pacem Anno 1555. stabilitam impugnet. Unde nuspiam ipsam disertè notat, sæpissimè autem den Religionfrieden vnd die Freystellung opponit, & hanc, scilicet autonomiam, tanquam amplius quiddam & periculosius, imò diabolicum quiddam & pestiferum ex illa scilicet pacis religionis sanctione impugnat.

Pax religionis in Polonia & Lithuania.

Mart. Becanus paci religionis non adversatur.

pugnat. Martinus Becanus *Tom. I. oper. pag. 480. & seqq.* ex professo agit de fide hæreticis servanda, & *conclus.* 4. ita format. *Tametsi Princeps aut Magistratus Catholicus omnibus modis impedire debeat libertatem religionis, si tamen id facere non possit sine graviori incommodo boni publici, potest eam tolerare, tanquam minus malum ad evitandum maius, quod alioquis sequeretur. Hac conclusio fundatur in illo communi axiomate, ex duobus malis minus eligendum, scilicet, si utrumque evitare non possumus; quia in tali casu illud minus malum non eligitur pracisè, ut malum quoddam est, sed ut medium utile, ad evitandum maius malum, & proinde eligitur sub ratione boni utilis. Ita sentiunt gravissimi autores. D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 11. ubi ex hoc principio probat, ritus gentilium & hæreticorum tolerari posse ad maius malum evitandum. Caietanus ibid. Gregor. de Valentia lib. 3. disp. 1. quæst. 10. pag. 7. Molina de Iustit. & Iure, tract. 1. disput. 335. & plures.* Quinta conclus. *Si Princeps vel Magistratus Catholicus paciscatur cum hæreticis de toleranda libertate religionis, quam sine maiore detrimento impedire non potest, sine dubio fides servanda est. Nam fides servari debet in omni pacto licito & honesto; atqui licitum & honestum est tolerare libertatem religionis: & de ea toleranda licitè & honestè pacisci potest Princeps Catholicus: Ergo si paciscitur, fidem servare debet. Ita Becanus.* Nec aliter in Manuali loquitur. Quando enim dicit, *aliud esse, si dicatur, Princeps Catholicus concedit suis subditis, ut fiant hæretici, vel introducit hæresin, vel introductam confirmat & ratam habet; aliud, si dicatur, Princeps Catholicus solùm permittit seu tolerat hæreticos in sua provincia, hoc licere, illud non*: Nihil contra sanctionem religiosæ pacis dicit, ut quivis videt, quem non zelus contra Politicos & hesternos Theologos fascinavit. Non enim conceditur per eam, ut quis fiat hæreticus, sed permittitur & toleratur, si fiat. Autoritas juris publici non patrocinatur hæresi, sed libertati. Neq; Cæsar & Status juvant aliquem in abusu libertatis, sed non impediunt, tolerant. Non ratam habent introductionem hæresis, sed tolerant. Neq; ostensum est solidè, ullo modo positivè in eam consentire illos aut cooperari.

Dilingana pacis compositio quid passa?

Resp. III. *Tannerum pro neutra parte stare: Inter autores Comp. Pacis præcipuum suam sententiam retractasse, alium semper nutasse, & dubitasse, an perpetua pax dari possit religionis improbatæ fautoribus, librum Romæ ob aliquas assertiones gravem censuram passum, autores eius fuisse ICtos.* Reponimus: De Tannero supra actum. Compositio pacis est jussu & autoritate superiorum edita. Si, qui mutavit sententiam, non melioribus fundamentis suam mentē superstruxit, quàm in judicio legimus, miranda est facilitas. Si alteri semper visum, non posse perpetuitatem Ecclesiæ Catholicæ propriam hæresi per pactum perpetuum & absolutum, quale in pace religionis continetur, licitè concedi, cur itaque communi calculo ita pronunciavit? Quamvis, si sanè intelligat, non spondeatur ista pace perpetua improbatæ religionis Ecclesiæ perpetuitas, propria Catholicæ Ecclesiæ. Humana enim est hæc tantum promissio, itaq; quantum durationis homo præstare potest, præstat. Ex adverso perpetuitas Cathol. Ecclesiæ pendet à speciali gratiosa divina assistentia & præsentia Jesu, capitis eius. Ea Ecclesia, quicquid sit de humano perpetui-

petuitatis promisso, quæ non est ex Deo, dissolvitur Actor. 5,38. Aliàs si propter vitandum maius detrimentum, & propter stabiliendũ maius bonum pacisci cum improbatæ religionis cultoribus potest, & illud ipsum maius detrimentum sint gliscentia perpetua odia & machinamenta contra alteram partem, ob non perpetuam assecurationem de libertate desiderata retinenda, maiusque commodum sit extinctio gliscentium odiorum & molitionum ad volitam securitatem statuendam, tunc ex eadem ratione illius respectu perpetuam pacem sancire licebit, qua, ubi illud attendendum non est, temporariam sancire licet. Non est enim metuendum, ne providentiæ divinæ Ecclesiam suam sapientissimè conservaturæ viam obstruamus. Censuram Romanam ad rationem status multoties respicere, & infallibilem non esse, meminisse debemus. Parcit nonnunquam iis, quibus alibi Romanæ Ecclesiæ filii non parcunt. Eius sunt duo insignia exempla. Pepercit Baronio *de Monarch. Sicula Tom. 11. Annal.* disputanti. Non pepercit ei Cardinalis Columna, qui statim atque publicatus est Tomus, eam disputationem refellit, cui quidem Apologeticum opposuit, qui cum ipso tractatu Anno 1609. Parisiis excusus est, Baronius. Neque quem ista disputatio tetigit, Philippus Hispaniar. &c. Rex: imò potius graviter notavit diplomate, quod Panormi XVII. Septemb. 1610. affixum fuit, cuius hic titulus, *Edicto del Rey Don Philippe d'Espanna, contra el tractado della Monarchia de Sicilia enxerido per Cesar Baronio Cardenal en el tomo undecimo de sus Annales Ecclesiasticos.* Sic pepercit Censura Rom. Abr. Bzovio in iis, quæ contra Ludovicum IV. Imperatorem scripsit. Sed non pepercit ei Sereniss. Bavariæ Dux Maximilianus, Elector: jussit stringere calamum Johan. Georg. Heervvartum ab Hohenburg Cancellarium suum adversum Bzovium, qui & severè Bzovium ultus est. Quod JCti fuerunt, autoritatem eorum non minuit. Ostentant in illo libro multam Theologiam, Juris Canonici summam procul dubio cognitionem habuerunt, ex quo casuum conscientiæ decisiones hauriuntur. Et quia casus erat de pace Imperii Romani & salute publica constituenda, quis negabit, magnum hîc locum Jurisprudentiæ deberi?

Respondet IV. *nolle se Principes & Theologos contrarium sentientes damnare, quos credat bonâ fide, in re tam ardua, neq; satis antehac explicata, excusari posse, ut & aliorum magnorum virorum navi charitate teguntur, se tamen non posse non loqui, quæ principia juris naturalis ac divini à puero audivit, quæque ex S. literis, Patribus, solidaq; Theologia hausit.* Reponimus: Permitti ipsi hanc licentiam, sed ad leges modestiæ & boni publici temperatam. In Cæsares, Statusque, in diversorum regnorum Theologos. Archiepiscopos, Episcopos, in Consiliarios prudentissimos invehi acerbè, nimia licentia est. Si controversia hæc antea non satis explicata est, unde ista præsumtio contra praxin totius ferè seculi sapientissimè deliberatam tantopere fulminandi, conscientias confundendi, arma provocandi, extrema discrimina comminandi, dissentientes pseudopoliticorum & hesternorum theologorum nomine criminandi. Unde enim certus est Ernestus, se rem planè explicasse.

Resp. V. quiritando, ***argumenta sua scholasticæ speculationis titulo traduci, cùm applicaverit principia indubitata.*** Repon. Bene se habere postulata pleraque. Sed evictio lubrica est, & propterea in acie scholasticæ concertationis stetisset honestius, ubi licet nonnunquam errare, & quodam uti stratagemate, quam in tractationis omnium gravissimæ theatro, ubi nefas est turbare incertis & male ordinatis.

Resp. VI. de consiliis practicis, quibus Lutherani ad suscipiendam pacem deduci possint, & necessitatibus occurri queat, *tum non attendenduũ esse si vel maximè illi nolint pacem, nisi ipsorum de religione, doctrina, dignitate, defensione, libertate, perpetuitate placita veræ fidei æquentur, tunc enim tempus esse, fidei Catholicæ præcepta attendere & implere, scilicet non esse lucrum mundi cum detrimento animæ quærendum, non esse facienda bona, ut eveniant mala &c. tunc Christianũ nihil necessarium vel utile judicare, quod non sit licitum & honestum.* Reponimus 1. non esse causam retardandi negotium pacis, si saltem infamiam, jure humano adeoque mutabili doctrinæ suæ impositam, Lutherani detractam velint; hoc ipsum enim esse merum humanum judicium, quo nihil coram Deo & in foro Ecclesiæ detrahitur dignitati veræ fidei. Sic & defensionem & libertatem per se dari statibus & hominibus, per accidens usui eorundem ad cultum Dei, juxta doctrinam suam. Denique perpetuitatem esse non illam, quæ à Deo proficiscitur, & contra inferorum portas consistit, sed eam, quæ humano beneficio nititur. Hanc sine præjudicio veritatis dari posse. 2. Non hîc quæri lucrum mundi cum detrimento animæ. Detrimentum animarum minus maiori comparari. Maius esse in bellorum ancipiti continuatione; minus, si pax fiat. Nec animabus per pacem quicquam de libertate, quam velint, Religionem profitendi, tolli. 3. Non facere pacificentes mala, ut eveniant bona. Nam quicquid faciunt pacificantes, non malum est, uti ostendimus, licet sub illis pacificationis legibus malum per accidens peragatur, & DEO ultori justissimo vindicandum permittatur. 4. Equidem Christiano nihil utile, quàm quod licitum & honestum est. At hanc pacem licitam & honestam non esse, non probavit Ernestus. Dicit, indignum esse arbitrari, necessitatibus publicis, quas plerasque ipsi fecimus aut facimus, non posse aliter subveniri, quam dispendio religionis, pro qua omnia dispendia subeunda forent. Ita est, si in illis dispendiis servari religio posset, aut nos certi essemus, majus dispendium non secuturum, nisi aliquod permiserimus, quam quod permittimus. Ubi res ad bellum prolapsa est, metu majorum periculorum quædam concedenda sunt, quædam permittenda, ut exuamur ex ipsis periculis, quæ inter arma crescunt. Præsertim cum non religioni defendendæ aut propagandæ, aut comprobandæ aut conservandæ accommodata sint arma, sed duntaxat juribus & privilegiis religionis, in quibus cedere, non est ipsam religionem pessundare. quæ suis viribus subsistit, sed politicæ alicuius prorogativæ jacturam facere. Arnob. adv. gentes III. ***Non stare sine assertoribus Christiana religio non potest, aut eo esse vera comprobabitur, si adstipulatores habuerit plurimos, & auctori-***

autoritatem ab hominibus sumserit. Suis illa contenta est viribus & veritatis propria fundaminibus nititur, nec spoliatur vi sua, etiamsi nullum habeat vindicem, imò si lingua omnes contra faciant, contraque nitantur, & ad fidem illius abrogandam consensionis unita animositate conspirent. Religionem autem armis servari piè non posse, scribit Maximilian. II. apud Goldastum Tom. II. p. 208. quod prolixè deducit Lazarus von Schwenden im Bedencken. Suffragatur Henricus III. Rex Galliæ referente Pierre Matthieu *en l'histoire des derniers troubles, livr. 15.* cum ait: *Apprenez de moy, que la pieté est un devoir de l'home, envers Dieu, sur lequel le bras de la chair, n'a point de puissance.* Quod & Stephanus Polonorum Rex *inter tria reservata divina recensuerit, conscientiæ velle dominari, notum est.* Emanuelis Philiberti, Sabaudiæ Ducis, egregium in hanc rem apophthegma refert Besoldus *lib. 1. Polit. cap. 3. §. 6. num. 25. sect. 3. Che la fede Christiana non fu mai piantata con la forza de gli esserciti, ne con la violenza dell' arme, ma ben col' verbo di Dio, & con l'essempio: è che con le medisime arti si ha da ripiantare ne paesi, onde à stata scelta.* Cui è Theologis subscribit Hispanus Ximenius, *Centur. I. epistol. Belgic. 33. ad Cassandrum de turbis Gallicanis* ita scribens: *Luimus, ut mihi videtur, hac in parte pœnas stultitiæ nostræ, quod ita simus animati, ut dissidentes à nobis in religione ferre non possimus, nisi simul eos extinctos velimus, atque extinguere etiam studeamus. Addimus deinde incendio oleum, ex causis, quæ non minus virium habent ad alendas has contentiones, quamvis religionis causa tegantur. Orandus ergo summis precibus Deus, ut arma, quæ ipse certè non excitavit, eripere aliqua ratione dignetur manibus imprudentium, ne dicam furentium &c.* Aliàs Germanicam religionis pacem, Augustæ Ann. 1555. constabilitam plus Ecclesiasticis Ecclesiasticorumque bonorum securitati, quam reformatæ religionis asseclis commodare, prudenter judicat Lazarus von Schwenden in seinem Bedencken von Regierung deß. H. Röm. Reichs/ *num. 21. & 36.* & memorabile est ante laudati Henrici III. Gall. Regis dictum, quod profert Besoldus Polit. l. 2. c. 1. n. 4. *J'ay grand peur, qu'en voulant perdre le Presche, nous ne hazardions fort la Messe.* Hosij consolationem vanam & inefficacem fuisse, qua claudit examen argumentorum Ernestus pro pace firmanda adductorum, jam ante indicavimus. Concludimus illis verbis Lucij Christiani apud Eusebium *H. E. IV. 17* ad Urbicium Judicem. *Quid quæso causa est, quod neque adulterum, neque corruptorem, aut homicidam, aut latronem, raptoremque, aut alterius cujuslibet facinoris reum, sed tantum pro nomine Christiano (cum vindicta sine fraude esse non possit, & dolo eoque vero debeatur l. 131. de V. S. & l. 7. ubi Dd. ad l. Cornel. de Sicariis, qui in Christianum etiam errantem non cadit, quippe animi solum errore lapsum & conscientiæ suæ obsequentem) quod hoc se vocabulo confessus est nuncupari, ad mortem duci (bello funesto consici) hominem præcepisti. Non sunt hæc digna pio Imperatore, neque sapientissimo puero, filio ejus, neque sacro Senatu, quæ agis.*

Quibus nihil præterea adjiciendum putamus.

SECTIO VI.

Doctrina hactenus tradita in certas regulas redigitur, & ab Ernesti corruptelis emaculata repræsentatur.

REGULA I.

Licet urgente necessitate vel gravi periculo, præsertim religionis, hæresin & improbatam religioné tolerare, dissimulando, imò & resignando atq; renunciando pœnam, jure positivo & ex arbitrio constitutam, & ea quæ ad ejus exercitium sunt necessaria, concedendo, quæ est permissio simplex seu primi generis.

REG. II.

Licet ex eadem causa prohibere eos, qui aliorum religionem improbant, ne intempestivè eos, quorum religionem improbant, aggrediendo vel lacessendo, se & religionem in majus discrimen conjiciant, quæ est permissio secundi generis.

REG. III.

Utraque permissio licita est vel ad tempus indefinitum, pro iisdem vid. circumstantiis necessitatis duraturæ, vel determinatum, pro certis annis, quibus moraliter certum putatur, præsentes difficultates & circumstantias non desituras.

REG. IV.

Licet utramque permissionem dicto modo promittere, sive pacis causa pacto firmare, pro iisdem vid. circumstantiis necessitatis aut periculi. Licet etiam easdem exprimere, etiamsi insint ejusmodi pacto.

REG. V.

Licet & expedit improbatæ religionis hominibus pacis causa, si aliter ea obtineri non possit, generalem amnistiam, seu oblivionem omnium injuriarum & maleficiorum concedere, quæ occasione belli contigerunt.

REG. VI.

Licet necessitate urgente templa, monasteria, aliaque bona Ecclesiastica improbatæ religionis assertoribus concedere, etiamsi altum seu merum imperium illis cohæreat, & vi pacti & promissæ libertatis permittatur jus religionis constituendæ.

REG. VII.

Licet in eo casu, quo improbatæ religionis hominibus, tranquillam fore pacem & armorum depositionem tutam, si in perpetuum ipsis securitas non promittatur, persuaderi nequit, & quo necessitas extrema ob temporalitatis metum intenditur periculumque permanet, in perpetuum promittere pacem & de ea pacisci. Neq; enim hoc est indirectè cooperari hæresi, aut improbatæ religioni.

REG.

REG. IIX.

Non licet sive in perpetuum, sive ad tempus, ullam conditionem pacis inire, quæ includat cooperationem directam cum hæresi. Quia talis cooperatio est per se illicita.

REG. IX.

Licet autem pacis publicæ causa improbatæ religionis homines, non obstante ipsa religione, cui in foro poli suum manet judicium, jam ante membra Reipubl. existentes, in juris publici beneficiis retinere, eos in dignitatibus pristinis relinquere; & probatæ religionis assertoribus, quoad civilia privilegia, nihilo inferiores habere, libertatem illis conscientiarum, cujus usum vel abusum ipsi apud Deum defendant, tribuere, illos in concessionibus illis defendere, & illius & defensionis & concessionis perpetuitatem, quanta in viribus est humanis, polliceri. Hæc enim suapte natura ad hæresin augendam, promovendam, stabiliendam nullo modo ordinantur, sed potius per abusum rapiuntur.

REG. X.

Licet pacisci, ut, quod ex divino instituto, ab idololatricis principibus spreto, alto imperio cohæret & conjunctum est, jus constituendæ religionis, habeant etiam illi, quos abusuros eo scimus, & ditiones Orthodoxa religione florentes aliquo afflicturos damno.

REG. XI.

Licet improbatæ religionis hominibus promittere & præstare auxilium & executionem ad asserendam libertatem constituendæ religionis, sive eo ipso auxilio præstito abutantur ad introducendam aut reducendam improbatam religionem, sive non: quia bonus concursus ad bonum promissum præstatur, ubi nullatenus participant actioni criminosæ & sacrilegæ abutentium, cum eo ad hæresin illi utuntur.

REG. XII.

Licet Ecclesias & bona Ecclesiastica, in casu inevitabilis necessitatis, & postulante ita tranquillitate publica, nullo alio consilio reparandâ, improbatæ religionis hominibus relinquere, aut permittere, etiam unà cum alto sive mero imperio, & ita cum immunitate libertateque constituendæ religionis, quocunque illi modo, quanquam intra limites definitos, sese in unam alteramve partem exhibeant. Neque est hoc positivè animarum perditioni cooperari.

REG. XIII.

Si quid improbatæ religionis hominibus de bonis Ecclesiasticis conceditur, non opus est, ut fiat consensu Pontificis, quia illa concessio fit potestate summa imperij, quæ est boni publici conservativa, neque Pontificis Romani potestas de necessitate & jure antiquo ad hoc requiritur: novi autem juris nulla in hoc arduo opere est attentio.

REG. XIV.

Non licet vi transactionis Passaviensis invitis Lutheranis, ut vocantur, liberta-

bertatem constituendæ religionis per Pontificios extendi ad alios dissentientes, quia hoc est contra jus per transactionem quæsitum.

REG. XV.

Licet salvis juramentis Imperatoris & Episcoporum Papæ datis se in illa cessione obligare.

REG. XVI.

Licet pacem postulatis conditionibus constantem sancire, confirmare, extendere, & id fieri potest sine peccato. Interim, quia aliter, quam per humana remedia agere non possunt capita Reipub. Deo eventus & omnium consiliorum gubernatio relinquitur.

REG. XVII.

Non licet uni & alteri Pontificiorum, si plerosque Status suæ religionis & præsertim Augustiss. Imperatorem in istas conditiones consentire videant, contra protestari & à sanctione imperij sese separare. Illi ipsi enim remedium necessitatis publicæ inutile reddunt, & suspicionibus alteram partem onerant, & contra leges imperij peccant.

REG. XIIX.

Frustra Cæsari Optimo, Principibus & Statibus Imp. Pontificiæ religionis scrupulus & periculum gravioris peccati, ad intervertendam hanc pacem, injicitur, per illa principia, quæ neque naturalis, neque divini, neque Christiani juris sunt, cum omnia disputationibus sint obnoxia, plura impertinenter applicata, in multis notoria falsitas commissa: atque adeò informacio ex jure Curiæ Rom. hausta. cui jam olim gravissima Germanæ prudentiæ obstitere molimina.

Utamur epilogo Augustini & nos, quo clausit S. Pater lib. de perseverentia. *Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias. Qui autem non intelligunt, orent, ut eorum ille sit Doctor interior, a cujus facie est scientia & intellectus. Qui verò errare me existimant, etiam atque etiam diligenter, quæ sint dicta, considerent, ne forasse ipsi errent. Ego autem, cum per eos, qui meos labores legunt, non solum doctior, verum etiam emendatior fio, propitium DEUM agnosco. Et hoc per Ecclesiæ Dd. maximè expecto, si & in ipsorum manus venit, dignenturque nosse, quod scribo.*

Pax DEI, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda nostra & intelligentias nostras in Christo.

JESU! AMEN.



SYLLA-

SYLLABUS

Rerum præcipuarum

ANTICRISI THEOLOGICA

Super

QVAESTIONE,

An pax, qualem Proteſtantes deſiderant, ſit ſecundum ſe licita?

Comprehenſarum.

PROOEMIUM

SECTIO PRIMA.

SECTIO II.

SECTIO III.

An se

Iuris-

Syllabus rerum præcipuarum.

Pax:

In ca-


Per se

Gratia-

An Hono-

Advo-

Syllabus rerum præcipuarum.



FINIS.

